AEGIDIARUM PROPUGNACULUM PHYLOSOPHICUM DIVI THOMAE, ET SCOTI. MAG...

Francesco Amato, Raffaele Bonerba

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
4 B
24

Digitized by Google

14.4.B.2

Digitized by Google

ÆGIDIANVM
PROPVGNACVLVM
PHYLOSOPHICVM
DIVI THOMÆ,
ET
SCOTI.
MAG. BONHERBAE.
PARS PRIMA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

[illegible]
S. Marię de Lilio

ÆGIDIANUM

PROPUGNACULUM

PHYLOSOPHICUM

DIVI THOMÆ,

ET

SCOTI.

MAG. BONHERBAE.

PARS PRIMA.



BIBLIOTECA NAZ.
VITTORIO EMANUELE
ROMA

TOTIVS NATVRALIS
PHILOSOPHIÆ DISPVTATIONES,

14.4.B.2

In Duplici Parte per Quatuor Tractatus Diſtributæ.

PARS PRIMA.

De Octo Phiſicorum Libris, & de Cælo, & Mundo.

In quibus omnes Philoſophicæ inter

D. THOMAM, ET SCOTVM
CONTROVERSIÆ PRINCIPALES

ita cum Doctrina

ÆREMITARVM LVMINIS

CARDINALIS AEGIDII
ILLVSTRANTVR,

Vt nec Angelici poſſint Scotico Iudicio non acquieſcere, nec Subtiles Angelicam ſententiam non approbare; poſſint vero Neutrales vtrorumque Magiſtrorum controuerſias ſine vlla controuerſia ſubſtinere.

Authore R. P. Sacræ Theologiæ Magiſtro

F. RAPHAELE BONHERBA A S. PHILIPPO

Ordinis Æremitarum S. Auguſtini, & in Prouincia Siciliæ, atq; Melitæ olim Prouinciali; nunc vero in Panormi Generali Conuentu Priore.

AD ILLVSTR. MARCHIONEM VILLÆ ALBÆ

D. BENEDICTVM EMANVELEM.

CVM TRIBVS INDICIBVS.

Altero Quæſtionum, & Dubitationum; Altero controuerſiarum, & fundamentalium diſtinctionum, & Tertio Rerum Notabilium.

PANORMI, Apud Ioſephum Biſagni, M. DC. LXI.

Impr. Abb. Gel. V. G. *Impr. Marotta Præſ. M. R. C.*

TOTIVS NATVRALIS
PHILOSOPHIÆ DISPVTATIONES,
In Duplici Parte per Quatuor Tractatus Diſtributæ.

PARS PRIMA.

De Octo Phiſicorum Libris, & de Cœlo, & Mundo.

In quibus omnes Philoſophiæ inter

D. THOMAM ET SCOTVM
CONTROVERSIÆ PRINCIPALES
ita cum Doctrina

EREMITARVM LVMINIS

CARDINALIS AEGIDII
ILLVSTRANTVR,

Vt nec Aegidiani poſſint Scotico Iudicio non acquieſcere, nec Subtiles Angelicam ſententiam non approbare; poſſint vero Neutrales vtrorumque Magiſtrorum controuerſias ſine vlla controuerſia ſuſtinere.

Authore R. P. Sacræ Theologiæ Magiſtro

F. RAPHAELE BONHERBA A S. PHILIPPO
Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, & in Prouincia Siciliæ, atque Melitæ olim Prouinciali nunc vero in Panormi Generali Conventu Priore.

AD ILLVSTR. MARCHIONEM VILLÆ ALBÆ

D. BENEDICTVM EMANVELEM.
CVM TRIBVS INDICIBVS.

Altero Quæſtionum & Dubitationum, Altero controuerſiarum, & fundamentorum Aegidianorum, & Tertio Rerum Notabilium.

PANORMI, Apud Ioſephum Biſagni, M.DC.LXI.

Impr. Abb. Gel. R. G. *Impr. Maraſca Proſ. N. R. C.*

ILLVSTR. AC PRÆCLARISSIMO DOMINO V. I. D.

D. BENEDICTO EMANVELI

MARCHIONI VILLÆ ALBÆ,

Prætorianæ Curiæ Panormi olim Iudici

CONSILIARIO CATHOLICÆ MAIESTATIS,

Eiuſque Denominatione tum Sacri Conſiſtorij, tum Magnæ Regiæ Curiæ, nec non & Bonorum ad Tribunal S. Inquiſitionis deuolutorum Iudici, Duci Armorum in Valle Neti cum pleniſſima poteſtate, &c.

MAG. F. RAPHAEL BONHERBA A S. PHILIPPO

In Generali Conuentu Sancti Auguſtini

Panormi Prior.

D. D. D.

SI Nomina, & Cognomina ad ſignificandas Rerum Naturas ſunt impoſita, quid de te dicam Nobiliſſimè Heros, cui nomen eſt BENEDICTVS, & Cognomen EMANVEL? proculdubio omnis me ratio dictat, te prædicaſſe BEATVM, ea ſaltem Beatitudine, quæ in tuo Stegmate non obſcurè Hebraicis, Latiniſque verbis indicitur: quodſi Beatitudo iuxta Theologicum Axioma vulgatum *Eſt ſtatus omnium Bonorum Agregatione perfectus*; quis in te eſſe negabit omnium Humanarum Ornamenta Virtutũ, quæ fulgere ſolent in Viro, & Nomine BENEDICTO,

& EMANVELIS cognomine parentato? Singula quæſo ſufferas, tuarum præclara canora laudum in hac pagella conſtringi, & illa præſertim, quæ illuſtriora ſunt, atq; maiora, quam meo indigeant, vel teſtimonio confirmari, vel explicari ſermone. Et ſi cæteris omnibus Nobilitas Sanguinis præferatur, quis neſciat, EMANVELIS Familiam ex Hiſpaniarum Regione tanquam ex præclarorum Seminum matre in Siciliam aduentaſſe per CORALDVM RODVLFVM EMANVELEM Infantis Domini EMANVELIS Nepotem, qui Regis Petri familiaris Aulæ mæritorum ſuorum intuitu, & Generalis Prouiſoris munus, & Caſtellutij Miliſij Baroniam eſt aſſequutus: primiſque domus ſuæ claritatis, ac potentiæ fundamentis iactis; per illuſtrem Sobolem Bartholomeum Coraldum, Ioannem, & Aloyſium Emanuelem opum amplitudine, sblendore virtutum, nouarumq; incremento ditionum, primos reliquit illius Æui proceres ſucceſſores, præcipuè Coraldum Emanuelem à Rege Iacobo Culcaſi, & Mangiadaini Baronia inſignitum, & à Ferdinando III. cum eiuſdem dominio decoratum? è cuius ſemine præclariſſimus ille prodijt Antonius Emanuel in Animi magnitudine, & dexteritate conſilij, tam valde notus, & maximè clarus? Sed nolo, ſingula tuæ familiæ lumina demirari, quæ nec breui poſſent huius Epiſtolæ ambitu circumſcribi; ſolum ex illorum conſideratione illud iurè optimo admiror, ac prædico, quod cum eos maiores habeas, quorum claritas etiam ſuccedentium nobilitare poſſet ætatem; tu nihilominus ijs etiam virtutum refulgeas ornamentis, quę & ante, & poſt natos nobilitatis luce perfundant; non in te nobilitas cæpit, ſed à te nouos nobilitatis fulgores ſiue ad Auos, ſiue ad Nepotes sblendeſcere perſeuerantia, & excellentia mæritorum omnibus liquet; Nec incognita, aut indubia dico, ſed

quæ

quæ & comuni omnium exiſtimatione, & excellentiſſimi ſint teſtimoniis peruulgata: vnde etenim tibi tot honorum, & Titulorum dignitates collatæ? quare à Paternionis Principe Locumtenente Siciliæ defenſor conſtitutus in cauſa, vertente inter Eminentiſs. Cardinalem Torres, & Illuſtriſs. Panormi Senatum, eiuſdem Ciuitatis fuiſti Patronus electus; & ad grauiora conſilia, ad Regiam Iuriſdictionem pertinentia tua cum ſumma laude vocatus? Quare tanta Magiſtratus inſignia? cur toties Prætorianæ, ac M. R. C. Iudex Spectabilis declaratus, Totque in locis Dux conſtitutus Armorum? quare à Piiſſimo Domino Marchione de los Veles Regias in hoc Regno vices implente, cum grauiſſimus vrgeret Turcici belli rumor, Dux Generalis Armorum ad procurandam Annonam, & Militaribus copiis maritimam oram inſtruendam electus? & cum procelloſi populorum motus pacem Regni concuterent, quare pedeſtrium Acierum Dux, in quibus Iuris Periti militarent, tu præ cæteris nominatus? Vnde nam Eminentiſſimi iubſu, ac generoſiſſimi Principis Cardinalis Tribulſii Regia authoritate Siciliam gubernantis, Tu R. Patrimonii Aduocatus Fiſcalis ita præelectus, vt ſumma cum admiratione, raraq; laude litteratū, & Armorum connubia; Mercurii, Martiſq; ornamenta, ſiue in propulſandis hoſtibus, ſiue in pacandis Ciuibus, ſiue in tuendis Iuribus, in te vno ſolo conſpirarentur vnanimes? cur à Sereniſs. D. Ioanne de Auſtria Regis Noſtri Catholici prole tuā præcipuam in negotiis dexteritatem demirante, ad redemptionis captiuorum Rectoris dignitatem perductus? Sed quid ipſe Miniſtrorum licet præcipuorum Iuditia refero? quare Inuictiſſimi, & ſemper Auguſti PHILIPPI IV. Supremi volūtate Regis tot titulis præſertim Conſiliarii Regii, toties Iudicis Conſiſtorii, Regiæq; M. Curiæ, & tandem Marchionatus titulo, &

digni-

dignitate condecoratus? Hæc ſunt EMANVEL tuarum teſtimonia præclara virtutum, Hæc ſunt ſigna, non ambitu perquiſita, non dolo fugata, non corrupta mendaciis, nec minus teſtata Priuatorum teſtimonio Principum; ſed ſingula ſigillatim totius Orbis Potentiſſimi, & ſemper inuicti Hyſpaniarum Regis in authentico tui Marchionatus Priuilegio proprio ore expreſſata Regali, dextera Imperiali manu ſubſcripta, & monarchico ſigillo magno firmata; Verum vnde tot tibi Gratiarum, tantarumq; virtutum copia redundauit, niſi ex miniſterio Pacis, atque clementiæ, cuius ex Nomine, & Cognomine ſatis plenè indicia refers? Qui namque à Puerorum Turba BENEDICTVS, & à Cælo proprium nomen hæreditauit EMANVEL, Rex quoq; Pacificus ſurrexit in nobis, non igitur erit indignum, vt tu qui es Nomine BENEDICTVS, EMANVEL ex cognomine, & BEATVS ex ſtegmate; Pacificus quoq; acclameris ex ornamento Virtutum: Nec obſtat, quod Leones in eo enſibus ſint armati, & dent inditia Belli; nam illa eſt ſecurior Pax, quæ ex Bello conſurgit; dicente Plinio. *Ex Bello Pax, & ex Pace Vbertas.* Quibus ergo fælicioribus ſub Auſpiciis poterat meus hic Liber in lucem prodire, quam hiſce temporibus, in quibus ſupremi Totius Orbis Monarchæ, depoſitis Armis, Fædera Pacis agunt? Cuius Patrocinium aptius meum hoc opus Pacificum optare poterat, & ſæcurius, quam tuum (clementiſſime Heros) qui totus ex Nomine, inſignibus, & Familia Pacem ſpiras, clementiamque demonſtras? multis quidem mouebar ex cauſis, vt hunc meum laborem ſub tuæ emicterem Protectionis Vmbra, ſed vt de cæteris, & maximis meis debitis ſileam; Illud tantum hic proferam, quod Opus Pacificum inter Sanctum THOMAM, & SCOTVM temporibus hiſce, in quibus Supremi Mundi Monarchæ

ſum-

ſumma Pace fruuntur, non alteri ſacrandum erat, quam tibi, Viro ex omni parte *Pacifico*: Addam, & aliud non minoris momenti, quod cum canes latrabunt aduerſus hunc Fætum, præſto poterint adeſſe Leones, vt enſibus armati meo valeant Operi læſionem euadere; & BENEDICTI Benedictione munitum, Melliſque EMANVELIS dulcedine dulcoratum Opus *Pacificum* maiori *Pace* fruatur. Vale, & hilari animo hoc qualecunque Munuſculum digneris accipere; dumque tibi annos Neſtoreos opto, & Dominum præcor, vt ſecundum cor tuum cuncta tibi Bona retribuat; Tu, qui EMANVEL melle paſceris, & Butiro; BONHERBAM me cuſtodias, & conſerues, atque Leonino robore protegas, & defendas. Iterumque Vale.

** DIS-

DISCVRSVS
AD LECTOREM.

TArdè prodit in lucem (Lector Amice) Phiſicalium hoc Opus Secundum, quod poſt Primum Methaphiſicaliũ tam ſubitò tibi promiſi; tantæ dilationis cauſam non perquiras; dixiſſe, ſat erit, me ſatis inuitum extra meæ Mentis Vterum tenuiſſe hanc Prolem, quam tot doloribus genitam tibi tradere, ſatis antea voluiſſem: Expectaui diutius, ſi fortè latrantes contra Primam, adhuc ipſam mordere tentarent; paratus ſemper ſucco Bonherbæ, & Plagas linire, & latrantium ora contũdere; vt mox me feciſſe, videbis in principio huius, poſt diſcuſſionẽ Phil ſophici obiecti; Nunc amplius non poſſum, expectatione torqueri; & his fæliciſſimis ſub Auſpicijs, in quibus Supræmi totius Mundi Monarchæ ſumma pace fruuntur; ecce do tibi inter SANCTVM THOMAM, & SCOTVM Pacificum Opus, vt tandem ſemel Acierum, & Scholarum, Doctorum, & Nationum ſimul Prælia finiantur; ſed Zoylum audio. Quæ Pax inter Doctores, tam mirè in omnibus diſcordantes? Angelicus, & Subtilis in Principijs non conueniunt, conſequenter in Concluſionibus toto marte differunt, & vnus ſemper negat, quod ſemper alter affirmat: Si ergo nulla Conuentio inter Angelicos, & Subtiles; quam Pacem inter eos ſpirat Proles iſta Bonherbæ? Audi ò Zoyle; ad tuam interrogationem iam reſpondi in prima Epiſtola alterius Operis Methaphiſicalium diſputationum: nunc pro tua ſatisfactione maiori ſuperaddo, quod Corona Sacra Hyſpaniarum Regis nunquam in Stegmate Lilia tulit, ſicut Chriſtianiſſimi Regis Corona Gallorum nunquam Auſtriaca arma portauit; & tamen hiſce temporibus, (quæ Regio intercedente Matrimonio Beata dicuntur) & Gallus cantat Hiſpanicè, & Aquila grandis

magna-

magnarum alarum cum Gallo coronata triumphat. Non diſſentio, quod Diuus Thomas nunquam Scoticè, nec vnquam Subtilis ſit loquutus Angelicè: ſed illa intercedente Columna, quæ Cæli Auguſtinenſis eſt sblendor, & lumen, fit manifeſtè, nec Angelicum poſſe Scotico Iuditio contradicere; Nec Subtilem Angelicam ſententiam non approbare: poſſe vero Neutrales vtrorumq; Doctorum Beneplacita ſubſtinere. Quod ſi rogabis iterum; Quæ ſit iſta Columna, cuius Doctrina Angelicus ſit Subtilis, & Subtilis Angelicus? Bonherba reſpondet. Illius Præclariſſimæ Sobolis eſt iſta Columna, quæ innumeris Veritatis Teſtibus a Trayano Imperatore per eius Filium Vlpium Eburnum traxit Originem. Illius Præclariſſimæ Sobolis eſt iſta Columna, quæ Tres Summos dedit Eccleſiæ Pontifices Maximos, nempe S. Marcellum, Adrianum Primum, & Martinum Quintum: Cardinales vnum ſupra triginta. Beatas Margaritam, & Agrippinam, atque tot Archiepiſcopos, & Patriarchas; Tot Proreges, & Principes; Tot Doctores, ac Duces, vt in hac breui non poſſint numerari pagella. Illius Præclariſſimæ Sobolis eſt iſta Columna, quæ cum Agnete Filia Imperatoris Alberti: cum nupta Andreæ Vngariæ Regis: Cum Aloyſia Ducis Lorenæ genita, Regiſque Galliæ Nepote: Cum Maria nata Riccardi Secundi Britanniæ Regis; Cum Ioanna Pronepta Ferdinandi Regis Neapolis: & cum alijs innumeris Vrbis, ac Orbis Primæ Nobilitatis Principibus ſua ſemper coniugia cælebrauit. Illius tandem Præclariſſimæ Sobolis eſt iſta Columna, quæ genuit Auguſtino, eiuſque Eccleſiæ Beatum Cardinalem ÆGIDIVM Romæ ornamentum: Ordinis Æremitici sblēdorem, & lumen: Columnēſium Iubar inſigne, Illuſtriſſimam Italiæ Gemmam: Regum delitium, & ſolatium: Purpuratorum ſingulare exemplar: Doctorum omnium sblendidam lucem; Vtriuſque Scholæ præſertim fundamentariæ Defenſorem, & Principem; ſuæ Religionis Miraculum grande; Accademiarum Oraculum non ſecundum, &

Fidei denique Orthodoxæ ſtabile fundamentum, & firmum. Huius Columnæ eſt quidem Doctrina, qua ne dum Angelicus ſit Subtilis, & Subtilis Angelicus, ſed quicunque Ægidianus ſit, ſimul Angelicus, & Subtilis: In iſtoque ſenſu Liber hic meus Pacem ſpirat inter Sanctum Thomam, & Scotum, tibiq; traditur Pacifico Nomine Titulatus. Nec ignoro, quod hiſce temporibus tot tantiſq; ſapientiſſimorum Virorum omnes Biblioteca plenæ ſint Libris: Sed ſcio quoq;, quod inter Cælorum luminaria magna etiam errãtia Sydera lucent; in Menſis Principum, magnorumq; Regum inter pretioſas Epulas, & Fercula prælibata non dedignantur ſimul apponi crudæ Bonherbæ; Igitur non diſpliceat, inter tot Magnatorum Volumina Patrum, & Bonherbæ hunc Librum manu tangere, & aperire; aperuiſſe fortè, & legiſſe, aliquando placebit; Quod ſi proſpexero, hunc placuiſſe, expecta poſt eum Totius Theologiæ Scolaſticæ Summam, Tribus tantum Voluminibus perſoluendam; Cui (Domino concedente) præmictam pro omnibus diebus Quadrageſimæ prædicanda Problemata Sacra, cum quinque Sermonibus de Cruce pro Ferijs Sextis Martij, & duabus concionibus pro D. Ioſeph, & Glorioſa Annuntiata Virgine Cæleſti coniugio deſponſatis; in quibus, & ſi Rudi eloquio diſcurram, atq; vulgari, non erit tamen inutile, pro Abſtinentia Quadrageſimali Fidelium animos paſci Radicibus crudis, Acerbiſque Bonherbæ. Vale.

AP-

APPROBATIO REV. ADMOD. PATRIS F. PETRI à Santo Hyppolito Carmelitæ excalceati Examinatoris Synodalis, & Reuiſoris operis pro Illuſtriſſimo Archie- piſcopo.

E*Gidianum Propugnaculum* Reu. Admod. Patr. Mag. *Raphaelis* Bonherbæ *In Octo Libros Phiſicorum, de Cælo, & Mundo, de Generatione, & corruptione, atque de Anima*, non ſine magno animi delectu peruolutaui, cum mille clypeos ex eo pendere, omnem fortium armaturam, conſpexiſſem, hoc eſt Angelici Aquinatis, ac ſubtiliſſimi Scoti Doctrinã; artem, methodum, profunditatem, concordiamque demiratus; ipſum dicere ſcientiarum propugnaculum, non ſum veritus, in quo tam concinnè tot inter ſe veluti diſcrepantes conciliantur ſententiæ, vt non niſi vna, eademque mens eſſe videatur; pares animo, aſſides corde, doctrinæ ſubtilitas oſtẽdit; & quod cernitur, concordiam redolet, ac vnitatem in ſcientijs præoptandam; legi, reuolui, nec parum ſum delectatus.

F. Petrus à Santo Hyppolito Carmelita excalceatus.

Appro-

Approbatio *Reuer.* adm. in *Chriſto Patris* olim Authoris Magiſtri, & ſine pari *Præceptoris* pręcipui, nunc vero *I*lluſtriſſimi Epiſcopi Buyanenſis F.Don Cæleſtini Bruni Veruſini Neapolitani.

LAudare opus adeò laborioșè compoſitum, omnibuſque numeris abſolutum *in octo Phiſicorum Libros, de Cælo, & Mundo, de Generatione, & Corruptione atque de Anima* Reuer. *P*atris Mag. Raphaelis Bonherbæ à S. *P*hilippo, non exiſtimo meum, vt pote quęm olim ſtudioſiſſimum, & præ cæteris lyceorum, quibus pręfui, ferè ſingularem diſcipulum ſemper amaui, & ſummopere colui; nunc factum adultũ doctiſſimum, & ſupra magiſtrum ſum dæmiratus: aſt quia vrgẽtur *P*atris, & *Præ*ceptoris viſcera, iterum filium, diſcipulunque Genitụra per laudem, labores hoſce tam exacta diligentia, & Ægidianę Doctrinæ puriſſima intelligentia defatigatos pro componendis eximijs D. Thomæ, & Scoti ſententijs, ne dum probandos, & approbandos exiſtimo, ſed mærito comendandos, præloque citiſſimè, reliquis ſeruatis, ad omnium ſcholarum vtilitatem exhibendos. Datum Romæ, &cet.

Ego

EGO INFRASCRIPTVS IVSSV REVERENDISS.
Patris F. Petri Lanfranconij Vicarij Generalis
per legi Opus inſcriptum.

EGidianum Propugnaculum D. Thomæ, & Scoti in Octo Phiſicorum libros, de Cælo, & Mundo; de Generatione, & corruptione, atque de Anima à Reu. Patr. Mag. Raphaele Bõherba cõpoſitũ, attẽtè legi, nihilque in eo reperi, quod Fidei Catholicæ, nec bonis moribus aduerſetur, ac proinde dignũ cenſeo, vt in vſum comunem, ſtudentium vtilitatem, & ipſius Authoris laudem, quam etiam ex altero thomo Methaphiſicæ conſequutus eſt ſingularem, quam primum in lucẽ ædatur. Datum Panhormi die prima Decembris 1660.

Mag. Fr. Auguſtinus Trabuccus Panormitanus totius Prouinciæ Siciliæ, ac Melitæ Prior Prouincialis.

EX Commiſſione Reuerẽdiſs. Patris Mag. Petri Lanfranconij Vicarij Generalis vidi Opus inſcriptum. *Ægidianum Propugnaculum D. Thomæ, & Scoti in Octo libros Phiſicorũ, de Cælo, & Mundo, de Generatione, & Corruptione, atque de Anima* ab adm. R. Pat. Mag. Fr. Raphaele Bonherba compoſitum, illudque euoluendo, actentè per legi, Opus quidẽ excelſum, in quo nihil eſt, quod Sacro ſanctæ Fidei, ſaniſq; moribus refragetur; quod autem ſuffragetur, multa continet, Doctrina quamuis ſit eadem ipſa fundatiſſimi Doctoris noſtri Ægidij, ita tamen eſt in ſua perſpicuitate profunda, vt nec profunditas claritati officiat, nec claritas ſubtilitatẽ excludat, ex qua facili, ac ingenioſa Mæthodo Angelicũ ſimul defẽdit, & ſubtiliſſimũ: vnde ſtudioſi ſimul in vno Thomiſticã, & Scoticã lucrãtur doctrinã: Typis igitur Opus hoc digniſſimũ cenſeo. Datũ Panormi. die 1. Decemb. 1660.

Mag. F. Antonius Emanuel Panormitanus.

MAG. F. PETRVS LANFRANCONIVS

Vicarius Generalis, exiſtente in diſcurſu Viſitę Reuerendiſs. P. Mag. Paulo Lucchino Peſaurienſe Totius Æremi Auguſtinenſis Priore Generali.

*R*euerendo, nobiſque in Chriſto dilectiſſimo *P*. Mag. F. *R*aphaeli Bonherbæ à Sancto *P*hilippo eiuſdem ordinis, ac voti ſalutem.

VT Opus ſumma cum diligentia a te elucrubatum, ac pari laude comendatum ab Eruditiſſimis noſtris *P*atribus, quibus eiuſdem commiſimus cęnſuram, Typis ædere valeas, facultatem impartimur, quatenus ad nos ſpęctat, & D.D. Superiorum conſenſu obtento: quin imo, vt idem Opus ad Dei gloriam, Religionis noſtræ decorem, ſtudioſorum omnium ęmolumentum, Thomiſtarum, & Scotiſtarum compoſitionem, atque Ægidianorum profectum publicæ luci exponere ſedulo procures, tibi præcipimus, & mandamus in virtute Spiritus Sancti. Datum *R*omę Die 8. Septembris 1660.

*I*NDEX

INDEX

QVÆSTIONVM, ET DVBITATIONVM huius primæ Partis

EX PRIORI

TRACTATV

de Corpore Mobili ſimpliciter.

De Prohæmialibus ad Philicam.

Qvę nam ſit Ratio Materialis obiecti Philoſophici, Corpus ne, vel Ens? pagina 3.

V. Ratio formalis Obiecti Philoſophiæ ſit Mobilitas, vel Naturalitas? pag. 7.

De Principijs Corporis Mobilis in comuni.

An, & quomodo diſtinguantur Principium, cauſa, & ęlementum? pag. 31.

Quid ſit Principium in tota ſua latitudine? pag. 35.

V. Prioritas ſit de Intrinſeca ratione cuiuſcumque Principij? pagina 36.

Quomodo in Diuinis Principium dicatur reſpectu Diuinarum Perſonarum, & Creaturarum, vniuocè ne, vel Analogicè? pag. 40.

Quomodo Principia Phiſica fuerint à Philoſopho diffinita, & an rectè? pag. 43.

V. Diffinitio Principiorum ab Ariſt. tradita competat principiis Phiſicis vniuocè, vel analogicè? pagina 45.

De Numero Principiorum.

Quot ſint Principia Rerum natura-lium in fieri? pag. 48.
V. Princpia Phiſicalia in facto eſſe ſint tantùm Duo? pag. 53.

De Proprietatibus Principio-rum Phiſicalium.

V. Verum ſit, quod Prima Principia ſemper debeant permanere? pagi-na 58.
V. Prima Principia ſint contraria? pag. 59.

De Principijs Phiſicis in Par-ticulari.

De Materia.

Qua ratione naturali probari poteſt dari in rebus Materiam primam? pag. 63.
Quid ſit Materia, & quomodo ab Ariſtotele diffiniatur? pag. 65.
In quo Genere ſit Materia, & an in tali genere ſit quid completum completione alicuius compoſi-tionis phiſicę? pag. 71.
V. Materia ſecũdum ſe ſit in aliqua ſpecie completa complectione cõ-poſitionis ex Genere, & differen-tia? pag. 72.
V. Materia ſit vna numero ſimpli-citer? pag. 76.
V. Materia de ſe habeat aliquẽ ac-tum realem, quem vocant Enti-tatiuum? pag. 78.
V. Materia habeat peculiarem actũ ſubſiſtentiæ? pag. 84.
V. Potentia paſſiua ſit de eſſentia Materiæ? pag. 86.
V. Materia prima ſit potentia acti-ua? pag. 91.
V. in Materia prima ſit ingenerabilis, & incorruptibilis? pag. 92.
An, & quomodo Materia ſit princi-pium corruptionis? pag. 94.
V. Materia appetat omnes formas, etiam in particulari? pag. 96.

De Forma.

An forma ſit, Quid ſit, & Quotu-plex? pag. 98.
An forma ſubſtantialis fiat ex nihilo ſui, vel aliquid eius lateat in ma-teria? pag. 101.
An formæ, quæ conproducuntur cũ Materia, dicantur etiam æduci de potentia materiæ? pag. 106.
An formę accidentales præſertim in-tentionales æducantur de poten-tia ſubiecti? pag. 112.
An in productione formarum inten-tionalium Agens ſit ſola forma, vel compoſitum? pag. 116.
V. forma habeat ſuum actum ſpecia-lem exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ? pa-gina 118.

De Materia, & Forma ſibi mutuo comparatis.

V. Materia ſit de ſe cognoſcibilis ſi-ne

ne vllo ordine ad formã? pa. 119
V. Materia prima habeat peculiarẽ exiſtentiam, & ſubſiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia, & ſubſiſtẽtia formæ? pag. 122.
V. Materia prima ſaltem de potentia Dei abſoluta poſſit exiſtere ſine omni forma? pag. 128.
Quænam Forma prius recipiatur in Materia ſubſtantiales ne, vel accidentalis? & an Quantitas ſit coęua materiæ? pag. 132.
V. in vna, & eadem materia ſaltem ſupernaturaliter poſſint eſſe plures Formæ ſubſtantiales diſparatæ? pag. 138.
An ſaltem in Materia ſint ſimul plures formæ ſubſtantiales ſubordinatę, quarum vna ſit diſpoſitio ad aliam? vbi de forma Corporeitatis? pag. 143.
V. vna, & eadem forma ſubſtantialis poſſit eſſe in diuerſis materijs? pag. 154.

De Materia, & Forma ſimul vnitis.

V. Materia, & forma vniantur ſeipſis, vel per aliquem modum diſtinctum ab vnitis? pag. 160.
Quid ſit vnio ſubſtantialis, & quomodo ab vnitis diſtinguatur? pagina 164.
V. Vnio modalis ſit vna tantum, quæ ſolum recipiatur in materia, vel duplex, ita vt vna ſit in materia, & alia in Forma? pag. 166.
V. Totum diſtinguatur realiter a partibus ſimul vnitis? pag. 170.

De Priuatione.

An Tertium Principiũ Naturę, quod ab Ariſt. vocatur Priuatio, rectius à D. Auguſt. dicatur Ratio ſeminalis? pag. 178.
An ſit, & quid ſit Priuatio? pa. 179.
An Priuatio diſtinguatur realiter à materia; ita vt faciat compoſitionem realem cum illa? pag. 181.
Quotuplex ſit Priuatio, an vna tantũ pro omnibus formis, vel multiplex iuxta diuerſitatem formarum? pagina 184.
An Priuatio ſit Principiũ Generationis per ſe, vel per accidẽs? pag. 184.
An priuatio dicatur principiare, quãdo eſt, vel quando non eſt? p. 186.

De Natura.

V. Diffinitio Naturæ ab Ariſt. tradita ſit vndequaque perfecta? p. 188.
V. Materia ſit Natura? pag. 191.
V. Ratio Naturæ conueniat Formę tam materiali, quam ſpirituali, tã ſubſtantiali, quam accidentali? pagina. 194.
V. Priuatio ſit Natura? pag. 198.
Quomodo Natura dicatur de Materia, & Forma? pag. 199.
In quo Ars differat à Natura? p. 200.
V. Ars poſſit efficere opera Naturæ? pag. 202.

De Cauſis.

Quid ſit cauſa Phiſica in comuni? pagina. 206.

In quo cōſiſtat cauſalitas cauſæ Phiſicę in comuni? pag. 207.

Quotuplex ſit cauſa Phiſica? p. 213.

In quo conſiſtat cauſalitas cauſæ Materialis, & formalis tam quo ad ſe inuicem, quam reſpectu compoſiti? pag. 216.

De Cauſa Efficiente.

Quid, & Quotuplex ſit cauſa Efficiēs? pag. 218.

T. ſubſtantia creata ſit immediatè operatiua alicuius effectus? p. 221.

In quo conſiſtat cauſalitas cauſę efficientis in actu ſecundo? pag. 227.

An cauſę ſecundæ habeant veram efficientiam in productione effectuum, vel ſolus Deus totum efficiat ad præſentiam cauſarum ſecundarum? pag. 229.

V. Accidens poſſit attingere productionem ſubſtantiæ, ſeu an inſtrumentum poſſit attingere effectum Principalis Agentis? pag. 231.

V. Accidentia concurrant ad productionem aliorum accidentium vt cauſæ Principales, vel vt inſtrumēta? pag. 236.

V. Deus concurrat immediatè, & per ſe ipſum cum ſecundis cauſis ad omnes effectus earum? pag. 238.

V. Ideę, & exemplum reducantur ad Genus cauſæ efficientis, vel ad Genus alterius cauſę? pag. 243.

De Cauſa Finali.

Quid, & quotuplex ſit Finis, & an quilibet ſit cauſa? pag. 244.

V. Bonitas ſit ratio formalis conſtitutiua finis in actu primo? p. 248.

In quo conſiſtat cauſalitas actualis cauſæ finalis? pag. 253.

An finis moueat ſecundum eſſe reale, vel ſecundum eſſe cognitum, & intentionale? pag. 257.

Qui nam ſint effectus cauſæ finalis, ſeu an omnis operatio cauſæ efficientis ſit effectus cauſæ finalis? pag. 260.

Quæ nam ſint agentia, quæ agunt propter finem? pag. 263.

De cauſis, earumque effectibus ſibi mutuo comparatis.

V. Cauſę ſint ſibi inuicem cauſæ, mutuamque dependentiam habeant intrinſecè? pag. 266.

An vnus effectus ſaltem de potentia Dei poſſit pendere à duplici cauſa totali non ſubordinata ſimul, & ſemel? pag. 268.

An vnus effectus ſaltem ſucceſſiuè poſſit pendere à diuerſis Agentibus non ſubordinatis? pag. 273.

(§) x§x (§)

De

De Cauſis per accidens.

An detur caſus, & Fortuna? p. 274.
Quid ſit caſus, & Fortuna, & quomodo diſtinguantur inter ſe? pagina 275.
An ſit, & quid ſit Fatum? pag. 277.

De Paſſionibus Corporis Mobilis.

De Motu.

Quæ nam ſit formalitas motus, & an rectè Motus diffiniatur ab Ariſtot.? pag. 280.
An diffinitio Motus conueniat mutationibus inſtantaneis, vel tantū ſucceſſiuis? pag. 284.
V. Motus diſtinguatur a Termino ad quem, & à Mobili realiter, vel tantum ratione? pag. 286.
V. omnis motus realiter ſit in Mobili? pag. 289.
V. Actio ſit in Agente, vel in Paſſo? pag. 292.

De Infinito.

Quid ſit Infinitū Sincategorematicum, & Cathegorematicum, & quomodo vnum differat ab altero? pag. 298.
Quæ nam ſint Proprietates, & Attributa infiniti? pag. 301.
V. ſi eſſent plura infinita, vnum eſſet maius altero? pag. 302.
V. de facto detur in rebus aliquod infinitum, vel ſaltem dari poſſit per vires naturæ? pag. 304.
V. de potentia Dei abſoluta poſſit creari aliquod infinitum Cathegorematicum in genere Entis? pag. 307.
V. Saltem per Diuinam potentiam poſſit creari infinitum Sincathegorematicum ſecundum perfectionem ſubſtantialem? pag. 310.
V. ſupernaturaliter poſſit dari infinitum corpus, vel infinita linea? pagina 314.
V. per Diuinam potentiam ſit poſſibile infinitum in Actu in Genere Quantitatis diſcretę, vt infinitus numerus? pag. 317.
V. de potentia Dei abſoluta poſſit dari infinitum in actu in Genere Qualitatis, vt infinitus calor, vel infinita Gratia? pag. 324.
V. ſaltem in mente Diuina admittendum ſit infinitum in actu? pagina 325.

De Loco.

Quid ſit eſſentialiter locus, & an rectè ab Ariſt. diffiniatur? pag. 330.
An omnibus rebus competat, eſſe in loco? pag. 333.
V. vnum, & idem numero corpus poſſit ſaltem ſupernaturaliter, eſſe ſimul, & ſemel in pluribus adequatis locis circumſcriptiuè? p. 334.
V. plura corpora ſimul, & ſemel poſſint eſſe diuinitus in vno, & eodem loco? pag. 340.

De Vacuo.

An detur, vel dari poſſit Vacuum in Natura? pag. 343.
An ſi daretur Vacuum, poſſet in eo fieri motus naturaliter? pag. 345.
An Motus in Vacuo fieret in inſtanti? pag. 347.

De Tempore.

V. Tẽpus ſit verũ ens reale? pa. 350.
V. Tempus ſit realiter vnum, & idem cũ motu, vel realiter diſtinguatur ab illo? pag. 355.

De ſpeciebus Motus.

Ad quæ Prædicamenta ſit per ſe Motus? pag. 359.

De Vnitate, & diſtinctione Motus.

A quo deſumatur Vnitas Generica & ſpecifica motus? pag. 362.
A quo motus deſumat vnitatem numericam? pag. 366.

De Compoſitione Continui.

V. Continuum ſit compoſitum ex ſolis Indiuiſibilibus? pag. 367.
V. continuum ſit compoſitum ex ſolis partibus diuiſibilibus? p. 373.
V. Continuum ſit diuiſibile in ſemper diuiſibilia? pag. 377.

De modo incipiendi, & deſinendi Rerum tam permanentium, quam ſucceſſiuarum.

Quid, & quot ſint modi incipiendi, & deſinendi rerum? pag. 379.
Quomodo incipiant, & deſinant res permanentes, quę habent totum eſſe ſimul? pag. 380.
Cur forma permanens incipit intrinſecè per primum eſſe, & deſinit extrinſecè per primum non eſſe? pagina 382.
Quomodo ſaluari poteſt, quod forma permanens, quæ habet totum eſſe ſimul, deſinat in tempore? pagina 384.
Quomodo incipiant, & deſinant res ſimpliciter Indiuiſibiles? pag. 387.
Quomodo incipiũt, & deſinũt entia ſucceſſiua? pag. 388.

De Motu in ordine ad Mouentia.

An Mouens, & Mobile debeant eſſe ſimul, vel poſſit Agens agere, vbi non eſt præſens nec per ſe, nec per ſuam virtutem? pag. 390.

De Mundi Æternitate.

An Mundus de facto fuerit ab æterne

no? pag. 345.
An de Potentia Dei abſoluta potuerit Mundus eſſe ab Æterno quo ad omnes creaturas tam permanẽtes, quam ſucceſſiuas? pag. 398.

EX SECVNDO TRACTATV DE CÆLO, & Mundo.

De Obiecto librorum de Cælo, & Mundo.

V. Obiectum horum librorum ſit Vniuerſum in comuni, ſeu Corpus mobile ad ſitum? pag. 2.

De Quidditate corporis ſimplicis.

An Quidditas corporis ſimplicis rectè explicetur per carentiam cõpoſitionis ex alijs prioribus corporibus? pag. 5.

De Numero Corporum ſimplicium.

An corpora ſimplicia conſtituentia mundum ſint tantum quinque ſcilicet Cęlum, Ignis, Aer, Aqua, & Terra? pag. 8.
An de Potentia Dei abſoluta poſſint produci alia corpora ſimplicia vel numero, vel ſpecie diſtincta ab his, quæ modo ſunt? pag. 10.

De ordine ſimplicium corporum.

Quem ordinem ſeruent inter ſe quinque ſimplicia corpora? pag. 13.

De Vnitate, & perfectione Vniuerſi.

V. Totum Vniuerſum ſit vnum ens per ſe conſtitutum ex quinque corporibus ſimplicibus? pag. 14.
V. Vniuerſum ſit vndequaque perfectum? pag. 16.

De Figura Vniuerſi.

V. Figura totius Vniuerſi ſit rotunda, vel quatrata? pag. 17.

De Materiali compoſitione Cæli.

An Corpus cæleſte ſit compoſitum ex Materia, & Forma? pag. 18.
V. Materia cæli ſit eiuſdem rationis cum Materia ſublunarium. p. 25.

De formis Corporum cæleſtium.

V. Forma cæli ſit Anima, ita vt corpus

pus cęleſte ſit Animatum? pag. 39.
V. Ratione formæ corpora cęleſtia ſint incorruptibilia? pag. 33.
Quomodo vna forma cæli diſtinguatur ab alia? pag. 35.
Quomodo diſtiguātur Cęli ab Aſtris, & Planetis? pag. 39.
Quomodo cæli diſtinguantur ab elementis? pag. 41.

De Aſtris, & Planetis.

Quomodo moueantur, & quid ſint maculæ lunæ? pag. 43.

De Numero Cælorum.

An ſupra Cælum ſtellatū, ſeu Firmamentum, & ſub Cælo Empireo detur aliud cælum medium, quod ſit Aqueum, ſeu criſtallinum, ſitq; primum Mobile? pag. 44.
An ſub cælo ſtellato ſint alij cæli pro Planetis, & Aſtris errantibus, & quot illi ſint? pag. 48.

De *Motu corporum cæleſtium.*

V. cælum moueatur actiuè à Principio intrinſeco, vel extrinſeco? pagina 50.
V. Motus cæli ſit illi Naturalis? p. 52.
V. Cælum naturaliter, quieſceret, ſi ceſſaret motor ab actu mouendi? pag. 55.

De *luce cæleſti, atque etiā de ſcintillatione, & Eclipſi.*

Quid ſit lux, & quomodo differat à lumine? pag. 56.
V. Lux cęleſtis differat ſpeciē à luce horum inferiorum? pag. 58.
An verè Aſtra ſcintillent, & quę ſit cauſa ſcintillationis? pag. 60.
Quid ſit Eclipſis, & in quibus Aſtris poteſt contingere? pag. 61.

De Influentia cæli in hæc inferiora.

V. Corpora cęleſtia influant in hęc inferiora? pag. 63.
V. omnia corpora cæleſtia etiam immobilia, vt Empireum, agant in hæc inferiora? pag. 65.
Quæ nam Accidentia producantur ab Aſtris in hęc inferiora? pa. 68.
V. Cæli producant corpora tam diſpoſitiuè & per alterationem, quā effectiuè, & per Generationem? pag. 68.
V. Corpora cæleſtia poſſint attingere productionem Viuentium vita uegetatiua, & ſenſitiua? pag. 70.
V. Corpora cæleſtia poſſint agere in Animam Rationalem, eiuſque potentias ſcilicet in Intellectum, & Voluntatem? pag. 71.
V. Cæli influant in hæc Inferiora mediante Motu, ita vt ceſſante Mo-

motum cæli, ceſſarent etiã agere hęc inferiora? pag. 74.
V. Cęlum producat in hæc inferiora calorem, mediante luminę? pa. 78.
V. In cælis pręter Motum, lucem, & calorem ſint aliȩ Qualitates actiuæ, per quas cælum agat in hæc inferiora? pag. 79.

De Grauitate, & leuitate.

V. Grauitas, & leuitas ſint formæ ſubſtãtiales, vel accidẽtales? pa. 81.
V. Grauitas, & leuitas cauſentur à formis ſubſtantialibus tantum, vel tantum à primis Qualitatibus? pag. 83.
V. Grauitas, & leuitas ſint Qualitates realiter diſtinctę à raritate, & denſitate? pag. 84.
V. Omnes Grauitates, & leuitates tam in ſimplicibus, quam in mixtis ſint eiuſdem ſpeciei? pag. 85.

De Grauibus, & leuibus quo ad motum naturalem.

V. In motu Grauium, & leuiũ principium quo ſeu ratio mouendi ſit forma ſubſtantialis, vel Grauitas, & leuitas? pag. 88.
V. Grauia, & leuia moueantur à ſe ipſis, vel ab extrinſeco Generante? pag. 90.
An verum ſit, & vnde proueniat, quod Motus Grauium, & leuium ſit in fine velocior? pag. 95.
V. Grauia, & leuia Grauitent, & leuitent in proprijs locis? pag. 99.

De Motu Proiectorum.

V. Principium proximum, & immediatum in motu Proiectorum ſit ipſum medium, vel impulſus ipſi mobili à Proijciente impręſſus? pag. 100.

De Elemento Ignis.

An detur elementum Ignis, qui ſit ſub concauo lunæ? pag. 105.
V. Ignis in ſua ſphera moueatur motu circulari ad motum Orbis Lunæ, & an naturaliter, vel violenter? pag. 111.
V. Ignis in ſua ſphera luceat, & calefaciat? pag. 113.
V. Ignis hic inferior ſit verus Ignis, & eiuſdem ſpeciei cum Igne elementari? pag. 114.

De Methæoris Igneis.

V. Cometæ generentur ex Materia cæleſti, vel ſint potius ex Materia ſublunari? pag. 116.
V. Cometæ Generentur in cęlo, vel in Regione elementari? pag. 120.
Quo motu, & tempore generentur Cometæ? pag. 124.
Quid ſint Tonitrua, & quomodo fiãt, quæq; ſit cauſa illorũ? pa. 125.
Quid ſint fulgura, & fulmina? quodque diſcrimen eſt inter illa? p. 126.

De illis Metheoris Ignitis, quæ fiunt tum in Infima Aeris regione, tum etiam in viſceribus Terræ. pa. 128.

De Qualitate Regionū Aeris.

Quinam ſit Terminus, & Qualitas infimæ Regionis Aeris? pa. 132.
An Media Aeris regio ſit abſolutè frigida, & vnde illi adueniat frigiditas? pag. 2.
De Termino, & Qualitate ſupremæ Aeris regionis. pag. 134.

De Methæoris Aereis,

Quænam ſit cauſa materialis Ventorum? pag. 136.
Quæ ſit cauſa efficiēs Vētorū? p. 139.
Quot ſint genera Ventorum, quæque ſingulorū Proprietates? Vbi etiā de Turbine. pag. 140.
Quid ſit Iris, & qua de cauſa appareat ſic mixta coloribus? p. 141.

De Aqua, eiuſq; Methæoris.

Quomodo Aqua potuit in vnū locū reduci, vt appareret Terra? p. 143.
An Aqua in ſuo ſpeciali loco ſit altior Terra, vel è contra? pag. 146.
V. Globū ex Aqua, & Terra cōpactū habeat vnū, & idē centrū? p. 152.
V. Globū ex Aqua, & Terra cōpactū moueatur circulariter? p. 154.

De Aqua, quatenus eſt elemētum à Terra diſtinctum.

Vnde Aqua Maris traxerit originem in tanta copia? pag. 155.
V. Salſedo conueniat Aquæ Maris ab intrinſeco? pag. 156.

De Methæoris Aqueis.

Quid ſit Vapor, & an ſpecie differat ab Aqua? pag. 157.
Quid ſit Nubes, & Nebula, & quomodo ex pluuia aliquando potuit emitti lac, ſanguis, ferrum, lapides &c. pag. 158.
Quid ſit Ros, & Pruina, & quomodo hæc differant? pag. 159.
Quænam ſit cauſa niuis, Glaciei, & grandinis? pag. 159.

De elemento Terræ, eiuſque Methæoris.

V. extra mōtes, Planitiem, & Inſulas reperiatur alia Terra habitabilis, in qua fortè ſint Antipodes? p. 160.

De Methæoris Terreis,

Quænā ſit cauſa materialis, & efficiēs lapidum, & metallorum? pag. 161.
Quænam ſit cauſa præcipua Terræmotus? pag. 163.
Apologetica reſponſio pro Mag. Bōherba ad Mag. Laurentium Franciſcum Piſtorienſem. a pag. 12. Tract. prim. vſque ad pa. 30.

Indicis Quæſtionum in Prima Parte finis.

DISPVTATIONVM TOTIVS NATVRALIS PHILOSOPHIÆ

PROHÆMIVM

TOTIVSQ. OPERIS DIVISIO.

IN priori Thomo noſtri curſus ſpectantes ordinem ſcientiarum inter ſe, primum locũ dedimus Methaphiſicę, nunc earundem ſcientiarum ſeruãtes ordinem quo ad nos, Naturali Philoſophię tribuimus pręcellentiam. Quoniam vero ad diuerſitatem Sciẽtiarum non requiritur diuerſitas Obiectorum ſecundum eſſentiam, cum de vna eademque re bene poſſint eſſe plures ſcientiæ: & cum ſufficiat ea diuerſitas Intentionum ſecũdum eſſe comune, & ſub eſſe ſpeciali: propterea non erit inconueniens, vnum, & idẽ Obiectum cõſideratum ſub ratione comuni ſpectare ad vnam ſcientiam, & idem obiectũ ſub ratione ſpeciali ad diuerſam ſcientiam pertinere: Quod ſi ſpeciale, & comune ſufficiunt ad diuerſitatem ſcientiarum, multo magis ad diuerſitatẽ librorum vnius, & eiuſdem ſcientiæ eadem intentionum diuerſitas ſatis erit: cumque Naturalis Philoſophia tota ſit de Corpore mobili; ideo poſſumus ſic diuidere totius Naturalis Philoſophiæ libros; vt dicamus, in libris phiſicorũ principaliter intendi de Corpore mobili ſimpliciter, non contrahendo ipſum vel ad Sitũ, vel ad Formam: Reliquos vero libros eſſe de motu contracto, quia in lbris de Cęlo, & Mundo ſolum intenditur de Corpore mobili ad Situm, in libris de Generatione, & Corruptione de Corpore mobili ad Formã materialem, in libris tandem de Anima de Corpore mobili ad Formam, quæ eſt Anima. Diuidemus ergo ſecundum hunc thomum in quatuor ſequentes Tractatus.

Tractatus Primus. De Corpore mobili ſimpliciter, de quo per octo libros Phiſicorum.

Tractatus Secundus. De Corpore mobili ad ubi, de quo per quatuor libros de Cælo, & Mũdo.

Tractatus Tertius. De Corpore mobili ad formam materialem, de quo per duos libros de Generatione, & Corruptione.

Tractatus Quartus. De Corpore mobili ad formam, quæ eſt Anima. De quo per tres libros de Anima.

TRACTATVS PRIMVS

DE CORPORE MOBILI SIMPLICITER.

QVÆSTIO PRIMA

DE PROHÆMIALIBVS AD PHYSICAM.

INTER controuerſias Prohæmiales, quæ à Philoſophis agitari ſolent, nihil vel parum habet difficultatis illa dubitatio. An Philoſophia ſit ſcientia realis? id. n. indubitatũ eſt in omni Scola, cum Philoſophia propriè demõſtret, Corpora moueri per hoc, quod habeãt Naturã, à qua procedit omnis motus.

Nec habet difficultatem illa alia dubitatio. An Philoſophia ſit vnus habitus ſimplex ſecundum ſpeciem? nã illa diſtinctio de duplici. Obiecto formali, quam tradidimus in prohęmialibus Logicę, & Methaphyſicę, ſufficienter euacuat omne dubium:

bium: ea autem, quæ pertinent ad modum cognoſcêdi, & quod nã ſit primo Cognitum ab intellectu noſtro ſingulare ne, vel vniuerſale? in vltimo tractatu huius Operis acturi de Anima, quam diffuſius perſoluemus: ſolû in Prohęmialibus huius ſciẽtiæ poſſet eſſe difficultas. Quod nam ſit Totius Naturalis Philoſophiæ adequatû Obiectum?

DE OBIECTO NATVRALIS PHILOSOPHIÆ.

DVBITATIONES DVAE.

Dubitatio Prima. V. Ratio materialis Obiecti Philoſophiæ ſit Corpus, vel Ens?

Dubitatio Secunda. V. Ratio formalis Obiecti Philoſophiæ ſit Mobilitas, vel Naturalitas?

DVBITATIO PRIMA.

Quæ nam ſit Ratio Materialis Obiecti Philoſophici, Corpus ne, vel Ens?

1 D. Thomas 2. meth. lect. 2. & in Prohæmialibus phiſicorum docet, Obiectum materiale Philoſophię eſſe Ens, quod primo probat authoritate Philoſoph. 6. Met. textu 1. ſic dicentis. *Naturalis ſpeculatiua quadam perfectio eſt, ſed ſpeculatiua circa tale Ens, quod poſſibile moueri.* 2. id idem prob. rõne, quia Mobilitas, quæ eſt ratio formalis Primaria Obiecti Philoſophiæ conuenit aliquibus, ſcilicet Materiæ, & Formæ, quæ ſimpliciter nô ſunt corpora, ergo &c. 3. Philoſophia agit de Anima Rationali, quę omnino eſt ſpiritualis, & nullo modo corporea. 4. Ariſt. 6. Meth. text 3. ait. quod ſi nullæ eſſent ſubſtantiæ abſtractæ, phyſica eſſet prima Philoſophia, ergo tam Philoſophia

Opinio D. Tho.

Rationes Angelici.

ſophia, quam Metaphiſica agunt de Ente, cum eo tamē diſcrimine quod Methaphiſica conſiderat Ens abſtractum: Philoſophia vero Ens contractum ad eſſe mobile. Quinto nulla ſcientia probat, ſuum ſubiectum eſſe, ſed Philoſophia 6. phiſic. text. 32. probat, Corpus Mobile eſſe; ergo Corpus non poteſt eſſe Obiectum materiale Philoſophiæ, erit ergo Ens. Eandem ſententiam tuetur Noſter Alphonſus à vera cruce in 1. lib. phiſic. ſpecul. 2. concluſ. 3.

Scotiſtę aſſerūt obiectū materiale philoſophiæ eſſe corpus.

2 SCOTVS, & oēs defenſores Scholæ ſubtilis apud Maſtrium, & Bellutum in quæſt. Prohæm. art. 1. conſtanter defendunt. Obiectū materiale philoſophiæ eſſe Corpus ſubſtantiale, & ita referunt, docuiſſe ſubtilem in 6. Meth. q. 1. Cuius ſententiæ præcipua fundamenta ſunt huiuſmodi. Primum deſumitur ab Ariſt. in 6. Meth. cap. 1. ſic dicente. *Etenim eſt Philoſophia circa talem ſubſtantiam, in qua principium eſt motus, & ſtatus*. & 11. Meth. cap. 1. ait. *Eſt Naturalis ſcientia circa ea, quæ in ſe principium motus habent: & ſunt corpora natura conſtantia*. Secundum Scoticum fundamentum ſumitur à Ratione, quia in Philoſophia Naturali quod primo & per ſe cōſideratur, eſt Corpus ſubſtantiale; cætera vero in gratiam eius, ergo Corpus eſt Obiectum materiale Philoſophiæ. Prob. antecedens, nā in 1. Phyſic. nō conſiderantur principaliter niſi principia Corporis mobilis, & in 3. lib. explicatur eſſentia, & Natura eiuſdem Corporis, in alijs tandem libris non tractantur per ſe niſi Paſſiones Corporis Mobilis, & quæ alia conſiderantur, ſunt tantum in gratiam eiuſdē Corporis. 3. Obiectū formale Philoſophię eſt Mobilitas, ergo Obiectum materiale eiuſdem ſcientiæ erit Corpus. prob. conſequentia, quia Mobilitas ſimpliciter, & immediatè conuenit Corpori, & è contra omnis Subſtātia Corporea ſimpliciter eſt mobilis: Vnde Philoſ. 6. Phiſic. text 32. ſtatuit. Omne Corpus eſſe mobile, & omne mobile eſſe Corpus.

Fundamenta Scoti.

Sententia Ægidij.

3 AEGIDIVS in Prolog. ad octo lib. phiſic. aſſerit, in Naturali Philoſophia rationem materialem eſſe Corpus, nō Ens; Sicq; ait ibid. *Sed vt teneamus poſitionem, quam melius intellectu capimus, dicemus, in Naturali Philoſophia ſubiectum eſſe Corpus Mobile, nō Ens Mobile*. Idq; probat primo, quia

ſi ens Mobile eſſet ſubiectum in Phiſica, ſequeretur; quod Philoſophia Naturalis vel eſſet Metaphyſica, vel pars Metaphyſicę: ſed vtrumque horum eſt falſum, ergo &c. probatur ſequela, ſupponendo prius, quod Ens nō contrahitur ad modum Generis, ita vt per Differentiam ſibi additam conſtituat ſpecialem modum Entis; ſicuti quodlibet Genus per differentiam ſibi ſuperadditam conſtituit Speciem: in tali enim additione ſemper additum eſt extra rationem eius, cui fit additio: vnde quælibet Differentia eſt extra rationem Generis: ſi igitur Ens contraheretur per Differentiam ſuperadditam, tunc talis Differentia non haberet rationē Entis, & propterea in 3. Methaph. dicitur, quod ſi Ens haberet differentias, eius differentiæ eſſent nihil: modus ergo contrahendi Ens eſt per diuerſos modos eſſendi. Hoc ſuppoſito prob. ſuperior ſequela. Ad illam Sciētiam, ad quam pertinet, conſiderare de Ente, ad eādem pertinet, conſiderare de diuerſis modis eſſendi, & de omnibus partibus Entis: ſed dicendo Ens Mobile, Ly mobile eſt quidam ſpecialis modus eſſendi, ergo ad Metaphyſicam, ad quā pertinet, agere de Ente, pertinebit etiam, cōſiderare Ens Mobile, & ſic ſi ſubiectum Naturalis Philoſophiæ eſſet Ens mobile, ſequeretur, quod Philoſophia Naturalis vel eſſet Metaphyſica, vel saltē pars Metaphyſicæ.

Ens nō contrahitur p differētiā ſuperadditam.

IVDITIVM AVTHORIS EX ÆGIDIO.

PRO DEFENSIONE

Vtriuſque Opinionis.

4 IN qualibet ſcientia ex Ægid. in 1. Metaphiſicæ q. 5. datur duplex ratio materialis, & vtraque Principalis; altera eſt Principalis prima, & per ſe: altera eſt principalis ex conſequēti: & quia vt videbimus in dubitatione ſequenti, Ratio formalis Obiecti Philoſophiæ prima, & per ſe eſt Mobilitas, quę immediatè profluit ex principijs Corporis: Nam quod eſt ſimpliciter, & per ſe Mobile; eſt etiam per ſe, & ſimpliciter Corpus, & è contra: vnde Ariſt. in loco citato pro vltimo argumento ſententiæ Thomiſtarum nō probat, Corpus Mobile

Ratio materialis prima, & per ſe eſt Corpus.

bile eſſe ;ſed omne Corpus eſſe Mobile, & è conuerſo: ideò ratio materialis prima, & perſe Obiecti Philoſophię eſt Corpus.

5 Cumquo etiã ſtat, quod Ens eſt quoque Ratio materialis principalis Philoſophiæ non quidem principalis prima, & per ſe, cum Mobilitas ſimpliciter, & immediatè ſolum dicatur de Corpore: ſed eſt Ens Ratio materialis principalis ex conſequenti: quatenus ſcilicet Ratio Entis ita clauditur in Corpore, vt omne Corpus ſit Ens; & poſt rationem Corporis ſola ratio Entis poteſt participare rationem Mobilitatis. Hanc doctrinã videtur etiã annuere Noſter vera Crux vbi ſupra ante reſponſionem ad argumenta.

Ratio materialis excõſequẽti eſt Ens.

RESPONDETVR IN FORMA ARGVNENTIS VTRIVSQ; SENTENTIAE.

6 AD D. Thomam generaliter dicimus, eius arguméta cõuincere de Obiecto materiali ex conſequenti. & sic primum deſumptum ab authoritate Philoſophi debet intelligi; ita vt sit ſenſus, quod Naturalis ſpeculatiua eſt circa tale Ens, quia eſt circa Corpus, quod eſſentialiter eſt Ens: ſicuti si aliqua ſciẽtia eſſet primo, & per ſe de Homine, talis ſcientia eſſet etiam de Animali, quod eſſentialiter clauditur in Homine. Ad ſecũdũ ex ratione dicimus, quod sicuti Materia, & Forma non ſunt mobilia per ſe, ſed ratione Corporis, cuius ſunt partes: ita nec ſunt Obiecta materialia primo, & per ſe Philoſophię, ſed ratione totius Corporis, quod conſtituunt in eſſe. Ad tertium Reſpondetur, quod Anima Rationalis quamuis non sit Corpus, eſt tamen Actus Corporis, & hac de cauſa cõsideratur à Philoſopho. Ad quartum bene Reſpondet Ægidius vbi ſupra, quod si non eſſent ſubſtantiæ abſtractæ, tunc vtique Obiectum Naturalis Philoſophię eſſet Ens: ſed rebus sic ſtantibus, vt modo ſunt, Ratio materialis prima, & per ſe Philoſophiæ nõ eſt Ens, quia sic Naturalis Philoſophia nõ diſtingueretur à Metaphiſica, ſed Ratio materialis prima, & per ſe eſt Corpus: Ratio vero materialis ex conſequẽti eſt Ens, quod eſſentialiter clauditur in Corpore. Ad quintum iam annuimus ſupra, quod ibi Ariſtot. non probat, Corpus mobile eſſe: ſed tantum intendit, omne Corpus eſſe mobile, & è conuerſo.

Soluũtur rationes D. Thomæ.

Ad

7 Ad Scotum dicimus, eius fundamenta concludere de Obiecto principali primo, & per ſe, quod vt vidimus cũ Ægidio, etiam eſt verũ: nec forma argumentorum aliud petit.

DVBITATIO SECVNDA.

V. Ratio formalis Obiecti Philoſophiæ ſit Mobilitas, vel Naturalitas?

Aperitur ſenſus quęſtionis. 1 NOn quærimus hic de ratione formali ex parte Philoſophiæ: quæ aliter ſolet vocari Ratio formalis ſub qua, ſeu Obiectum formale quo: nam certum eſt, hanc rationem formalem eſſe abſtractionem à materia ſingulari: ſed dubium eſt de Ratione formali ex parte Obiecti, quæ aliter dici ſolet Obiectum formale quod, ſeu Ratio formalis quæ, & quæritur, quæ nam illa ſit, an ſi Naturalitas, vel Mobilitas?

Sententia Diui Thom. 2 D. THOMAS in prohæmio phiſ. & 1. lib. Phiſ. lect. 1. docet, Rationem formalem Obiecti Philoſophici melius exprimi per ly Mobile, quã per ly Naturale, & eiuſdem ſententiæ ſunt ex Recentioribus multi præſertim Runius in Prohęmialibus huius ſcientiæ: Probatur hæc Opinio primo ex Ariſtot. 6. Metaphi. textu 1. sic dicente. *Naturalis ſpeculatiua quædam perfectio eſt: ſed ſpeculatiua circa tale ens, quod poſſibile moueri*. Secundo ratione. quia Ratio formalis Obiecti Philoſophiæ eſt habere in ſe principium motus, & quietis, quod expreſſius ſignificatur per ly Mobile, quam per ly Naturale.

3 SCOTVS eiuſq; Diſcipuli Rationẽ formalem Obiecti philoſophiæ dicunt, eſſe Naturalitatem: ita vt Obiectum Philoſophicum melius exprimatur per ly Naturale, quam per ly Mobile. Ita ex Scotiſtis Maſtrius, & Bellutus in Quęſtione Prohęmiali ad vniuerſam Philoſophiã art. 3. vbi quam plures referunt eiuſdem ſcholæ. Prob. hæc ſententia primo ex refutatione aliarũ Opinionũ, quia Ratio formalis Obiecti Philoſophiæ non poteſt eſſe Generabilitas vel Corruptibilitas: cum Philoſophia Naturalis ſe extendat etiam ad Corpora incorruptibilia: nec poteſt eſſe Mobilitas quomodocumq; ſumatur: nam Mobilitas ſumpta formaliter pro Paſſione cum ſit accidens, non poteſt vt ſic eſſe Obiectum formale Philoſophiæ, alias hæc ſciẽ- Sententia Scoti.

tia naturalis non conſideraret quidditatem, & eſſentiã Rerum Naturaliũ; ſed tantum Accidentia; quod eſſet contra Ariſtotelicos, qui ãgẽtes de rebus phiſicis nõ ſolum conſiderant motum, eiuſq; ſpecies, ſed etiam principia, cauſas, & elemẽta Rerum Naturaliũ; & propter eandem rationem excludi debet à ratione formali Obiecti philoſophię Sẽſibilitas; quia hæc per ſe nõ eſt Subſtãtia, ſed Accidens: Quod ſi Mobilitas ſumatur pro principio radicali mobilitatis, nec illa rectè ſtatui poteſt pro Obiecto formali Philoſophiæ, quia Philoſophus conſiderat eſſentiam rerum Naturaliũ adequatè, quatenus nimirũ eſt principium omnium affectionum, & nõ tantum quatenus eſt principium radicale motus: reſtat igitur, quod pro ratione formali Obiecti Philoſophiæ debeat aſſignari ſola Naturalitas, quæ cum dicat Naturam, quæ eſt principiũ motus, & quietis; omnes exprimit paſſiones. Secundo: Hæc ſcientia dicitur Naturalis, ergo eſt de Corpore Naturali. Tertio. Cælũ Empireum eſt Corpus phiſicum, & Naturale, & tamen non eſt Mobile. ergo &c. Probatur antecedẽs, quia Empireum eſt ſedes Beatorũ; qui ſunt in ſumma quiete. Idem argumentum fieri poteſt de Terra; quæ eſt Corpus phiſicum, & tamen non eſt mobilis.

4 AEGIDIVS tum in Prohæmio Phiſicorum, tum etiã in prologo lib. de Gener. & Corrup. manifeſtè docet, Rationem formalẽ Obiecti Philoſophiæ eſſe Mobilitatem. Sic enim loquitur in Prolog. ad 8. lib. phiſ. *Non fruſtra dicimus, Corpus mobile in eo quod mobile eſſe ſubiectum Naturalis Philoſophia: nã per hoc quod dicitur Corpus Mobile, ſeparatur Phiſica à Methaphiſica; quæ magis eſt de ſubſtantijs abſtractis, quam de Mobilibus: per hoc vero quod additur in eo quod Mobile, ſeparatur à Mathematica, quæ licet ſit de mobilibus, non tamen eſt de eis, vt Mobilia ſunt*. Et paucis interiectis, ſic proſequitur: *Poſſet hoc etiam aliter explicari, & fortè magis ad propoſitum: nam Mathematica, & ſi ſit de mobilibus; hoc eſt ſolum per accidens: nam in ea non agitur per ſe de motu, & tranſmutatione: Metaphiſica vero & ſi ſit de rebus mobilibus aliquo modo per ſe: non ita tamen principaliter conſiderat de eis, vt de Abſtractis; vnde vnus liber Me-*

Sententia AEgidij.

Methaphiſica eſt de ſubſtantia ſenſibili, & de rebus materialibus & mobilibus; tamen non eſt de talibus mobilibus, vt mobilia, ſed vt Entia: igitur per hoc, quod Phiſica eſt de Corpore mobili, ſeparatur à Mathematica, cui eſtraneū eſt, agere de motu: per hoc vero; quod additur in eo quod Mobile, ſeparatur à Methaphiſica, vbi & ſi agitur de mobilibus; hoc tamen non eſt in eo quod mobilia, ſed in eo quod Entia. hæc AEgidius.

IVDITIVM AVTHORIS EX ÆGIDIO.

PRO DEFENSIONE

Vtriuſque Opinionis.

5 IN Dubitatione præcedenti agētes de ratione materiali Obiecti Philoſophici, habuimus AEgidium magis adhęrentem Sententiæ Scoti, quam Diu. Thomæ: nunc agentes de Ratione Formali eiuſdem Obiecti, eundem AEgidium habemus magis fauorabilē D. Thomæ quam Scoto; ſicut autem in pręcedenti cū Doctrina AEgidij benè ſaluauimus vtramq; ſententiā, ita in pręſenti ſi eiuſdem AEgidij doctrinam rectè aduerterimus, non erit difficile, ita D. Thomę Opinionem defendere, vt à ſententia Subtiliſſimi non recedamus.

6 Duplex eſt ratio formalis obiecti in quacunque Scientia, altera eſt ratio formalis proxima, & immediata, quę eſt obiecti propria Paſſio; altera eſt ratio formalis remota, & principalis, quę eſt ipſa forma ſubſtātialis obiecti. Nunc ad propoſitum. Ratio formalis proxima, & immediata Obiecti Philoſophici eſt Mobilitas, quia nulla alia ſcientia pręter Naturalem Philoſophiam agit de rebus Mobilibus, vt Mobilibus: vnde AEgidius mox ſupra docuit, quod Naturalis Philoſofia per hoc ſolum diſtinguitur tum à Mathematica, tum à Methaphiſica, quia Mathematica & ſi agit de rebus Mobilibus; hoc tamen eſt per accidens, non per ſe, Methaphiſica vero & ſi per ſe aliquo modo agat de rebus mobilibus; de illis tamen non agit ſub hac ratione formali, quatenus ſunt mobiles, ſed quatenus ſunt Entia. Ratio igitur formalis proxima, & immediata Obiecti Naturalis Phiſicæ eſt Mobilitas, & hoc tantū intendit ſententia D. Thomæ. Ratio formalis proxima eſt mobilitas.

7 Ratio vero formalis pri-

cipalis,& radicalis eiuſdem Obiecti Philoſophici eſt Naturalitas, quia omnis motus prouenit à Natura, quæ ſola eſt principium omnis motus, & quietis, & in hoc ſenſu accipimus Sententiã Scoti.

RESPONDETVR in forma Argumentis

Vtriuſque ſententiæ.

8 AD D. Thomam dicimus, eius argumenta cõuincere, Mobilitatem eſſe rationem formalem, quæ eſt propria paſſio obiecti Philoſophici, non vero eſſe rationem formalem principalem, & radicalem, quæ ſit Forma Subſtantialis eiuſdem Obiecti.

Ratio formalis principalis, & radicalis mobilitas.

9 Ad Scotum Reſpondetur, Naturalitatẽ eſſe Rationem Formalem radicalem, & principalem eiuſdẽ Obiecti, & ad primũ in ſpeciali dicimus, ſolum probare, quod Mobilitas non eſt ratio Formalis Prima, & radicalis Philoſophiæ, quod verum eſt; non tamen oſtendit, Mobilitatem nõ eſſe rationem formalem proximam, & immediatam, ſeu propriã Paſſionẽ Obiecti Philoſophici. Ad Secundũ Reſpondetur, quod Philoſofia dicitur Naturalis à ratione formali principali, quæ eſt eſſentia Obiecti Phiſici, non à ratione formali proxima, quæ eſt eiuſdem Obiecti propria Paſſio.

Ad 3. alibi dicemus, quomodo Cælum Empireum ſit Corpus, & non ſit mobile: pro modo dicimus, cum Ægid. in 2. Sent. Diſt. 2. q. 2. Art. 3. in reſponſione ad Tertium, quod Corpus dicitur Naturale dupliciter, Primo quatenus eſt Cõpoſitum ex Materia, & forma, quæ dicuntur Natura, & hoc modo Empireum eſt naturale: Secundo dicitur aliquando Naturale, quatenus eſt affectum qualitatibus actiuis, & paſſiuis, & hoc modo Empireum non eſt Subſtratum cõtrarijs qualitatibus actiuis, & paſſiuis, alias eſſet corruptibile, & ſi dicatur, quod Natura eſt principiũ motus, & quietis, ergo ſi Corpus Empireum habet Naturam, erit etiam mobile. Reſpondendum eſt, quod Cælum Empireum poteſt dici mobile ſecundum locum, & aptum, vt moueatur, ſi hoc expoſceret ordo Vniuerſi, aſt quia Vniuerſi ordo id nõ requirit, ſed potius petit, ipſum quieſcere propter ſtatum beatorum

Quomodo Empireum poſſit dici mobile?

rum

rum: ideo Empireum quamuis ſit corpus Naturale, & aptum, vt poſſit moueri, actu tamen non mouetur.

9 Præterquã q̃ ex AEgid. vbi ſupra ad primum poteſt omne corpus eſſe mobile vel quatenus quantum, vel quatenus tale quantum. Cęlum Empireum quatenus quantum, & quatenus compoſitum ex materia, & forma eſt mobile: ſed quatenus tale compoſitum, & quatenus tale quantũ non eſt mobile. Ad illud de Terra dicemus in 2. Phiſicorũ, vbi explicabitur Diffinitio Naturę; pro modo dicimus, quod Terra licet non ſit mobilis Secundum locum: eſt tamen mobilis quantum ad alios motus ſcilicet vel Alterationis, vel Augmentationis.

10 Sed Petes, quod nam eſt Obiectum adæquatum in otto Libris Phiſicorum, qui ſunt vna pars Philoſophię Naturalis? nõ enim poteſt idem eſſe Subiectum totius, & partis Reſpõdetur cũ AEgidio in fine prohęmij ad 8. libros Phiſicorum, quod Obiectũ adæquatum totius Philoſophię Naturalis eſt Corpus Mobile Simpliciter Sũptũ ideſt Secundum omnem ſui acceptionẽ tam in Vniuerſali quam in particulari, quia ad Naturalẽ Phiſicum ptinet, agere de omni Corpore mobili Secundum omnem modum: At in otto Libris Phiſicorum Subiectum adequatum eſt Corpus mobile Sumptum Simpliciter, ideſt Vniuerſaliter tãtũ, nõ particulariter, quia conſideratio Corporis mobilis in particulari non pertinet ad 8. Libros Phiſicorum, ſed ad totam Philoſoſiam Naturalem.

HIC CONTRADICTA inſurgere non deſiſteret Mag. quidam ex noſtris Pater Laurentius Francius à Piſtoya, qui in prima parte ſui curſus Philoſophici incipiẽdo à Prologomenis, vbi agit de Obiecto Logicæ, & proſequendo per totam, nedum depreſſit noſtras Methaphiſicales reſolutiones (quod profectò parum fuiſſet, cum gaudeat Bonherba calcari) Sed adeò indigna, & contumelioſa contra nos protulit verba, vt non parum pudeat per os noſtrũ illa repetere: imo ſi per nos ipſos ad prædicti Aduerſarij reſpondere mus oppoſita, videremur ali quali ſuſpitione notari qua propter Quidam Doctor (qui Olim fuit noſter Auditor, cujuſque nomen mærito hic ſub Silentio prętmitur) à poſtrafando ad prę-

dictum Francium munus aſſumpſit, illumque demandandi ad Scientiarum Atletas, præſertim ad Præceptores Auguſtinenſes AEgidianæ Doctrinæ profeſſores, vt ab eis pro noſtra parte Magni AEgidij fundaméta Luſtrantibus reſponſionē accipiat, & plenam totius reſolutionis Sentétiam audiens, acquieſcat.

APOLOGETICA Reſponſio PRO MAGISTRO BONHERBA.

AD MAGISTRVM LAVrentium Francium Piſtorienſem.

IN hac Apologetica reſpōſione relata prius Oppoſitione eiuſdem Francij contra Bonherbam, Doctor incognitus cum eodem Frācio à poſtraſando diſcurrit; poſtea Pręceptores Auguſtinenſes AEgidianæ Doctrinæ Profeſſores magis, ac magis eiuſdē AEgidij fundamenta Juſtrantes, Francio pro Bonherba reſpondent, & tanquam Iudices Præſidentes quę fuerūt ex AEgidio Sumpta, atque ex Bonherba cōpacta in ſua firmitate pro veritate ſtabiliunt.

PRIMA OPPOSITIO Francij contra Bonherbam.

IN Prologomenis §. 3. vbi de cauſa materiali Logicæ poſtquam Francius inquit, Obiectum adequatū eiuſdem Logicæ eſſe conceptus rationis vt directiuos intellectus ad intelligendum, ſic clamitat contra Bonherbam.

Hac ſi animaduertiſſet Bonherba, numquam Subiectum adæquatum cū Subiecto Attributionis in via AEgidij cōfundiſſet, nec dixiſſet ex mēte EEgidij, ſubiectum adæquatum totius Logicæ eſſe Sillogiſmū, vt dixit tract. Primo in Logic. q. 1. Art. 2. Dubit. 3.

CVM FRANCIO APOſtraſat Doctor Incognitus.

PAter Franci ſi in Bonherba nec de Logicæ Obiecto notitiam inueniſti, audeo dicere, vel te eiuſdem Bonherbæ ſenſū non percepiſſe, vel potius Syllogiſmi naturam eiuſque am-

amplitudinem neſciuiſſe; audi Præceptores AEgidianos, à quibus ſententiam ferens, acquieſce.

AVGVSTINENSES Ægidianæ Doctrinæ Profeſſores

Ad Francium pro Bonberba Reſpondent.

VT in hac re quid pro veritate ſẽtiamus, innoteſcat, primo audiatur AEgidius in libro Vniuerſalium ſ. quæritur de Subiecto Logicę Pag. 1. col. 4. *Ad hanc quæſtionem contradicunt quidam; dicentes; quod Ens Rationis eſt Subiectum in tota Logica, quia hoc ibi de omnibus prædicatur: alij dicunt, quod hic ſit Subiectum Actus rationis, qui eſt triplex Scilicet Simpliciũ apprehenſio, Compoſitorum Intelligentia, & Intellectorũ collatio: alij dicunt, quod modus ſciendi, qui eſt ſimiliter triplex ſcilicet diffinitiuus, diuiſiuus, & collectiuus: ſed dicendum eſt, quod Syllogiſm⁹ nõ differt ab iſtis, prout etiam ponitur Subiectum: nam Syllogiſmus idem eſt, quod Actus rationis, quod Ens rationis, & quod Modus ſciendi: quia ſub Syllogiſmo omnes prædicti comprehenduntur materialiter. hęc AEgidius.*

Doctrina Ægidij.

Ex quibus deduci poteſt, Syllogiſmum ſumi poſſe dupliciter; primo Simpliciter idest tantũ Secundũ partes formales, & hoc modo non eſt Obiectum Logicæ adequatum, quia ſic non adequat omnia, quæ conſiderãtur in Logica: ſecundo adæquatè ſecundum omnes ſuas partes tam formales, quam materiales, & hoc modo nõ ſolum eſt Obiectũ Attributionis, propterea quod omnia, quæ conſiderãtur in Logica, attribuuntur Syllogiſmo, & in gratiam Syllogiſmi à Logica pertractantur, ſed etiam eſt Obiectum adequatum totius Logicæ, quia inter omnes Conceptus rationis etiam vt directiuos noſtri Intellectus ad intelligẽdum Syllogiſmus locum tenet præſtantiorem; & in illo omnes alij rationis actus comprehenduntur: Si ergo Obiectum adequatum illud eſt, quod includit rem conſideratam, & modum conſiderandi, Syllogiſmus adequatè Sumptus dici poterit Obiectum adequatũ totius Logicæ, quia ſic & claudit rem conſideratã .i. omnes Actus rationis, de quibus cõſiderat Logicus; & modum

etiam

etiam conſiderandi, quia validius præceteris actibus dirigit intellectum ad intelligendum. Si Pater Francius huius doctrinæ ſentit contrarium, Fūdamentis AEgidij non adhæret.

SECVNDA OPPOSITIO Francij contra Bonherbam.

IN Primo Libro Diſp. 3. de Terminis Sect. 1. §. 2. ſic Francius loquitur cōtra Bonherbam. *Bonherba Tract. 1. Pag. 1. n. diffiniens Terminum, ait, quod eſt extremum Signum, in quod reſoluitur Propoſito tanquam in Subiectum, & Prædicatū & addit, quod dicitur tanquam in Subiectum, & prædicatum ad differentiā copulæ, quæ propriè Terminus non eſt: vnde ad noſtrum argumentum diceret, illam propoſitionem non reſolui in ly eſt tanquam in Subiectum, & Prædicatum, & ideo ly eſt nō habere rationem Termini; ita aſſerit loco citato in ſua AEgidiana concordia, (corrigo calamum) diſcordia; quod diſplicet primo, quia in diffiniendo Terminū, confundit Diffinitionem cum Diuiſione, & ea, quæ ſunt mēbra diuidētia Terminum, ponit pro differētia diffinitis: Diſplicet ſecundo, quia in Epiſtola ad Lectorem ait, nec vnquam recedemus à Schola Fundatiſſimi AEgidij, & tamen in re tam clara oppoſitum aſſerit, tum Diffinitionē cum Diuiſione confundendo, tum etiā negando Ly eſt eſſe Terminum, cum Ex AEgidio ſit Terminus, & ſit Prædicatum. Sed Sileo, quia fortè tunc ſomniabat.*

Frācius contra Bonherbam.

CVM FRANCIO APOſtrafat Doctor Incognitus.

O Pater Franci cur agens de Terminis, terminos religioſæ modeſtiæ reliquiſti? quare Bonherbæ Concordiam ibi diſcordiam tu vocaſti? Si correxiſti calamū, & adhuc tam malè ſcripſiſti, quid ſi calamum non correxiſſes? dicas quæſo, quam cauſam habuiſti, vt non ſolum Diffinitionem Termini pro vt à Bonherba explicatam reprehenderes (licet indignè, vt mox infra monſtrabitur) ſed etiam ſui Operis titulum reprobares? ſi tu Bonherbę epiſtolam ad Lectores Legiſti, iam capere potuiſti, cur nomine AEgidianæ Cōcordiæ illud fuerit insignitum. Tui Operis titulum cuperet Bonherba luſtrari, nam illud

tu

tu nominaſti (*Curſus Philo-ſophicus*) & fortè prętendens currere cum Philoſophis, debilitatus ingenio per viā cum rudioribus Logicis remanſiſti. Si Bonherba in ſuo primo Tomo Methaphiſicam cùm Logica iunxit, eo id fundamento perfecit, quia munus aſſumpſit, explicandi Ens, quod eſt Obiectum Methaphiſicę, illudque Primo conſiderauit vt compoſitum compoſitionē Rationali ex Genere, & Differentia, ſecundo quatenus diuiſum in 10. Prædicamenta, & hac occaſione curſum compleuit pro Dialecticis, poſtea ididem Ens accipiens vt compoſitum ex Eſſentia, & Eſſe, directius Methaphiſici munus impleuit, cur igitur Bonherbam ſine vlla ratione piſtaſti? vis cauſam audire? ea non fuit, quia in diffiniendo terminum, Diffinitionem cū Diuiſione cōfudit, nec minus, quia ab AEgidij Doctrina vnquā Bonherba diſceſſit, nā vt mox AEgidiani monſtrabunt, eodem modo Bonherba Terminum diffiniuit, quo Ariſt. docuit, & AEgidius prænotauit; ſed vnde tuæ duppliſcis diſplicentiæ originem deſumpſiſti? non dicam, quia tam Verboſus plus Verbo tribuere voluiſti, quam expoſcebat Verbi natura: ſed quia cum eſſes cognomine Francius, etiam textus verā intelligentiam frangere voluiſti; Vnum tamen rectè feciſti, ſilere nimirum, ſomniante Bonherba, ſed id magis Bonherbę virtutem oſtēdit; nam ſi Somnians Bonherba te Frācium fecit ſilere, quid feciſſet Euigilans? Vis modo videre, nec Bonherbā in diffiniendo Terminum, Diffinitionē cùm Diuiſione confundere, nec à fundatiſſimi Doct. AEgidij Doctrina diſcedere? primo ex ore tuo te iudicabo, & afferam hic, quod tu ipſe ſcripſiſti in 3. Lib. tui curſus Philoſophici §. 3. vbi agens de Termino ſillogiſtico ex Ariſt. & AEgidio ſic dixiſti. *Terminus ergo ſic acceptus eſt ille, in quem reſoluitur Propoſitio tanquam in Prædicatum, & Subiectū; & ita AEgidius cū Ariſtot.* Audi deinde AEgidianos Præceptores, & proculdubio corruet tātorū Verborū calumnioſa tempeſtas.

AVGVSTINENSES AEGIDIANAE DOCTRINAE PROFESSORES.

Ad Francium pro Bonherba Reſpondet.

1 VT plenè omne dubiū Patris Francij eneruemus,

uemus, & Doctrinam Patris Bonherbæ in ſua firmitate relinquamus; vnum eſt ſupponendum, & aliud ſua valida ratione probandum. Quod ſupponitur eſt Teſtus Ariſtotelis, qui in Primo lib. priorum cap. 1. agens de Termino, ſic ait. *Terminum vero voco, in quem reſoluitur Propoſitio vt prædicatũ, & de quo prædicatur,* quorũ verborum ſenſus, & vera interpretatio ex mox dicendis infra patebit.

Diffinitio Termini ex Ariſtotile.

2 Eſt autem efficaci rõne probandum, quod Verbum, vt Verbum formaliter ſumptum ideſt vt ſignificat actionem, vel paſſionem tempore menſuratam, & quatenus expoſcit poſt ſe aliquem caſum, ſic in rigore non eſt Terminus, cuius ratio demõſtratiua, & à priori illa eſt, quia Verbum, vt Verbum formaliter ſumptum nõ eſt Prędicatum, ergo Verbum, vt Verbum formaliter ſumptum non eſt Terminus in rigore: de conſequentia nõ eſt dubitandum, quia ſolum Subiectum, & Prædicatum eſt Terminus: probatur modo antecedens. Verbum, vt Verbum formaliter ſumptũ eſt nota Prædicati, vt patet per Verbi Diffinitionem à Philoſopho tradditam, & ab omnibus comprobatam, ergo Verbum, vt Verbum formaliter ſumptum non eſt Prædicatum, quia nota rei non eſt res.

Probatur Verbũ formaliter ſumptũ nõ eſſe terminum.

3 Et propterea ſupra ait Philoſoph.; quod Terminus eſt, in quem reſoluitur Propoſitio vt prædicatum, & de quo prædicatur, vt excluderet à ratione Termini Verbum, quod formaliter ſumptum non eſt Prædicatum.

4 Bene verum eſt, quod Licet Verbũ formaliter nõ ſit prædicatum; materialiter tamen eſt prædicatum, tum primo, quia in propoſitione de ſecũdo adiacente ſtat loco prædicati, tum ſecundo quia ex ſui natura magis ſe tenet ex parte Prædicati, quam ſubiecti, ſicuti Participium quamuis propriè nec ſit Nomen, nec ſit propriè Verbum; magis tamen reducitur ad Verbum, quam ad Nomen; tum denique Verbum dicitur Prædicatũ, quia implicitè ſemper continet prædicatum, ſcilicet, illud Participium, in quod Verbum poteſt reſolui: cum enim dicimus in Propoſitione de ſecundo Adiacente: *Petrus eſt*. Ly eſt continet implicitè ſuum Participiũ, ſcilicet, Ens; quod propriiſſimè eſt prædicatum.

5 Et in hoc ſenſu intelligendus eſt Doctor AEgidius

cum

cum vel in Lib. Perhyermen. vel in Lib. Priorum dicit, Verbum Prędicari, vel eſſe Prædicatum, intellige de Verbo nō formaliter quatenus eſt nota Prædicati, ſed ſumpto materialiter, quatenus implicitè continet Prędicatum.

6 Ex his inferri poteſt primo, Patrem Bonherbam in diffiniendo Terminum non confundiſſe Diffinitionē cū Diuiſione, alias eandem cenſuram tribuere teneremur Philoſopho, qui loco ſupra citato ſub eadem forma Terminum diffiniuit.

7 Inferri poteſt ſecundo, Eundem Bonherbam in hac Diffinitione Termini à Doctrina AEgidij nō diſceſſiſſe: nam AEgidius nunquam docuit, Verbum formaliter ſumptum eſſe Terminum, & Prædicatum: cum id euidēter conſtet, eſſe contra naturam Verbi.

8 Et cum inquit, Verbum ſemper prædicari; id intelligendum eſt modo ſupra explicato, ſcilicet de Verbo materialiter ſumpto, quatenus implicitè continet Participium, quod propriiſſimè eſt Prædicatum.

9 Si Pater Francius non acquieſcit ad dicta, audiat AEgidium in lib. Perhyerm. cap. de Verbo pag. 51. §. quæritur, ad Primum, & Secundum ſic dubia reſoluentem. *Ad aliud cū exemplariter dicitur, curro eſt verbum, dico quod Verbum ibi non ſumitur formaliter, ideſt pro ſuo ſignificato formali, ſed ſumitur materialiter pro ipſa voce ſic diſpoſita, in quantum eſt quædam res: vnde cum dicitur, curro eſt verbum, ſenſus eſt; Hæc vox curro diſpoſita tali modo ſignificandi, eſt Verbum.* Hæc AEgidius; cum verbum ponitur à parte Subiecti, id idem dici debet, cum Verbum ponitur à parte Prædicati.

10 Subſequitur deinde AEgidius. *Ad aliud cum dicitur, notam rei non eſſe eandem rem, cuius eſt nota, concedo, & cum dicitur vlterius, quod Verbum eſt nota eorū, quæ de altero dicuntur, illud ſoluitur ſic, quod Verbum ſemper eſt nota eorum, quæ de altero dicuntur, ideſt omnia, quæ prædicantur, ſemper prædicantur per naturam Verbi.*

11 Ex his Ægidij verbis vltimo loco allatis conficitur Ratio. Omne, quod prędicatur, ſemper prædicatur per naturam Verbi, ergo Verbū formaliter ſumptum non eſt prædicatum, probatur conſequētia: quia ſi Verbum vt

MAG. BONHERBA

Verbum eſſet prædicatum, deberet Verbum prædicari per naturam Verbi, vel ergo prædicaretur per naturã alterius Verbi, & hoc non, aliàs infinitus proceſſus daretur in Verbis, vel prędicaretur per naturam ſui ipſius, & hoc neque, quia nota rei non eſt eadem cum re, cuius eſt nota, ergo natura Verbi, quod eſſentialiter eſt nota prædicati, non eſt eadem cũ natura Prædicati, quod eſſẽtialiter prædicatur per naturam Verbi. Sed contra Verboſos placeat, non amplius contendere Verbis.

TERTIA OPPOSITIO Franciÿ contra Bonherbam.

IN Libro Primo diſp. 3. de Terminis Sect. 3. ſ. Primo in fine ſic Francius inuehit in Bonherbam. *Hic acriter inuehendum eſſet in Bonherbam, qui tract. Primo diſp. 2. q. 3. art. 2. turpi impoſtura, & indigna viro vel terminos apprehendẽti AEgidio adſcripſit, quod primam intentionẽ putauerit, eſſe propriè, & in rigore Ens Rationis: & vt magis anſam inuehendi præbeat, profitetur, ſe antiquam ſententiam mutaſſe, vt hanc AEgidianam doctrinam amplecteretur: exultat, & penè Thiaſus debaccatur, & tamen ſomniat: nã in ea Quęſtione oppoſitum aſſerit, ſed ei adhuc parco, legat iterum, atque iterum AEgidium, vt in antiquam redeat Sententiam.* Hęc Frãcius contra Bonherbam.

Frãcius inuehit in Bonherbã.

CVM M. FRANCIO APOſtrafat Doctor Incognitus.

PAter Franci dum egiſti de prima Intentione Obiectiua, eãque formaliter Sumptã voluiſti eſſe realem, ſic in Bonherbam acriter inuehiſti, vt illum, & Virum indignum reputares, & terminos apprehendere neſcientem diceres, & turpi impoſtura adſcripſiſſe AEgidio, quod AEgidius nũquam docuit, proclamares: idque parum fuiſſet, niſi verecundiora ſine vlla verecũdia tu dixiſſes, vocaſti Patrẽ Bonherbam Virum Tiaſum, ideſt præexultatione Bacco Saltantem, eumque debaccatum quaſi præ ſuæ mentis furore nihil cõſideratè agẽtem voluiſti, & poſtea vt cuncta Vilipendia cumulares, eũ ſimul ſomniantem depinxiſti. O inaudita Debaccatio Somniata; dic precor ò Frãci, te quare non puduit, in

Reli-

Religioſum tui Ordinis Virum ſimilia obijcere Vilipēdia? quis vnquam ſomnians eſt debaccatus? Quomodo tu cognomine Francius, qui etiam vnita frangere ſoleuiſti: nunc Debaccationem cū ſomnio, quæ ſunt diſparata, iunxiſti? adiunxiſti ad dicta peiora prioribus, quia poſtquam Bonherbę ſic grauiter tu Læſiſti, ad huc illi Læſo parcere, & parcendo iterum Lędere voluiſti; Quid eſt Lædentem Læſo parcere nō erranti, niſi moſtruoſum Genus clementiæ? Tu ergo ò Franci, qui piſtaſti Bonherbam, & poſtea vt eum magis frangeres, peperciſti, tua hac Ferina Indulgentia tua met dedecora ſigillaſti: Si ad huc Bonherbam Debaccatum, & ſomniantem proclamare audes, audi primo Auguſtinum noſtrum ſine Pari Parentem. *Qui profert iniqua, iniquitate veſtitur*. Adi deinde ad Præceptores AEgidianos, vt Reſpōſionem tibi pro Bonherba ſignificent; & interim non dubites, ab aliena Veritate iugulari, qui à propria Falſitate metuiſti torqueri.

AVGVSTINENSES Ægidianæ Doctrinæ Profeſſores

Ad Francium pro Bonherba Reſpondent.

1 QVod Prima Intentio obiectiua formaliter ſumpta in Schola AEgidij ſit in omni rigore Ens Rationis, euidenti ratione monſtrabitur, ſi Primo certa ab incertis ſeparentur, & ea, quæ cauſa eſſe poſſūt AEquiuocationis, de medio tollantur: ſupponendum eſt igitur Primo, quod quęlibet res habet duplex Eſſe reale extra Animā, & vnum Eſſe Rationis cum duplici reſpectu ad Intellectum; quam doctrinam deſūpſimus ex AEgidio in quolibet 2. q. 6. cuius verba hic ponimus per extenſum. *Viſo igitur, quod diſtinctiones factæ non ſunt ſufficientes, diſtinguemus, quod res habet duplex eſſe reale, & habet tertium eſſe ſecundum conſiderationem: habet enim eſſe in ſuis cauſis, & ſic eſt in potentia; nulla enim Roſa exiſtente actu, eſt in potentia Materia, & in virtutibus actiuis, & paſſiuis, ex quibus tanquam ex proprijs cauſis* Doctrina AEgid j.

producitur Roſa. Tertio poteſt conſiderari Roſa, vt circa ipſam negotiatur Intellectus. Hæc AEgid. in fine prę dictæ quæſt; in corpore autē ſic diſcurrit. *Igitur res ſecundum eſſe Eſſētiæ, & vt eſt ſubiecta Intentioni Vniuerſalitatis, vel (quod idem eſt,) res quæ eſt Vniuerſalis, & vt eſt Vniuerſalis, habet eſſe Rationis, aliter tamen, & aliter; quia primo modo habet eſſe Rationis ſecundum Intentionem primam, ſecundo modo ſecundum Intētionem ſecundam.*

3 Vt ergo tollatur omnis occaſio ęquiuocandi, diſtinguendum eſt quatruplex eſſe, duplex reale, & duplex eſſe Rationis: primum eſſe reale dicitur eſſe Eſſentię, ſeu quidditatiuum: Secundum eſſe reale dicitur eſſe Exiſtentiæ ſeu eſſe ſuperadditum Eſſentię. Tertium eſſe eſt eſſe Rationis tanquā Prima Intētio, & eſt illud, quod cauſatur ab Intellectu per actum primum, & directum, Quartum eſſe eſt pariter etiā Rationis tanquam ſecunda Intentio, eſtque illud, quod cauſatur ab Intellectu per actum ſecundum, & reflexū.

4 Vt poſſit Frācius ſuo proprio gladio iugulari, legat ſe ipſum in primo Lib. diſp. 3. de Terminis ſect. 3. §. 2. & quia illud eſt verius teſtimonium, quod ab inimica voce profertur, placeat hic afferre, quod idem Francius habet Libro, diſputatione, & ſectione citatis §. primo, Verbo Rogas. vbi ſic ait. *Rogas, quid dicat Intentio in comuni, prout abſtrahit à Prima, & Secunda? Reſpōdetur, importare habitudinem, & relationem quamdam rationis Obiecti cogniti ad Intellectum cognoſcētem, quæ Habitudo ſi ſit ad Intellectum directè cognoſcentem, dicit primam Intentionem; ſi vero ſit ad Intellectum reflexè cognoſcentem, dicit Intentionem ſecundam.* Et ibidem Verbo Secunda ſententia. ſic loquitur. *Secunda Sententia eſt aſſerentium, Primam Intentionem Obiectiuam eſſe eſſentiam non ſecundum eſſe reale, quod habet, vel habere poteſt in re, ſed ſecundum eſſe Rationis, quod habet ex vi intellectionis directæ. Hanc Sētentiā docet AEgidius quodlibet 2. q. 6. & tribuitur Scoto, & vt vera eſt amplectenda: vnde pro reſolutione ſit Concluſio. Prima Intentio Obiectiua eſt res directè cognita ab Intellectu, quatenus in Intellectu habet quoddam eſſe Rationis.* Demum ibidem in Verbo Rogas, an hæc prima Intentio ſit dicē-

Frācius.

Aliᵘ locus Frācij.

3. locus Francij. da Ens Rationis, vel Reale? ſic reſpondet. *Reſpondetur, diſtinguẽdo ex AEgid. quodlibet.citato; nam aliud eſt loqui de Eſſentia, quæ terminat actum directum Intellectus, ſeu Primam Intentionem Formalem, aliud de eſſe, quod habet, vt exercet hunc actum terminandi: ſi Loquamur primo modo, ſic prima Intẽtio obiectiua eſt Ens Reale, vt Ens reale dicit Figurã Prædicamẽti: ſi vero loquamur ſecundo modo, ſic dico, quod illud eſſe, quod habet, vt terminat, eſt eſſe Rationis.* hęc habet Francius vbi ſupra.

4 Ex quibus poteſt colligi, quod Intentio adequatè ſũpta duo dicit, ſcilicet Rem ſeu rei eſſentiam, & dicit habitudinem eiuſdem rei ad Intellectum cognoſcentem, Ita vt Intentio in ſuo conceptu completo ſit res prout cognita, ſeu ipſa rei quidditas prout habet eſſe cognitum, in quo conceptu ipſa res vel rei eſſẽtia ſe habet vt ratio materialis, & fundamentum Intentionis: eſſe vero rationis, ſeu eſſe cognitum ſeu habitudo ad Intellectum cognoſcẽtem ſit ratio formalis eiuſdem Intentionis.

Conceptus cõplet' Intẽtionis eſt res pro vt cognoſcitur.

5 His præmiſſis, probatur ratione veluti demonſtratiua, Primã Intentionẽ Obiectiuam formaliter ſumptam eſſe ens Rationis. Prima Intentio obiectiua adequatè ſumpta eſt ipſa res vel rei eſſentia prout habet eſſe cognitum directè, ita vt ipſa res ſe habeat vt ratio materialis, & immediatum fundamentum primæ Intentionis obiectiuę: ipſum vero eſſe cognitum directè ſit ratio formalis eiuſdem Primæ Intionis obiectiuę; ergo prima Intentio obiectiua formaliter ſumpta in omni rigore eſt ens Rationis. de antecedẽti præſuppoſitis ſupradictis, non eſt amplius litigandum, conſequentia eſt infallibilis, quia ratio formalis primæ Intentionis non eſt ipſa res, ſeu rei quidditas, quæ directè cognoſcitur, cum hęc ſit potius Ratio materialis, & fundamentum immediatum Primæ Intentionis, ſed eſt ipſa habitudo rei cognitæ ad Intellectum directè cognoſcentem, ſeu eſt ipſum eſſe cognitum directè, vel ipſum eſſe Rationis cauſatũ ab Intellectu per actum primum, & directum: ſed totũ hoc in omni rigore eſt ens Rationis; ergo prima Intẽtio obiectiua formaliter ſũpta eſt propriiſſimè ens Rationis: ſicuti quidditas Actionis quamuis pro materiali dicat rem abſolutam, quia tamen

Probat. primam intẽtionẽ obiectiuam formaliter eſſe ens rationis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tamen pro formali dicit Relationẽ ad Agens, Actio formaliter ſumpta potius eſt quid reſpectiuum, quam abſolutum.

6 Poteſtq; fieri alia Ratio ad idem probandum, reſumendo prius doctrinam Patris Francij, quam ipſe habet pro ſolutione ad argumentum Bonherbæ in dicta diſp. 3. ſect. 3. §. 2. ſub his verbis. *Ad Argumentum Bonherbæ diſtinguo antecedens. Eſſe Eſſentia duobus modis ſumi poteſt vel intranſitiuè, vel tranſitiuè, primò modo eſt eſſe reale, vt realitas dicit quidditatem ſeu figuras Prædicamentorum: aſt ſecundo modo eſt eſſe Rationis, quia eſt eſſe, quod reſultat in eſſentia, vt eſt directè cognita ab Intellectu.*

Frãcius reſpondet ad quoddã argumẽtum Bonherbæ.

7 Ex his arguitur Sic. Eſſe Eſſentiæ tranſitiuè eſt propriiſſimè Ens Rationis: Sed prima Intentio obiectiua formaliter ſumpta conſiſtit in tali eſſe Eſſentiæ tranſitiuè, ergo Prima Intentio obiectiua formaliter ſumpta eſt Ens Rationis; Maior eſt Patris Frãcij in ſolutione iã adducta ad argumentũ Bonherbæ: minor eſt manifeſta, quia Ratio formalis primę Intentionis Obiectiuę non eſt ipſa res, ſeu rei quidditas, vel ipſum eſſe Eſſentię, quod Francius vocat eſſe Intranſitiuè, quia hoc eſt eſſe reale, eſtque ratio materialis, & fundamentum Primę intẽtionis Obiectiuę, ergo ratio formalis eiuſdem primæ Intentionis Obiectiuę cõſiſtit in ipſo eſſe rationis, quod ab eodem Francio vocatur eſſe eſſentiæ tranſitiuè.

8 Et ex hoc euidenter patere poteſt, Bonherbam nõ fuiſſe ſibi contrarium, ſicut Francius arguebat, nã quando ait Bonherba, in ſua Methaphiſica, quod eſſe Eſſentiæ eſt quid reale, independens, & non participatũ; Loquitur de eſſe Eſſentiæ quidditatiuo, quod ab AEgidio vocatur eſſe in cauſis, & ipſe Francius vocat eſſe eſſentiæ intranſitiuè: quando vero Idem Bonherba ait, eſſe Eſſentiæ eſſe Ens Rationis, loquitur de illo eſſe eſſentię, quod cauſatur ab Intellectu vel per actum primum, & directum, vt in Prima Intentione; vel per actum ſecundum, & reflexum, vt in Secunda Intentione.

Oſtenditur Bonherbam nõ fuiſſe ſibi contrarium.

9 Concluditur ergo, Primã Intẽtionem obiectiuam formaliter Sumptã eſſe in omni rigore Ens Rõnis, materialiter vero ſeu fundamentaliter eſſe Ens Reale, prout realitas dicit quidditatem, & Figuras Prædicamẽtorũ: atque

atque à Deo eſt noſtrum in hac cauſa Iuditium, Patrem Bonherbam nõ debuiſſe ſic indignè tractari.

QVARTA OPPOSITIO Francij contra Bonherbã.

IN Primo Libro cap. 6. de Prędicabilibus §. 3. Pag. 130. dubit. 7. Francius reſoluit, Vnitatem formalem in eodem ſuppoſito diſtingui ab Vnitate Numerica Secundum quid: poſtea cõtra Bonherbam ſic clamitat.

Frãcius contra Bonherbam.

Bonherba Tract. Primo diſp. 3. Pag. 217. dum cum AEgidio Scotiſtas, & Thomiſtas nititur conſiliare, à multis diſcordat, primo diſcordat ab AEgidio, qui admictit vnitatem formalem à parte rei & formaliter diſtinctam ab Indiuiduali, quæ dici debet realis, quatenus realitas ſupponit pro eſſe à parte rei, non quatenus ſupponit pro Exiſtentia excludente formalitatem alterius. Secundo à Scoto, qui in hoc eſt cũ AEgidio. Tertiò à ſe: nã hic aſſerit Vniuerſalia à parte rei habere eſſe formale, quod eſt eſſe Eſſentiæ; & iam dixerat, eſſe eſſentiæ eſſe quoddã Ens Rõnis, quod vocatur prima Intentio: ergo hoc eſſe non eſt à parte rei; & ſi eſſe Eſſentiæ eſt prima Intentio, & eſt quid rationis, quomodo hoc eſſe eſt diſtinctũ ab eſſe Rationis, vt hic aſſerit? Tandem. Qui aſſerunt, Vnitatem Formalem à parte rei, Loquuntur expreſſè de ea poſitiuè, ipſe vero ait, eos Loqui de Vnitate formali negatiuè, & per indifferentiam ad eſſe reale, & rationis, quę tamen comunitas, & indifferentia non eſt niſi per Intellectum abſtrahentem, & proinde nõ eſt à parte rei. O mirum cociliatorem à cuntis diſcordantẽ: ſed ei iterum parco.

AD FRANCIVM APOſtrafat Doctor Incognitus.

PLuries ò Franci pepercisti Bonherbę, ſed nũquam erranti, tibi ſemel parcat Deus, pluries Bonherbæ indignè lædenti, etenim fregiſti Bonherbam tot Verborum injurijs, eumque vt à toto mundo diſcordãtem piſtaſti, & in Bonherba ipſum met AEgidium grauiter offendiſti: quid Legiſti ex Bonherba compactum, quod ad vnguem non Spirarit AEgidiũ? Si tu Vnitatem formalem cum AEgidio à parte rei poſuiſti, eamque cum Scoto ab Vnitate numerica diſtinctam formaliter voluiſti: Pater Bonherba-

ba vtrãque Aſſertionis partem etiam cum D. Thoma apertè conceſſit: Imo profeſſores AEgidianæ Doctrinæ eundem Bonherbam, quem tu indignè vocaſti diſcordantem à cunctis, infra cum omnibus præſertim tecum concordaſſe monſtrabunt, & ſi tu ipſe Patrē Bonherbam (non ſine vitreis oculis, quos à Iuuentute portaſti) leges attentius, proculdubio & illum fideliſſimum AEgidianæ Doctrinæ ſequacem inuenies, & Magnum AEgidium eſſe mirum Vtriuſque Scholæ Defenſorem, non negabis. Audi Magiſtros AEgidianos.

AVGVSTINENSES Ægidianæ Doctrinæ Profeſſores

Ad Franciam pro Bonherba Reſpondent.

1 VT Patrem Bonherbam à pręſenti Piſtoyana calumnia liberemus, eumque non diſcordantē à cunctis, ſed mirè potius cum omnibus concordantem, demonſtremus, primo loco ſupponendum eſt, quodidem Pater Bonherba nedum expreſsè conceſſit à parte rei Vnitatem formalem, ſed illam etiam docuit, eſſe diſtinctam ab Vnitate Indiuiduali; id quod pluribus in locis ſuę Methaphiſicæ patere poteſt, Primo in diſput. 3. de Vniuerſalibus Pag. 214. num. 14. & 15. & ibidem Pag. 219. numero 2. Bonherba fatetur à parte rei vnitatē formalem.

2 Et quo ad primam partem, quod ſcilicet à parte rei extra Animā detur Vnitas formalis, Bonherba ex eo ſolido fundamento deduxit, quia à parte rei ante omnem Intellectum datur eſſe Eſſentiæ, quod ab AEgidio vocatur eſſe incauſis, ſeu eſſe quidditatiuum; & hoc eſſe eſt quidem reale, pro vt realitas dicit Figuras Prædicamentorum, ſed in omni rigore eſt eſſe formale, quia nihil aliud eſt niſi ipſa met quidditas, & eſſentia rei, quę cum proueniat à Differentia eſſentiali, quæ eſt Forma; mærito dicitur formalis; & quia ad omne eſſe ſequitur Vnitas, quæ eſt Paſſio Entis, ſicuti à parte rei verè datur eſſe Eſſentiæ, quod eſt eſſe formale, ita à parte rei datur vera Vnitas formalis, correſpondens tali eſſe.

3 Extra prędictum eſſe Eſſentiæ datur etiam à parte rei eſſe exiſtentiæ, quod eſt illud eſſe actu ſuperadditū eſſentiæ, vt cūm res actu ponitur extra ſuas cauſas: & quia

quia ex Philoſofo omne quod eſt reale extra Animam, eſt indiuiduũ, & ſingulare; ideo extra Vnitatẽ formalem, quæ ſequitur eſſe Eſſentiæ: datur etiam à parte rei Vnitas indiuidualis, quæ ſequitur eſſe contractũ per Differentias Indiuiduales.

Inter vnitatẽ formalem, & indiuidualem eſt diſtinctio

4 Inter Vtramque Vnitatẽ formalem ſcilicet, quæ ſequitur eſſe Eſſentiæ, & Indiuidualem, neceſſe eſt, intercedat aliqua diſtinctio, quia eſſe reale numericum, & Indiuiduale ita eſt Simpliciter ſingulare, vt neque per Intellectum poſſit concipi vniuerſale: eſſe vero Eſſentiæ, & quidditatiuum, quod eſt eſſe formale, quamuis vt eſt à parte rei, identificetur cum eſſe Indiuiduali, tamen vt eſt in Intellectu, eſt formaliter vniuerſale: eſt igitur diſtinctio inter Vnitatẽ formalem, quæ ſequitur eſſe Eſſentiæ, & Vnitatem indiuidualem: poſſet eſſe contentio, quomodo ſit appellanda talis diſtinctio? formalis ne ex natura rei, vt volunt Scotiſtæ, an Rationis ratiocinatæ ſeu cum fundamento in re? vt dicunt Thomiſtæ.

5 Pater Bonherba ex principijs AEgidij videtur deducere, nullum prorſus eſſe diſcrimen inter diſtinctionẽ mediam, quam Scotiſtæ vocant formalem ex natura rei, & diſtinctionem virtualem, quam Thomiſtę dicunt Rationis Ratiocinatę, ſeu cũ fundamento in re, & quæſtionem eſſe tantum denomine, atque adeò inter Vnitatem formalem, quę ſequitur eſſe Eſſentiæ ſeù eſſe quidditatiuum, & Vnitatem numericam eſſe diſtinctionẽ tum formalẽ ex natura rei, tum Rationis ratiocinatę ſeu cum fundamento in re.

6 Hoc autẽ vt pateat manifeſtè, eſſe fundatum in Doctrina AEgidij, ſummopere ad notandum eſt id, quod Ideſt Bonherba docuit in ſua Methaphiſica Tratt 3. de Paſſionibus Entis Pag. 740. num. 4. & 5. & iterum ſe dicit acturum de eadem re in ſequentibus, cum diſputabitur de diſtinctione inter Totum, & Partes; in quibus locis aduertitur, quod omnis Diſtinctio Generaliter ſumpta vel eſt Realis, vel Rationis: nec eſt dare medium inter diſtinctionem realem in Genere, & rationis in tota ſua latitudine: ſicuti inter Ens reale generaliter ſũptũ, & Ens Rõnis ſũptũ in genere nullũ cadit Ens medium: Aſt quia intra limites totius diſtinctionis realis dantur gra-

dus, & vna eſt diſtinctio ſimpliciter realis, vt diſtinctio inter rem, & rem, alia eſt diſtinctio realis ſecundũ quid, vt diſtinctio inter rẽ, & modum, vel inter rẽ, & Prædicata ſeu attributa eiuſdẽ rei: & ſimiliter quia intra limites totius Diſtinctionis Rationis dantur gradus, & vna eſt diſtinctio ſimpliciter Rationis, vt diſtinctio, quæ nullum habet fundamentum in re, & alia eſt diſtinctio Rationis ſecundum quid, vt illa quæ habet fundamentum à parte rei: ideo cum eſt ſermo de diſtinctione Reali, vel Rationis, ſtatim diſtinguendum eſt, vel de diſtinctione Reali, & Rationis in Genere; & hoc modo nulla eſt diſtinctio media inter realem, & rationis: in hoc ſenſu loquitur Sanctus Thomas. Vel eſt Sermo de diſtinctione reali Simpliciter, qualis eſt inter Rem, & Rem, & de diſtinctione rationis ſimpliciter, qualis eſt illa, quæ nullum habet fundamentum in re: & tunc inter Diſtinctionem ſimpliciter Realem, & Diſtinctionem ſimpliciter rationis datur diſtinctio media, eſt que omnis illa, quæ vel non eſt inter rem, & rem; vel quæ habet fundamentũ à parte rei. & in hoc ſẽſu loquitur Scotus.

7 Quod autem Diſtinctio media ſeu formalis ex Natura rei, & Diſtinctio Rationis ratiocinatæ ſeu cum fundamento in re conueniant in ſenſu, & quidditate; & ſolũ differant in Nomine, ſic oſtenditur. Diſtinctio media ſeu formalis ex natura rei ſecundum ſuum quidditatiuũ conceptum eſt illa, quæ incipit à re, & complementum habet ab Intellectu ſeu eſt in re, ſed non ſine dependẽtia ab Intellectu: ſed Diſtinctio Rationis Ratiocinatę habet initium à rebus, & complementum habet ab Intellectu, ergo vna non habet conceptum diuerſum eſſentialiter ab alia, & ſolum diſcrimen eſt in vocabulis. Ex quo inferri poteſt, idem eſſe in ſẽſu Vnitatem formalem diſtingui ab Vnitate Indiuiduali formaliter ex natura rei, & diſtingui Ratione rationata, quia vna diſtinctio eadem eſt cum alia in ſenſu. Oſtẽditur, diſtinctionem ex natura rei, & rationis ratiocinatæ cõuenire in ſenſu

8 Nunc tempus eſt, liberare Bonherbam à calumnijs Francij. Inprimis Pater Bonherba non diſcordauit ab AEgidio: nam ſi AEgidius admiſit à parte rei vnitatem formalem, eamque voluit, eſſe diſtinctã formaliter ab Vnitate Indiuiduali, Pater Bonherba vtramque partem admiſit exPreſſè, vt patet Bõherba non diſcordat ab Ægidio Nec minus a Scoto,

ex dictis.

9 Nec minus diſcordauit à Scoto, qui apertè docuit, dari à parte rei Vnitatē formalem, eamque eſſe formaliter diſtinctam ex natura rei ab Vnitate numerica.

10 Nec Tertio Bonherba diſcordauit à ſe: nam cum ait, Vniuerſalia à parte rei habere eſſe formale, loquutus eſt de illo eſſe Eſſentiæ, quod dicitur eſſe quidditatiuum, ſeu eſſe in cauſis, & merito à Scotiſtis vocatur eſſe formale; quia prouenit à Forma, quæ eſt principalis ratio quidditatis; ſed cum poſtea idē Bonherba inquit, eſſe Eſſentię eſſe Ens Rōnis, loquutus fuit de illo alio eſſe, quod res acquirit, dum actu cognoſcitur, & cauſatur ab Intellectu vel per actum directum, vel per actū reflexum.

Frácius contra Bonherbam.

11 Tandem cum Pater Bonherba ait, Vnitatem formalem eſſe Vnitatem negatiuè Vniuerſalem, non Loquutus fuit de Vnitate formali in ſtatu Phiſico, & à parte rei: ſed de Vnitate formali prout eſt in ſtatu Methaphiſico, & Abſtractionis; vt à perte patet in ſua Methàphiſica, Tract. 3. de Vniuerſalibus ſecūdum eſſe abſtractum Pag. 239. num. 4. Immerito igitur Francius Bonherbam vocauit diſcordātem à cunctis, cum potius illum acclamare debuiſſet cū omnibus concordantem.

12 Et hac data Doctrina; ſolui facilè poſſunt, & euacuari omnia, quæ Francius obijcit contra Bonherbam; præſertim in primo Lib. c. 9. de Specie ſ. 2. Dubit. 5 Nam diſtinctio inter Speciē Subalternam, & infimam non eſt realis Simpliciter, & omnino independens ab Intellectu, eſt igitur vel formalis ex Natura rei, vt dicent Scotiſtę, vel Rationis Ratiocinatæ, vt Thomiſtæ concedent, vtriuſque autem diſtinctionis eadem eſt quidditas, & conceptus.

13 Et cum Francius in cap. 8. de Genere ſ 3. Dubit. 9. inquit, Compoſitionem Generis, & Differentiæ eſſe independentem ab Intellectu, vel nō legit AEgidium in 2. Sent. Diſt 3. p. p Art. 3. in reſponſione ad primum argumentum, vel Potius mentem AEgidij non percepit. Audiat Francius Verba fundatiſſimi Doctoris noſtri. *Differentia autem cum Genere non propriè facit compoſitionem ſecundum rem, quia Genus ſecundum rem dicit totum, Differentia vero partem: totum autem cum parte compoſitionem nō facit ſe-*

cundum rem, ſed ſecundum rationem; qui Igitur vult cõpoſitionem ex Genere, & Differentia eſſe independentem ab Intellectu, Intellectum nón habet.

QVINTA OPPOSITIO *Francij contra Bonherbam.*

IN primo Libro cap. 10 de Differentia §. 3. Dubit. 14. poſtquam Francius dixit, quod Genus ſecũdum modum prædicandi eſt perfectius Differẽtia, quia Genus prædicatur in quid, & dicit totum, Differentia vero prædicatur in quale, & dicit partem: ſecundum vero modũ eſſendi Differentia eſt perfectior Genere, quia Differentia ſumitur ab actu, Genus vero habet ſimilitudinẽ cum Materia; tãdem contra Bonherbam ſic proſequitur. *Si forte poſtea legeris Bonherbam pag. 339 ſomniantem ex Ægidio, Genus in ſtatu Phiſico perfectius eſſe Differentia; in ſtatu autem Logico imperfectius, ro go tè iterum, ac tertio, ut ei parcas, eumque à ſomno euigiles.*

Franci⁹ contra Bonherbam.

AD FRANCIVM APOſtraſat Doctor Incognitus.

O Bone Franci dum Magiſtro Bonherbę voluiſti parcere ſõniantiseundem, te nón aduertente, vſque ad Sidera extuliſti: ſunt ne capaces Indulgentia Somniantes? nequaquam, igitur qui tu ſomnianti pepercisti Bonherbæ, eumque etiam dormientem Indulgentia agnouiſti capacem; eundem potius incõgnitis tibi laudibus ſublimaſti: Iam è ſomno excitaui, te proclamante, Bonherbam, ſed eum excitatum ad te ſẽtias, ſic Loquentem: Amantiſſimè Franci mi olim condiſcipulè, & cordialis amicè, nunc vero mi cólendiſſimè Pater, Magiſter, & Domine ante omnia te intimo mei cordis affectu veneror, & deoſculor. Y deinde tota mei animi ſinceritate præmiſſo illud dictum comune, quòd Lædens etiam grauiter, Læſionem ignorat: ſed Leſus etiam leuiter nõ leuiter dolet: dolui ipſe nõ modicum, & pænam maximam ſentij, te tantum Virum in oppoſitum mihi ſtetiſſe, quẽ pro familiari amicitia ſemper amàui, pro regularis vitæ obſeruantia ſummopere colui,

Francus contra Bonherbam.

Bonherba ad Franciũ ſic alloquitur.

colui , & pro eſquiſita eruditione ſummè dilexi , noluiſſem hic ſcribere, quę inuito animo ſcripſi, ne contra amicum ſcriberem , ſed conatus fui ſcribere , vt ſolum pro Veritate pugnarẽ : vellem nunc innumeras tibi gratias reddere, quia & ſi in Oppoſitionibus cõtra meas Methaphiſicales diſputationes viſus es primo aſpectu contra me Ludibria ferre, in rei tamen veritate ſummis me honoribus decoraſti , tũ quia mea ſcripta è tenebris eruens, in ore Sapientum Hominum poſuiſti, tum etiã quia ſic præſtitiſti cauſam , vt magis veritas eluceret , vellem igitur pro gratiarum actione præſtantiora hic adnotare tuarum præcordia laudum : ſed cogor tibi referre; quæ per noctium Phãtaſmata me in ſomnijs videre putabam; Putabã me manibus , & ligua ligatum non catenis ferreis, vel lineis funibus, ſed illius amoris, quo me tantum in Senarum noſtro Collegio vt condiſcipulum dilexiſti, fuit hoc ſõnium in Figura . Sed huius Somnij meæ menti interpretatio ſuggerit , me non debere amplius verbis ſenſibilibus ad te loqui: nec minus ad te, vel contra te ſcribere, ſicut ſcripſi : ſed te tantum Patrem , ſcriptaque tua ſolò Silentio venerari.

Et propterea AEgidianos Pręceptores obnixè pręcor, vt ſolum reſoluant propoſitam de Genere Quęſtionem, in quo ſenſu ſit perfectius Differentia ? eaque data reſolutione , non amplius ad vlteriora procedant.

AVGVSTINENSES Ægidianæ Doctrinæ Profeſſores

Ad Francium pro Bonherba Reſpondent.

1 QVod Genus in vno ſẽſu ſit perfectius Differẽtia, & Differentia in alio ſenſu ſit pręſtantior Genere , nullus eſt, qui negat; Pater Francius id expreſſè aſſerit in loco ſupra citato , & Pater Bonherba id idem manifeſtè docet in Diſp. 4. de Vniuerſalibus in particulari q.3. de Differentia art. 2. Dubit. 1. Diſſenſio inter vtrumque vel nulla eſt , vel tãtum in Verbis, quod ita oſtenditur.

2 Quia tota ratio , quare Genus eſt nobilius Differẽtia, eſt, quia Genus dicit totum , Differentia vero dicit partem , ita colliges tam ex Francio, quam ex Bonherbã

locis

locis ſupracitatis: ſed hoc tã-tum eſt in ſtatu Phiſico ſeu realis exiſtentiæ, quãdo Scilicet Genus, & Differentia ſumuntur ſecundum rem, & non in ſtatu Logico, quã do Vtrumque habet eſſe in Intellectu, ergo ſi Genus eſt nobilius Differentia, id non erit in ſtatu Logico: ſed tm̃ in ſtatu Phiſico, quod eſt prima pars aſſertionis Bonherbæ: probatur minor, in qua eſt tota difficultas, ex AEgidio in Quęſt. ſuper 7. Meth. q. 9. & in Lib. Vniuerſalium cap. de Gener' Pag. 6. item in 1. ſententiarum diſtinct. 8. Pag. 2. q 3. & in 2. Sent. diſt. 3. q. p. art. 3. Genus non dicit totum, niſi ſumatur ſecundum rem: nam ſecundũ conſiderationem dicit partem potentialem: ſed Genus ſecundum rem eſt Genus in ſtatu Phiſico, ſicut Genus Secundum conſiderationem eſt Genus in ſtatu Logico, ergo ſi Genus eſt nobilius Differentia, hoc tantum eſt in ſtatu Phiſico, quando Genus dicit totum, & Differẽtia partem, non vero in ſtatu logico, quando tam Genus, quã Differentia dicunt partem.

3 Altera Pars aſſertionis Bonherbæ ſic etiam declaratur, quia tota ratio quare Differentia eſt præſtantior Genere, eſt, quia Differentia dicit actum, Genus vero dicit potentiam: ſed totum hoc non eſt in ſtatu Phiſico ſeu à parte rei, quia Genus ſecundũ rem ex AEgid. vbi ſupra non dicit potentiã tantum, alias realiter eſſet pars, ſed tenet medium inter potentiam, & actum: & ſi Genus ſumitur vt potentia, hoc tantum eſt in ſtatu Logico ſeu ſecũdum apprę-hẽſionẽ, quia tũc Genus apprehenditur vt potentia, Differentia vero vt actus, ergo ſi Differentia eſt nobilior Genere: hoc tãtum verũ eſt in ſtatu Logico, quod eſt altera Pars aſſertionis Bonherbæ.

4 Cum autem Pater Francius ait, quod Differentia eſt nobilior Genere ſecundum modum eſſendi, id poteſt facere duplicem sẽſum: nam vel loquitur de modo eſſendi ſecundum rem, & in hoc ſenſu non eſt verũ, quod Differentia eſt nobilior Genere, quia modus eſſendi Generis à parte rei cum dicat totum, eſt nobilior modo eſſendi Differentiæ, quæ vt eſt à parte rei, dicit partem, vel loquitur Francius de modo eſſendi, quem Genus & Differentia habent in Intellectu, & tunc reddimus in ſenſum Bonherbæ: quod

Scilicet Differentia in ſtatu Logico ſeu ſecundum eſſe, quod habet in Intellectu, eſt nobilior Genere, quia ſecundum hoc eſſe Differentia dicit Actum, ſeu partem formalem: Genus vero dicit potentiam ſeu partem potentialẽ. Redeat ergo Pater Bonherba ad ſuum inſtitutum, & Quæſtiones reaſſumat de Principijs Corporis Mobilis explicandas.

QVÆSTIO SECVNDA

DE PRINCIPIIS CORPORIS MOBILIS in Communi.

De Quidditate, & Eſſẽtia Principiorum.

DVBITATIONES SEX

Dubitatio Prima. An, & quomodo diſtinguãtur Principium, Cauſa, & Elementum?

Dubitatio Secunda. Quid ſit Principium in tota ſua Latitudine Sumptum?

Dubitatio Tertia. An Prioritas ſit de Intrinſeca Ratione cuiuſcunque Principij?

Dubitatio Quarta. Quomodo Principium dicatur de Deo, vt eſt Principium Diuinarum Perſonarum, & Creaturarum?

Dubitatio Quinta. Quomodo ab Ariſtotile fuerint diffinita Principia Phiſicalia, & an rectè.

Dubitatio Sexta. An diffinitio Principiorum tradita ab Ariſtotile conueniat omnibus Principijs analogicè, vel Vniuocè?

DVBITATIO PRIMA

An & Quomodo diſtinguantur Principium, Cauſa, & Elementum?

1 Comunis, & vera reſolutio eſt omniũ Philoſophorũ preſertim AEgidij in 1. Sẽt. diſt. 29 principali 1. q. 1. in corp. & ad Tertium Argumentum atque omnium Recentiorũ, quos refert Amicus Tract. 3. diſp. 1. q 5. art. 2. & Maſtrius cum Belluto diſp. 1. q. 2. Quod Principium Latius patet

Principium latius patet quã causa & causa in pl⁹ quã elementũ.

tet quam cauſa, & Cauſa in plus ſe habet quam Elementum, quia ſicut omnis Cauſa eſt Principium, non tamẽ è contra, vt patet de Priuatione, quæ eſt principium Generationis, non tamen cauſa, ita omne Elementum eſt cauſa, non tamen è conuerſo: quia Materia, & Forma ita ſunt Elementa, vt etiam ſint Cauſæ: Efficiens vero, & Finis ita ſunt cauſæ, vt non ſint Elementa: quid autem addat Elementum ſupra cauſam, & Cauſa ſupra Principium? infra aliquid dicetur, & latius in diſputatione ſequenti, cum pertractabitur de cauſis.

2 Sed contra hanc comunem reſolutionem poteſt primo ſic obijci. Ariſtot. 1. Phiſic. textu primo indifferenter vſurpat nomen Principij, Cauſæ, & Elementi, ergo nulla diſtinctio inter illa. Reſpondetur cum AEgidio in primo Sent. Diſtinct. 9. quæſt. 2. Littera P. quod Principium ſumitur ex eo, quatenus eſt id, à quo aliud procedit: primum autem dicitur ex eo, quatenus eſſe producentis eſt antè eſſe producti: Cauſa tandem cũ ſit illa, ad cuius eſſe ſequitur aliud, ſumitur ex eo, quatenus producens eſt diuerſæ Naturæ à producto, & quia ſecundum modos poſitos à Philoſopho nunquam aliquod gignitur ex aliquo, niſi habeat eſſe poſt illud, ſitque ab eo diuerſum in natura: ideo nunquam aliquid eſt Principium alicuius, niſi ſit etiam primum, & cauſa reſpectu eiuſdem.

Obiéctio 1.

3 Obijcies Secundo. Ariſt. quinto Methaphiſicæ textu primo inquit; toties autem & cauſæ dicuntur, quot modis dicuntur Principia: omnes enim cauſæ principia. Reſpondetur ly *toties* nõ eſſe accipiendum poſitiuè, ſed negatiuè, ita vt fuerit ſenſus, quod cauſa non dicitur alijs modis, quam principiũ, quia omnis Cauſa principiũ eſt: ex eo tamen non ſequitur, cauſam tot Significationes habere, quot habet principium, quia cauſa ſub principio continetur.

Obiéctio ſecunda

4 Obijcies Tertio: ex eodem Ariſt 4. Methaphiſicæ dicente, Ens, & vnum ita cõparari inter ſe ſicut Principium, & cauſa: ſed Ens, & vnũ adequâtur; ergo &c. Reſpõdetur; quod ſicut Ens, & Vnum ſecundum Rem ſunt idem, vnde pertinẽt ad eandem Scientiam Methaphiſicam, ita Principium, & cauſa ſunt idem ex natura Rei, propter quod pertinent ad eandem Scientiam Philoſophiæ

Obiéctio tertia

phiæ Naturalis: cum hoc tamen etiam ſtat, quod ſicut Ens, & Vnum diſtinguntur quo ad ſignificata, quia Ens formaliter dicit eſſe, Vnum vero formaliter ſignificat indiuiſionem: ita Principium, & cauſa formaliter diſtingũtur, quia Principium tantũ dicit id, à quo aliud, Cauſa vero vltra hoc dicit influxũ, & modum Specialẽ, quo vnũ eſt ab alio.

Obiectio 4.

5 Obijcies 4. Priuatio, quę ab Ariſtotele primo phiſic. dicitur Principium, ab eodẽ Philoſopho 12. Methaph. Text. 20. dicitur cauſa, ergo nullum eſt diſcrimen inter Principium, & cauſam. Reſpondetur; ibi nomen cauſæ vſurpari impropriè, quatenus ſignificat tãtum id, quod requiritur ad aliud.

Inſtantia.

6 Sed inſtabis. ergo Principium, & cauſa proportionaliter ſumpta reciprocè dicũtur, ita vt ſicut cauſa latè ſumpta conuertitur cum principio comuniter ſumpto, ita principium propriè, & rigoroſè ſumptum conuertatur etiam cum cauſa in rigore accepta. Reſpondetur, negando conſequentiã; quia ſi comparetur principium propriè cum cauſa in rigore ſumpta, ſẽper Principium eſt comunius, quam cauſa, quia in Diuinis (vt infra videbitur) eſt vera ratio Principij, & tamen ibi nulla eſt ratio cauſæ: & ſi vtrumque ſumatur in latiſſima Significatione, ad huc nomen Principij Latius patet, quam nomen Cauſæ, quia nulla eſt Cauſa quantumcumque latè ſumpta, quæ non habeat rationem Principii: datur tamen Principium latè ſumptum, quod nullam habet rationem cauſæ etiam generaliter Sumptæ.

Obiectio 5.

7 Obijcies ſecundo: Principium, & Principiatum ſunt correlatiua; ſicut cauſa, & cauſatum, ſed Principiatum eſt idem, quod cauſatum (Propterea .n. Patres Theologi negant, aliquam Perſonam Diuinam eſſe principiatam, ne cogantur fateri, eſſe cauſatam) ergo principium idem eſt, ac cauſa: propter quod Patres Græci præſertim Damaſcenus lib. 1. de Fide Orthod. cap. 8. & Nazianz. ſermone quodam de ſtatu Epiſcopali cõcedunt, in Diuinis vnam Perſonam Diuinam eſſe cauſam alterius.

Quomodo diſtingũtur principiatũ, & cauſatum.

Reſpondetur; quod correlatiuum Principij nõ eſt principiatum, ſub quacumque ratione, ſed ſicut ratio propria Principij (vt infra in ſequenti dubitatione dicemus) eſt eſſe id, à quo aliud;

In Diuinis non eſt ratio principiati.

ita ratio propria principiati) eſt eſſe id, quod ab alio, in hoc autem ſenſu nõ eſt idẽ, eſſe principiatum, & cauſatum, quia ſicut Principium ſemper eſt latius, quam cauſa, quomodocunque ſumatur Vtrumq;, ita eſſe Principiatum ſemper in plus ſe habet, quam eſſe cauſatum, & propterea eſſe principiatum non ponitur in Diuinis; quia nomine Principiati aliquando intelligitur id, quod eſt ab alio cum diuerſitate ſubſtantiæ, quod principiatum ſemper includit minoritatẽ, & dependentiam reſpectu ſui Principij: quomodo autem ſint intelligendi Patres Græci, concedentes, vnam Diuinam Perſonam eſſe cauſam alterius, alibi declarabitur ex profeſſo; pro nunc ſufficiat, annuiſſe, quod in qualibet Cauſa duo ſunt, primum eſt, concurrere, ad dandum eſſe alteri, ſecundum eſt diuerſitas in eſſe, ſeu modus peculiaris dandi tale eſſe: nam Materia, & Forma dant eſſe alteri, in quantum ſunt partes eius: Finis vero facit ad eſſe rei, in quantum eſt præſtantior eo, quod eſt ad finem: Efficiens tandem dicitur dare eſſe rei, in quãtum rem producit: modo ſi ſumatur cauſa ſecundũ priorem rationem, ſic reciprocè dicitur principiũ, & cauſa; & in hoc ſenſu tolerantur Patres Græci, ponentes in Diuinis nomen cauſæ: at ſi ſumatur cauſa ſecundum modum peculiarem dandi eſſe: ſic Principium in Diuinis quamuis non poſſit dici cauſa Secundum omne Genus cauſæ, præſertim Secundum Genus cauſæ Materialis, & Formalis, quia huiuſmodi ſolum cauſant, quatenus ſunt partes rei, & partialitas in Deo eſſe non poteſt, nec Secundum Genus cauſæ Finalis; quia hæc in tantũ facit ad eſſe rei, in quantum eſt præſtantior eo, quod eſt ad Finem, tamen Principium in Diuinis dici poteſt cauſa Secundum Genus cauſæ Efficientis; quia hæc cauſat in tantum facit ad eſſe rei, in quantum rem producit; vna autem Diuina Perſona veriſſimè eſt productiua alterius Perſonæ: bene verum eſt, quod productiuum alterius aliquando dicitur Efficiens, aliquando Author; & aliquando principium: modo Diuina Perſona non eſt productiua alterius, quatenus Efficiens; quia efficere non idem eſt, ac facere; ſed eſt Vna Perſona productiua alterius, vel quatenus Author, vel quatenus Principium,

In quo ſeſu admittitur in diuinis nomẽ cauſæ.

DV-

DVBITATIO SECVNDA.

Quid ſit Principium in tota ſua Latitudine?

1 ARiſt. in Quinto Metaphyſ. cap. 1. ſic Principium in ſua generalitate diffinit. *Eſt primum, vnde aliquid aut eſt, aut fit, aut cognoſcitur*. Dicitur Primum nō ſolum negatiuè, quatenus ſcilicet vel ſimpliciter vel in certo Genere negat aliud pręcedens, (Si enim ab aliquo pręcederetur, iam nec eſſet primum, nec minus Principium) Sed dicitur etiam primum poſitiuè ideſt in ordine ad Sequentia: nam præciſo hoc ordine, non poteſt propriè dici Principium, quia Primogenitus v. g. ſi non habet alios fratres, non poteſt propriè dici Principium, licet poſſit dici Primus; quatenus ante ipſum non eſt alius. dicitur vlterius (*Vnde*) vt ſignificetur, ad rationē Principij ſatis eſſe quemlibet ordinem; qui explicari poteſt vel per ly. *Poſt quod*, vel per ly *à quo*, vel per ly *ex quo*, vel per ly *per quod*. Rurſus ponitur in Diffinitione Principij ly (aliquod) vt complectatur tam Ens, quam nō Ens, quia etiam Priuatio poteſt dici Principium; dicitur demum (*aut eſt, aut fit*) vt explicentur omnia ea, quæ dici poſſunt Principiata: vnde ſicuti per ly eſt ſignificatur eſſe reale perfectum; & per ly fit eſſe reale inchoatum, ita per ly cognoſcitur, ſignificatur eſſe cognitum.

Explicatur diffinitio principij.

2 Dicēs in data iam diffinitione Principij illa particula (*Primum*) videtur ſuperflua; quia ſi ea accipiatur negatiuè, iam non erit eſſentialis, ſed potius proprietas conſequens principium: cū nulla negatio ſit de eſſentia poſitiui; vel ſi illa accipitur poſitiuè, tunc ſequentes particulæ erunt Superfluæ, quia quicquid habet huiuſmodi primitatem, neceſſario eſt principium. Reſpondetur; ly primum accipi negatiuè, & contrahi ad primitatem poſitiuam per ſequentes particulas: nec mirum ſi Principij ratio explicata ſit per aliquod negatiuum, quod ſit veluti proprietas eius: nā quo res eſt ſimplicior, eo magis per negationem explicatur, vt patet de Notionibus Diuinis.

3 Obijcies ſecundo. Cauſa ſecunda non eſt prima, & tamen eſt principium, ergo data diffinitio principij non cōuenit omni habēti rationem Principij. Reſpōdetur; quod ly (primum) quando

additur cauſæ, ſumitur, vt dicit ſimpliciter negationē præcedentis cauſę in tota latitudine Cauſę: at quando aditur principio, tunc ly primum dicit negationem precedentis nō ſimpliciter; ſed in determinato Genere: vnde poteſt conuenire cauſæ Secundæ, quæ in alio genere precedatur ab alia: neque id nouum videri debet; quia in numeris non ſolum prima vnitas eſt ſimpliciter principium numeri, ſed etiā Decima Vnitas in ſuo ſpeciali Genere eſt principium reſpectu ſequentium.

4 Obijcies vltimo: In Diuinis eſt propria ratio principij: & tamen Pater reſpectu Filij nullam habet rationem primi, nec vterque reſpectu Spiritus Sancti, quia *In hac Trinitate nihil prius, aut poſterius, nihil maius, aut minus: ſed Totæ tres Perſonę coæternę ſibi ſunt, & coęquales*: Pro ſolutione huius Obiectionis ſit.

DVBITATIO TERTIA.

Vtrum Prioritas ſit de intrinſeca ratione cuiuſcumque Principij?

1 IN hac celebri difficultate duę ſunt famoſę ſententię. Prior eſt omniū Thomiſtarum ſequentium D. Thomam in p. p. q. 33. art. p. & q. 40. art. 4. & in p. Sent. diſt. 9. q. 2. art. p. Aliorunque Antiquorum præcipuè Soncinn. 4. Methap. q. 31. not. 2. Aureoli in p. diſt. 9. q. 2. qui omnes in eo cōueniunt, vt negent, Prioritatem eſſe de ratione formali Principij vt ſic, ſed ſolum dicunt, eſſe de ratione talis principij, nimirum illius, cuius natura eſt capax prioritatis, & poſterioritatis; pro qua ſententia primū fundamentum eſt, quia poteſt intelligi aliquid, eſſe principium alterius, non intellecta ratione prioris, & poſterioris, ergo huiuſmodi ratio nō eſt de conceptu formali Principij, cōſequentia ſequitur, quia nulla res poteſt intelligi abſque eo, quod eſt de ratione ipſius: Prob. anteccedens. poteſt intelligi, quod Pater Diuinus ſit principium Filij, communicando illi eandem numero naturam, quam habet, & ſolum diſtinctā in rōne producentis; & producti; quod licet naturaliter eſſe nō poſſit; nō repugnat tñ; ſic poſſe apprehendi, ſed in tali caſu Pater non eſſet Prior Filio: nam vel eſſet prior quo ad aliquod abſolutum, vel quo ad aliquod relatiuum? non Opinio Thomiſtarum.

primum, quia nulla res eſt prior ſeipſa; & omne abſolutum, quod eſt in Patre, ſupponitur communicatum Filio; nec ſecūdum, quia Relatiua ſunt ſimul natura, tēpore; & cognitione; ergo Pater nullo modo eſt prior Filio; Secundo. quia principium, & principiatum ſunt relatiua, ergo inter illa ita eſt omnimoda ſimultas, vt nulla ſit prioritas, probatur conſequētia: quia relatiua ſunt ſimul natura, & cognitione, & quamuis vnum fūdamentaliter ſumptum poſſit intelligi ſine alio: formaliter tamen idest quatenus relatiuum nullo modo poteſt intelligi, non intellecto correlatiuo. Tertio adiungi poteſt, quod iam tactum fuit in fine dubitationis precedentis: nam in Diuinis eſt propriiſſima ratio Principij, & tamē in illis nulla eſt Prioritas: dicente Diuo Athanaſio in Simbolo, quod in hac Trinitate nihil prius, aut poſterius.

Scotiſtę aſſerūt de rōne principij eſſe aliquam prioritatem.

2 Altera Sententia eſt ſubtiliſſimi in p. Sent. diſt. 12. q. 1. & diſt. 28. q. 3. & in 2. diſt. p. q. p. quę extra Scotiſtas ex Antiquioribus ſequūtur noſter Gregorius Arimin. in p. diſt. 9. q. p. Bacconius in p. diſt. 6. & ex Recentioribus Amicus Tract. 3. diſput. p. q. 2. art. 3. qui omnes vnanimi conſenſu affirmant, de ratione principij eſſe Ordinem, qui includat aliquam prioritatem, & poſterioritatem: nec poſſe intelligi Principium producens ſine prioritate originis reſpectu producti. Tum primo, quia ex Ariſt. p. poſter. Primum, & principium idē ſunt. Nec ſufficit, dicere id eſſe verum in abſolutis, non autem in Relatiuis: nam Philoſofus inquit, quod in quocunque Genere poteſt aſſignari principium, ibi & prius, ac poſterius, ergo ſi in Relatiuis propriè aſſignatur principium, ibi etiam nō eſt deneganda prioritas. Tū ſecūdo. quia quodlibet principium tam in Creaturis, quam etiam in Diuinis præſupponitur ab eo, reſpectu cuius eſt principium, ergo quodlibet Principium tam in creaturis, quam etiam in Diuinis eſt prius eo, quod eſt à principio, cōſequentia negari non debet, quia prèſuppoſitio prioritatem importāt. Prob. antecedens; quia ſi productio præſupponit principium, ſicut agere præſupponit eſſe, multo magis productum prèſupponit producens, & ſi principium non præſupponeretur ab eo, quod eſt, à principio: non

Fundamenta Scoti.

magis

magis producens eſſet primum, quam productum. Tum 3. quia Ratio principij dicit ordinem, (vt etiam aduerſarij concedunt) ſed ordo includit pri°, & poſterius; ergo; &c. probatur minor: quia nihil aliud eſt, duo eſſe ordinata, quam vnum eſſe prius altero, vt patet ex differentiæ Ordinis, qui eſt habitudo plurium ad vnum primum.

3 AEGIDIVS in 1. Sent. diſt. 9. princip. 2. quæſt. 2. docet, quod omne illud, quod habet eſſe poſt non eſſe, non ſolum habet ordinē ad ſuum principium, ſed etiam ſuo Principio eſt poſterius: non tamen ex eodem capite, quia inter illa erit ordo ratione diſtinctionis ſuppoſitorum, ſed poſterioritas erit ibi ratione diuerſitatis in eſſe: nã gigni eſt ſuppoſitorum, & non ipſius eſſe, nec naturæ, vt Damaſcenus 3. Lib. cap. 34.; cum ergo ordo attendatur ex eo, quod vnũ ex alio gignitur, ex ſola diſtinctione ſuppoſitorum, prout vnum eſt ab alio, ſequitur ordo inter illa: aſt Prioritas, & Poſterioritas, quæ propriè ad durationem pertinet, ſumitur ex eſſe, & ſic quando aliquod accipit eſſe poſt non eſſe, tunc non ſolum eſt ibi ordo Gignentis, & Geniti: ſed etiam eſt prioritas, & poſterioritas, quia eſt diuerſitas in natura. Hæc AEgidius.

Opinio Ægidij.

IVDITIVM AVTHORIS EX ÆGIDIO.

PRO DEFENSIONE

Vtriuſque Opinionis.

4 INter Producēs, & Productum, ſeu inter ea, quorum vnũ ab alio gignitur, duplex prioritas intercedere poteſt: prima ſequitur eſſe: & hæc ſicut dicit diuerſitatem in Natura, ita tollit ſimultatem cognitionis, atque adeò quoties Genitum habet eſſe poſt nō eſſe, & eſſe Gignentis eſt ante eſſe Geniti, ſemper inter illa eſt prioritas, & poſterioritas, quæ ſequitur eſſe. Altera prioritas ſequitur Originem, & tantummodo dicit ordinem producentis, & producti, quod ſicut ſtare poteſt cum Identitate in Natura, vt in Diuinis, ita non tollit ſimultatem cognitionis vt in Relatiuis, quorũ vnum eſt ab alio.

5 Cum ergo quæritur, an Prioritas ſit de intrinſeca ratione principij; cum diſtin-

ctione

Senſus Thomiſtarum ex AEgidio.

ctione reſpondendum eſt. Prioritas, quæ ſequitur diuerſitatem in eſſe, & dicit inæqualitatem durationis, nõ eſt de intrinſeca ratione Principij, quia in Diuinis eſt propriiſſima ratio Principij ſine vlla diuerſitate in eſſe: hoc tãtum intendunt Thomiſtæ, & AEgidius vbi ſupra, quibus in hoc ſẽſu Subtiliſſimi non contradicent, quia nullus eorum auſus eſt vnquam dicere, Patrem in Diuinis ita eſſe Priorem Filio, vt eſſe Producti ſit poſt eſſe producentis, & eſſe Gignentis ſit diſtinctum ab eſſe Geniti.

6 At Prioritas, quæ ſequitur Originem, & tantum dicit ordinem producentis, & producti, ſiue huiuſmodi appelletur prioritas in quo, ſiue à quo, ſiue quocunque alio nomine, dummodo non dicat niſi ordinem, à quo aliud, vel quod ab alio, eſt de Intrinſeca ratione cuiuſcunq; Principij, quia talis prioritas ſicut ſtare poteſt cum Identitate in natura, vt in Diuinis, ita etiã poteſt ſtare cum ſimultate cognitionis, vt in Relatiuis. & in hoc ſenſu ſunt intelligendi Scotiſtæ, quibus ſecundum hanc explicationẽ nec Angelici contradicent.

Aperitur ſenſus Scotiſtarum.

7 Laudauitque nõ immerito hanc conciliationem Bartholomeus Amicus Tract. 3. diſput. p. q. 2. art. 4. numer. 20. litt. D. vbi ait, D. Thomam in re ipſa conuenire cum Scoto: nam quod D. Thomas vocat ordinem naturæ, Scotus appellat Prioritatem originis; videatur etiam noſter Argent. in primo Sent. diſt. 9. q. p. art. 4.

RESPONDETVR in forma Argumentis

Vtriuſque ſententiæ.

8 AD D. Thomam Reſpondetur, eius argumenta concludere, Prioritatem, quæ ſecum affert diuerſitatem Naturæ, non eſſe de intrinſeca ratione principij, quia in Diuinis eſt veriſſima ratio Principij: & tamen nulla eſt ibi diuerſitas in natura? Ad primum diſtinguendum eſt antecedens: loquendo de prioritate, & poſterioritate, quæ dicit diuerſitatem in eſſe, verum eſt antecedens; quod ſcilicet poſſit intelligi principium ſine prioritate: Nam Pater Diuinus, quod eſt principium Filij, quamuis non ſit prior illo prioritate, quę dicit diuerſitatem

in

in Natura, eſt tamen prior prioritate Ordinis, quia Pater eſt id, à quo eſt Filius, & Filius eſt à Patre.

Ad ſecundum Reſpondetur; concedendo antecedẽs, quod ſcilicet principium, & Principiatum ſunt relatiua: ſed diſtinguendum eſt conſequens; ergo inter illa nulla eſt prioritas, quę dicit diuerſitatem in eſſe, concedo conſequentiã; nulla eſt prioritas ordinis, quæ dicit originem vnius ab alio, negatur cõſequentia, nam hæc prioritas ordinis ſicut non tollit diuerſitatem in natura, ita nec tollit ſimultatem cognitionis; Ad Tertiũ patet ex dictis, quod ſcilicet in Diuinis eſt proprijſſima Ratio Principij, & quamuis ibi non ſit prioritas cum diuerſitate in eſſe, eſt tamen ibi prioritas, quæ dicit ordinem vnius ab alio.

Ad Scotum dicimus, omnia eius argumenta concludere de prioritate, quæ dicit ordinem vnius ab alio, & ad Primum in ſpeciali Reſpondetur, quod primum primitate ordinis, & principium idem ſunt: nec aliud Philoſophus ibi intẽdit, primum autem primitate, quæ dicit diuerſitatẽ naturę, nõ eſt idem cũ principio. Ad Secundum diſtinguendum eſt de prę ſuppoſitione, ſicut diſtinctum eſt de Prioritate, & loquendo de prę ſuppoſitione, quæ tantum dicit ordinem vnius ab alio, verum eſt antecedens; aſt loquendo de præſuppoſitione, quę dicit diuerſitatem in eſſe, falſum eſt antecedens. Ad Tertium conceſſa maiori, diſtinguenda eſt minor: ordo includit prioritatem cum diuerſitate naturæ, neganda eſt minor, includit prioritatem originis, quæ explicatur per eſſe id, à quo aliud, vel eſſe id, quod ab alio, ſic minor eſt vera.

DVBITATIO QVARTA

Quomodo in Diuinis Principium dicatur reſpectu Diuinarum Perſonarum, & Creaturarum? Vniuocè ne, vel Analogicè?

1 CVm in Diuinis ſit Proprijſſima ratio Principij, tum quia vna perſona Diuina eſt productiua alteri' ad intra, tum etiam quia omnes Tres Perſonę sũt productiuę creaturarum ad extra, Quæſtio eſt, an Ratio Principij in Deo dicatur Vniuocè, vel Analogicè reſpectu Diuinarum Perſonarum, & Creaturarũ, atque adeò an prius ratio Prin- Aperitur ſenſus quæſtionis.

Principij conueniat Deo reſpectu Diuinarum Perſonarũ, & deinde reſpectu Creaturarum, an è contra?

2 Et Breuiter Reſpondendum eſt, quod Principium in Diuinis non dicitur Vniuocè reſpectu Diuinarum Perſonarum, & creaturarũ: ſed Analogicè, & per prius dicitur per comparationem ad Perſonas Diuinas, quam ad Creaturas. Ita oẽs Scholaſtici in primo Sent. diſt. 29. præſertim AEgid. Principali p. q. vnica D. Thomas q. p. art. 2. Scotus q. p. & Recentiores, quos ſequitur Amicus tract. tertio diſputatione prima, quæſtione quarta, Dubitatione Secunda, art. primo. probatur autem hæc aſſertio dupplici ratione deducta ab AEgidio vbi ſupra, quarum prima eſt, quia ratio principij ſumitur ex productione, nam in tantum aliquod dicitur principium alterius, in quantum eſt productiuum illius: ſed Emanatio Diuinarum Perſonarum eſt prior Emanatione creaturarum: cum productio Perſonarum ſit ratio emanationis creaturarum, ergo ratio principij per prius dicitur de Deo, reſpectu Diuinarum Perſonarum, quam reſpectu creaturarum: minor, in qua eſt tota difficultas, ſic prob.

Principium in Diuinis dicitur Analogicè.

Emanatio Diuinarum Perſonarum; & creaturarum eſt per modum Intellectus, & voluntatis, nam Filius emanat à Patre per modum Intellectus, & Spiritus Sanctus emanat à Patre, & Filio per modum Voluntatis, & Creaturæ ſingulæ procedunt à Deo per Intellectum, & Voluntatem: ſed Intelligere Diuini eſſe eſt ratio, quare Deus intelligit alia, & Volitio ſui ipſius eſt ſimiliter ratio, quare velit alia: nam Deus quãuis vno ſimplici intuitu intelligat ſe, & alia, & vno ſimplici volle ſimiliter velit ſe, & alia: tamen ideo intelligit, & vult alia; quia intelligit, & vult ſe ipſum: vnde ſi ſe ipſum per impoſſibile non intelligeret, & vellet, nequaquam alia vllo modo vellet, & intelligeret: Emanatio ergo Diuinarum Perſonarum eſt ratio Emanationis creaturarum, & propterea D. parens Auguſt. in fine 6. de Trinit. inquit, Emanationem Perſonarum eſſe Priorem, quàm Emanatio creaturarum, cum ſit ratio eius.

Productio Diuinarũ Perſonarum eſt ratio productionis creaturarum.

3 Probatur eadem veritas ſecundo, quia Principium vt dicit relationem, eſt Principium cuiuſdam, vel quorundam, vt habet Phil. in p. phiſ. text. 8; Ergo principium per

prius dicitur de Deo reſpectu Diuinarum Perſonarum, quam reſpectu creaturarũ; Prob.cõſequentia, quia Relatiuum per prius dicitur de Relatiuo reali, quam rationis: ſed Principium in Deo reſpectu Diuinarum Perſonarum dicit relationẽ realem, eo quod relationes Originis in Deo ſuntReales, reſpectu vero creaturarum dicit relationem Rationis, quia Relatio Dei ad Creaturas non eſt realis, ſed rationis, ergo Principium in Deo vt relationem importat, per prius dicitur reſpectu Diuinarum Perſonarum, quam reſpectu creaturarum.

4 Dices. Deus producit Filium, & creaturas eodem modo; quia ſi Filius procedit à Patre per modum Intellectus, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio per modum Voluntatis: etiam creaturæ procedunt à Deo per Intellectum, & Voluntatem; ergo ratio Principij vniuocè dicitur de Deo tam reſpectu Diuinarum Perſonarum, quã reſpectu creaturarum. Reſpondetur. Negãdo abſolutè antecedens, quod eodem modo Perſonæ Diuinæ procedant à Deo per Intellectũ, & voluntatem, quo procedunt creaturæ: nam licet tã Perſonæ Diuinæ quam creaturæ procedant à Deo per Intellectum, & voluntatem, diuerſo tamen modo Perſonæ Diuinæ, & creaturę procedunt à Deo per Intellectum, & Voluntatem, quia ſicut intelligere, & velle Diuini eſſe eſt ratio, cur Deus intelligat, & velit creaturas, ita productio Diuinarũ Perſonarum eſt ſimiliter ratio emanationis Creaturarum.

De' nõ eodem modo ẽ prĩ.ipium Diuinarũ Perſonarum, & Creaturarum.

5 Dices ſecundo. Principiũ non ſolum Secundum idem nomen: ſed etiam ſecundũ eandem rationem dicitur de Deo reſpectu Diuinarum Perſonarum, & Creaturarũ, ergo reſpectu vtrarumque dicetur vniuocè; Prob. antecedens; quia Deus ideo eſt principium creaturarum, quia creaturæ à Deo accipiunt eſſe: ſed etiam Perſona Diuina dicitur Principium alterius, quia Perſona producta accipit eſſe à producente; ergo Principium dicetur ſecundum nomen, & rationem de Deo reſpectu Diuinarum Perſonarum, & reſpectu creaturarum. Reſpondetur; diſtinguendo antecedens; Principiũ dicitur de Deo reſpectu Diuinarũ Perſonarum, & Creaturarum omnino Secũdum idem nomen, & ſecundum eandem rationem, negatur; dicitur Secundum aliqualem conue-

Principium nõ dicitur ſecundũ eandem omnino rationẽ rũ perſonarũ diuinarũ, & creaturarum

uenientiam cum aliqua diuerſitate, conceditur: nam accipere eſſe nõvniformiter, competit Perſonæ Diuinæ productæ, & Creaturæ: quia creatura accipit eſſe diuerſum ab eſſe ſui Principij: ſed Perſona Diuina producta accipit idẽ eſſe à Perſona producente.

DVBITATIO QVINTA.

Quomodo Principia Phyſica fuerint à Philoſofo diffinita, & an rectè?

Diffinitio Principiorũ

1 ARiſt. 1. Phiſicor. tex. 42. vt oſtenderet, Prima Principia eſſe contraria, aſſumpſit hãc diffinitionem Principiorum. *Oportet enim principia neque ex ſe inuicem, neque ex alijs, ſed ex his omnia.*

Obiectiones contra Diffinitionem Principiorũ.

2 Hanc diffinitionem non eſſe perfectam, poſſet his rationibus oſtendi, primo, quia non tãtum conuenit principijs Phiſicis: ſed etiam alijs, quæ ad Philoſophiam non pertinẽt: nam Deus eſt Primum Principium omnium, cum non fiat ex alio, ſed omnia fiant ex ipſo, & tamẽ Deus non eſt principium Phiſicum. ſecundo data diffinitio non conuenit Priuationi, quæ proculdubio eſt vnum exPrincipijs; tum quia nulla res conſtat ex Priuatione, vt patet, tum etiam quia res propriè non fit ex Priuatione: Homo enim non fit ex Priuatione Formæ Rationalis: ſed ex non Homine, vel ex priuato forma Hominis, quia terminus à quo eſt cõtrarius termino ad quem, in generatione aũtHominis terminus ad quem eſt Homo, cui non opponitur immediatè priuatio formæ: ſed non Homo, ſeu id, quod eſt priuatum forma Hominis. Tertio. Forma non ſolũ fit ex Materia, de cuius potẽtia educitur, ſed etiã fit ex Priuatione tanquam extermino à quo; ergo non rectè dicitur, quod Principia non fiunt ex alterutris.

3 Cæterum ſine vlla Philoſophorum controuerſia dicendum eſt, Diffinitionem de Principijs ab Ariſt. datam eſſe vndequaque perfectam, & licet poſſit accomodari Principijs non Phiſicalibus, vt patet ex Prima obiectione, tamen exintentione Philoſophi, & reſtrictione Verborum, qui ab eodem in diffinitione ponuntur, tantum conuenit Principijs Phiſicis; vt hanc aſſertionem probemus, & ſimul etiam argumẽta inoppoſitum diſſoluamus: opere prætium eſt, explicare ſingulas particulas in dicta

Stabilitur Diffinitionẽ Principiorum eſſe perfectam.

&a Diffinitione poſitas, & in primis, cum dicitur, quod principia non fiunt ex alterutris, id intelligendum eſt in eodem Genere principiādi: vnde cum Forma principiet tanquam terminus ad quē, & in genere cauſæ Formalis, eſt primum principiū in tali genere, & ſi Forma fit ex Materia, atque ex Priuatione, hoc non eſt in genere Formæ: ſed fit Forma ex Materia tanquam ex ſubiecto, & ex Priuatione fit tanquam ex termino à quo; Dicitur deinde, quod principia non fiant ex alijs propter eorum primitatem: nam quia ſingula principia ſunt prima in genere principiandi, non poſſunt fieri ex alijs in eodē Genere, ideſt Forma non fit ex alia Forma, nec Materia ex alia Materia, in diuerſo tamen Genere non repugnat, quod vnum principiū fiat ab alio: vnde Materia quamuis in genere principij paſſiui non ſit ab alio, in Genere tamē principij actiui eſt ab alio ſcilicet à Deo; dicitur tādem, quod omnia fiant ex ipſis, quia hoc eſt de ratione principiorum, vt dicant ordinem ad alia, quæ fiant ex ipſis, non vniformiter, ita vt ly (Ex) dicat eandem omnino habitudinem, nam principium, vt in ſequēti dubitatione dicetur, diuerſo modo dicitur de Materia, Forma, & Priuatione: ſed omnia dicuntur fieri ex principijs proportionaliter, ideſt ex Materia tāquam ex ſubiecto, ex Forma tāquam ex termino ad quē, & ex Priuatione tanquam ex termino à quo.

quomodo vnū Principiū Fiat ex alio.

Principia non fiunt ex alijs in eodem genere principiandi.

nō omnia fiūt ex principijs vniformiter.

4 Nunc non obſcurè poterit colligi tum rectitudo datæ Diffinitionis, tum etiā ſolutio ad rationes in oppoſitum, ad quarum primam dicimus, quod ly (Ex, in data diffinitione Philoſophi vel dicit habitudinem partis componentis, vel termini à quo, vel termini ad quem, iuxta quam acceptionem Diffinitio nō conuenit Deo, à quo omnia fiunt tanquam ab Efficiente.

Ad ſecundū Reſpondetur, quod ſicuti datur duplex terminus ad quem, totalis ſcilicet, & partialis, ita etiam datur duplex terminus à quo, totalis nimirum, qui eſt eſſe priuatum Forma, & partialis qui eſt *Priuatio Formæ*: in data autem Diffinitione ly (ex) non dicit habitudinē termini totalis; ſed partialis, quia ſicut terminus ad quem totalis non eſt principium, ſed principiatum, ita principium correſpōdens in termino à quo non

Soluuntur obiectiones oppoſitæ.

non debet eſſe totalis, ſed partialis, eritque *Priuatio* Formæ.

Ad tertium patet ſolutio ex declaratione diffinitionis: cum enim dicitur, quod principia non fiunt ex alterutris, neque ex alijs, id intelligendum eſt in eodem Genere principiandi, vnde licet Forma fiat ex Materia tamquam ex ſubiecto, non fit tamen ex illa tanquam ex Forma; an autem tum Materia, tum etiam Forma fiāt ex alijs tanquam ab efficiēte? iam dictum eſt in explicatione ſecundæ particulæ Diffinitionis.

5 Pro cuius completa explicatione, aduertendum eſt, quod ly (ex) non dicit vnam particularem habitudinem Vniuocam; ſed dicit habitudinem Generalem principij Analogā, ſub qua comprehēduntur tum partes eſſentiales componētes, tum etiam terminus, à quo incipit Generatio eiuſdem rei Naturalis: & ideo nec *Priuatio* eſt excludenda à ratione principij *Phiſici*, nec Materia, & Forma. Vltima tandem Particula *Diffinitionis* ſcilicet, (*quod omnia fiant ex ipſis.*) intelligenda eſt ſecundum diſtributionē accomodatam, ita vt ſit ſenſus; omnia fiunt ex principijs Generaliter ſumptis; & ex eiſdem acceptis in particulari fiunt omnia ſui generis, & ſpeciei.

DVBITATIO SEXTA.

V. Diffinitio Principiorum ab Ariſt. tradita competat Principijs Phiſicis vniuocè, vel Analogicè?

1 SEnſus eſt, an ratio Principij Phiſici dicatur vniuocè, vel analogicè de Materia, Forma, & Priuatione, & Scotiſtę omnes præſertim Maſtrius, & Bellutus diſp. 1. q. 1. indubitanter affirmāt, Diffinitionem Principiorum Phiſicalium vniuocè conuenire, tū Materiæ, & Formæ; tū etiā *Priuationi*; vt ſubſunt relationibus *Principij*, & ita referunt, docuiſſe Scotum in 1. Sent. diſt. 3. q. 3. quam ſententiam hac ratione probāt; quia omnia principia conueniunt nō ſolum in nomine *Principij*, vt patet, ſed etiam in *Diffinitione Principij*: nam ſicut Materia, & Forma ſunt illa, quæ non fiunt ex alterutris, neque ex alijs, ſed omnia fiunt ex ipſis: ita *Priuatio* nec fit ex Materia, & Forma, nec ex alijs extra Materiam, & Formam, & omnia fiunt ex *Priuatione*. Scotiſtę docent, ra[t]ionē Pricipij vniuocè dici de omnib' Principij.

Sed

2 Sed Thomiſtæ, quos ſequitur Fonſeca lib. 5. Meth. cap. 1. quęſ. 5. Suar. diſput. 12. meth ſect. 1. num. 13. & Amicus Tract. 3. diſp. 1. q. 4. dub. 1. art. 2. dicũt, Diffinitionem Principij phiſici analogicè dici tam de Materia, & Forma; quam etiam de Priuatione; probantque hanc ſẽtentiam, quia poſitiuo, & priuatiuo nihil eſſe poteſt comune vniuocum: ſed Materia, & Forma ſunt quid poſitiuum, Priuatio vero eſt quid negatiuum, ergo ratio principij philoſophici non dicitur vniuocè de Materia, & Forma, & Priuatione. Minor cum conſequentia ſunt certiſſimæ, probatur maior, quia ſi daretur ratio comunis poſitiuo, & priuatiuo; vel talis ratio eſſet Ens, vel eſſet non Ens; ſi primum, ergo illa ratio non competeret Priuationi, quæ eſt non Ens, ſi ſecundum; eadẽ ratio non competeret Materiæ, & Formæ, quæ ſunt entia.

Thomiſtæ volunt analogicè.

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO. PRO DEFENSIONE *Vtriuſque Opinionis.*

3 HAEc tamen cõtrouerſia, (& omnes alię inter D Thomam, & Scotum in ſimili materia de Vniuocatione, & Analogia) ſatis facilè poterit conciliari, ſuppoſita illa AEgidiana doctrina, quam tradidimus in primo Thomo Methaphyſ. Tract. 2. diſp. 1. q. 1. de Anteprædicamentis art. 1. dub. 3. Et diſp. 2. q. 1 de Qualitate diuiſionis Entis art. 2. dubit. 2. quæ non eſt iterum hic repetenda, ſed eſt amplius declaranda, vt manifeſtius conſtet, quod Vniuocatio, quam conſtituit Scotus inter Materiam, Formam, & Priuationem in ratione Principij (Idemque dicatur de Vniuocatione, quam idem Scotus admictit inter Subiectum, & Accidens in ratione Entis,) non diſtinguitur in rei Veritate ab illa Analogia, quam inter prędicta ponit Angelicus. Quod ſic declaratur.

4 Nam duplex eſt Vniuocatio, & duplex pariter Analogia, Prima Vniuocatio dicitur pura, & ſimpliciter talis, ita vt excludat omnem diuerſitatem eſſendi in ea Forma, quę dicitur vniuoca, vt quando ratio ſignificata per aliquod nomen eſt omnino eadem in inferioribus ſiue abſq; vlla inæqualitate, vt in ſpecie ſpecialiſſima, ſiue cum ſola inæqualitate nõ in modo eſſendi, ſed tantum

in

Duplex eſt Vniuocatio

in gradu perfectionali, vt in Generibus; Altera Vniuocatio eſt media ſeu communis, quæ nec eſt ſine aliqua diuerſitate in Forma, nec minus ſine aliqua vnitate, vt quando Ratio ſignificata per nomen partim eſt eadē, quia habet eundem conceptum, & partim eſt diuerſa, quia habet diuerſum modū eſſendi, diuerſumque gradū perfectionalem.

Et duplex ſimiliter eſt Analogia.

5 Sic dicimus de Analogia: Nam hæc vel eſt ſimpliciter talis, ita vt excludat omnem Vnitatē in Forma, vt quā do ratio ſignificata per nomen Analogum, eſt omninò diuerſa in Inferioribus, & hæc Analogia dicit puram AEquiuocationē; Altera Analogia eſt media, quæ nec dicit Simpliciter diuerſitatem in Forma, nec Simpliciter in illa dicit Vnitatem: ſed aliquo modo eſt eadem, & aliquo modo eſt diuerſa, vt quando ratio ſignificata per nomen habet vnum conceptum, ſed diuerſum modum eſſendi, diuerſumque gradum perfectionalē: Vniuocatio pura, & ſimpliciter talis, quam in priori Thomo loco ſupra citato vocauimus proprijſſimam, vel propriam, omnino diſtinguitur ab Analogia pura, quam ibidem vocauimus AEquiuocationem, quia illa dicit omnimodam Vnitatem in Forma ſine vlla diuerſitate in modo eſſendi, hęc vero dicit in Forma omnimodam diuerſitatem ſine vlla vnitate in modo eſſendi. Aſt Vniuocatio media; ſeu comunis nō diſtinguitur ab Analogia, quæ tenet mediū inter puram Vniuocationē, & purā AEquiuocationē; qa ſi Vniuocatio media dicit aliquam vnitatem cū aliqua diuerſitate in modo eſſendi; etiam Analogia, quæ tenet medium, nec dicit omnimodam diuerſitatem, nec omnimodam Vnitatem in Forma, ſed aliquam vnitatem, quia habet vnum conceptū, & aliquam diuerſitatē, quia habet diuerſum modum eſſendi: Vniuocatio igitur media ſeu communis non diſtinguitur in rei veritate ab Analogia media.

Aliqua Vniuocatio, nō diſtinguitur ab aliqua Analogia

6 Nunc videamus, quam Vniuocationem ponūt Scotiſtæ inter Materiam, Formam, & Priuationem in ratione Principij, & quam Analogiam inter eadem conſtituunt Thomiſtæ, vt cōſtet de Controuerſia Vtriuſque Scholæ? Certiſſimum eſt, Scotiſtas nunquam aſſeruiſſe, Inter Materiam, Formā, & Priuationem eſſe Vniuocationem puram, & ſimpliciter

Explicatur mens Scotiſt. citer talem, excludentem omnem Analogiam, & diuerſitatem in Forma, quia ratio Principij & ſi habeat vnum conceptum comunem Materiæ, Formæ, & Priuationi: non tamen habet eundem modum eſſendi, eundemque gradum perfectionalem in illis, vnde Maſtrius, & Bellutus loco ſup: cit. dixerunt, Diffinitionem Principiorum exprimere quidem conceptũ vniuocè conuenientem Materiæ, Formæ, & Priuationi, non tamen ſine aliqua Analogia; volunt ergo ſubtiles, Rationẽ Principij vniuocè dici de Materia, Forma, & Priuatione, non vniuocatione pura, quæ ſimpliciter eſt talis, ſed Vniuocatione Media.

7 Nunc attendamus Angelicos, quis Credet, eos conſtituiſſe Analogiam puram, quæ dicit omnem diuerſitatem eſſendi inter Materiam, Formam, & Priuationem? hoc proculdubio nullus aſſeruit, quia Materia, Forma, & Priuatio quãuis in ratione Principij habeant diuerſum modum eſſendi, diuerſumque gradum perfectionalem: habent tamen vnum conceptum Principij: Analogia ergo, quæ ponitur à Thomiſtis inter Materiam, Formam, & Priuationem, eſt Analogia non ſimpliciter talis, quæ dicit puram AEquiuocationem, ſed Analogia media, Cum igitur Hæc Analogia ſit eadem Secundum rem cũ Vniuocatione comuni, manifeſtè ſequitur, Nec Angelicum contradicere Scoto, nec Subtilem D. Thomæ aduerſari, quia quod Scotus vocat Vniuocationẽ, in Schola Angelica eſt Analogia.

Aperitur ſenſus Angelicorum.

Quod Scotus vocat Vniuocationẽ D. Thomas appellat Analogiã.

DE NVMERO PRINCIPIORVM.

DVBITATIONES DVAE.

Dubitatio Prima. Quot ſint Principia Rerum naturalium in fieri?

Dubitatio Secunda, Quot ſint Principia Phiſicalia in facto eſſe?

DVBITATIO PRIMA.

Quot ſint Principia Rerũ Naturalium in fieri?

Stabilitur, Principia Phiſicalia in fieri eſſe tantum Tria.

1 COmunis Aſſertio in Peripatetica Schola eſt, Principia cuiuſcunque Phiſicæ mutationis, ſeu Rerum Naturalium in fieri non eſſe plura, nec pauciora, quam tria, ſcilicet Materiam, Formam, & Priuationem. Vt hęc aſſertio ſua valida ratione probe-

probetur, aduertendum eſt, quod hic eſt Sermo tantum de Mutatione Phiſica, vt excludamus tum Creationem, tum etiam Tranſubſtantiationem, quæ vel propriè nõ ſunt Mutationes, vel ſaltim non videntur ad philoſophũ pertinere. Loquimur deinde de quacunqne mutatione phiſica, vt comprehendamus tam mutationes ſubſtãtiales, quam accidentales: tam naturales, quam violẽtas: tam acquiſitiuas, quam deperditiuas, omnes enim huiuſmodi ſunt mutationes ad phiſicam pertinentes licet diuerſo modo: Ex quo ſit, nos hic per Materiam intelligere quodcunque Subiectum tam Scilicet mutationis, quam etiam motus, & per Formam intelligere quamcunque Formam tam Subſtantialem, quam Accidentalem, & deniqueper Priuationem omnem Priuationem tam Scilicet Formæ ſubſtantialis, quã etiam Accidentalis.

2 Nunc probatur aſſertio ratione, deducta ab Ariſt. in p. phiſic. textu 50. & deinceps, Omnis mutatio phiſica eſſentialiter eſt tranſitus de quodam ad quodam: ſed ad hunc tranſitum neceſſario requiruntur tria Scilicet Id, quod Tranſit, terminus, ad quem tranſit, & id, à quo tranſit, quæ ſunt Materia, Forma, & *Priuatio*, ergo huiuſmodi ſunt principia mutationis phiſicæ in fieri; de maiori, & cõſequẽtia nullum eſt dubium: minor autem patet ad ſenſum, quia nequit intelligi tranſitus de quodam ad quodam, niſi cõcipiatur id, quod tranſit, quod eſt Materia, id, ad quod tranſit, quod in acquiſitiuis eſt Forma, & id, à quo tranſit, quod eſt Priuatio. Probatur aſſertio ratione Ariſtotelica.

3 Sed Multa poſſunt obijci contra. Et primo, quod principia mutationis phiſicę in fieri ſint plura tribus. Ad mutationem Phiſicam præter Materiam, Formam, & Priuationem concurrunt ex parte Materiæ *Potentia*, Quantitas, & *Diſpoſitiones* Ex parte Formæ requiritur etiam alia Priuatio, quæ exigitur, vt non ſit in Materia, & poſſit eſſe in Materia, in quo conſiſtit ratio Priuationis. Ex parte vtriuſque requiritur Vnio, quia non fit compoſitum ſine vnione partium. Ex parte *Priuationis* recedentis requiritur, vt habeat ad iunctam Formam poſitiuam, quæ ſecum recedat: nam Generatio vnius eſt corruptio alterius: tandem ex parte Compoſiti reſultantis requiritur neceſſa- Obijcitur primo, ꝙ principia ſint plura tribus.

rio eius Priuatio veluti propriùs terminus à quo, quia Homo fit ex non homine, album fit ex non albo, quę eſt diſtincta Priuatio à priuatione Formæ.

4 Reſpondetur, neque Potentiam, neque Diſpoſitiones, neque Quantitatem cõſtituere principium à Materia diuersũ, quia quod principia multiplicat, eſt diuerſa ratio principiandi, omnia autem ſupradicta cum ſint conditiones ipſius Materiæ, requiſitæ in ea, ad recipiendam Formã, cenſentur omnes concurrere per modum ſubiecti, & ad ipſam Materiã reduci. Nec ex parte Formæ requiritur alia *Priuatio*, diſtincta ab ea, quæ eſt in Materia, quia Priuatio eſt negatio in ſubiecto capaci, Forma autem nõ eſt capax Materiæ, nec minus Priuatio totius compoſiti requiritur ad Mutationem phiſicam, quia talis potius concurrit tanquàm terminus à quo ad Creationem, quàm ad Generationem, & cum dicitur, quod Homo fit ex non Homine, album ex non albo, ſenſus eſt, quod Homo fit ex ſubiecto priuato Forma Hominis, & album fit ex ſubiecto priuato forma albedinis, & etiam conceſſo, quod dictæ priuationes interueni-rent, adhuc non multiplicarentur principia, quia omnes haberent eundem modum principiandi ſcilicet tãquam terminus à quo: Vniones etiam, quæ concurrunt ex parte Materiæ, & Formę (putamus enim in Phiſica mutatione plures vniones interuenire, vt ſuo loco probabitur) non conſtituunt diuerſa Principia à Materia, & Forma: nam Vnio, quæ ſe tenet ex parte Materiæ, eſt Vnio quædam paſſiua, qua mediante veluti paſſiua receptione Forma dicitur recipi in Materia, ac proinde ad Materiam pertinet, nec habet diuerſum modum principiandi ab ea; idem dicatur de Vnione, quæ ſe tenet ex parte Formæ, nam hæc cum ſit quaſi actiua quędam informatio, ad Formã dicitur pertinere, nec habet modum principiãdi diuerſum ab illa. Forma autẽ expellenda quamuis vt plurimum in mutationibus interueniat, illa tamen non conſtituit diſtinctum principium, quia nec ſemper interuenit, vt cum Aer fit lucidus, & quando interuenit, per accidens eſt, vt docet Philoſophus 5. Phiſ. text. 7. & 8. vnde ſi per Diuinam Potentiam aut Forma introduceretur in nudam Materiam,

Reſponſio Generalis.

riam, aut Forma preexiſtens corrumperetur per aduentum nouæ; tunc eſſet vera mutatio, & ſi ordinariè loquendo Generatio vnius eſt corruptio alterius, hoc non prouenit per ſe ex neceſſitate mutationis, ſed ex incõpoſſibilitate Formarum.

2. Obiectio principiacõtendit eſſe quatuor.

5 Obijcies ſecundo. Ad mutationem Phiſicam etiam concurrit Agens, quia ſicut Motus inquantum Accidens dicit ordinem ad ſubiectum, ita in quantum Actio dicit ordinem ad Agens, & vniuerſaliter quatenus eſt quid creatum dicit ordinem ad Agens Primum; ergo principia mutationis Phiſicæ ſunt quatuor ſcilicet Materia, Forma, Priuatio, & Agens; Deinde ſi Principia Phiſica ſunt tantum tria, ſequitur, quod Res Naturales, & Principiata ſint etiam tantũ tria, quia ſecundum diſtinctionẽ Principiorum diſtingui debent Principiata ex Philoſopho 12. Methap. cap. 2. & relatiuorum quot modis dicitur vnum, totidem & reliquum: ſed id eſt apertè falſum, quia res Naturales non ſunt tantum tria, ergo illud ex quo ſequitur.

Reſpõſio.

Reſpõdetur. Mutationem Phiſicam non conſiderari in præſenti quatenus eſt Actio, vel quatenus ens creatum, ſed ſolum vt eſt Mutatio, qua ratione explicitè non dicit ordinem ad Agens: ſed tantum ad illa tria ſcilicet ad Materiam, vt ſubiectum, ad Formam, vt ad terminum ad quem, & ad Priuationem, vt ad terminum à quo: vnde ſi Anima ſeparata poſſet ſe vnire Corpori abſque alia cauſa efficiente, proculdubio intelligeretur concept⁹ mutationis Phiſicę abſque vllo ordine ad Agens. Quando autem dicitur, quod ſi principia eſſent tantũ tria, tunc Res naturales eſſent tãtum tres, Reſpondendum eſt, quod Materia, Forma, & Priuatio non ſunt principia compoſitorum, ſed Generationis eorum, nec dicta tria ſunt principia diuerſarum Rerum, ſed ſunt principia vnius Rei, prout eſt terminus Generationis Phiſicæ in comuni, ex quo non ſequitur, quod ſi Principia ſunt tantum tria, etiam tres tantum ſint Res naturales: ſed tantũ ſequitur, quod in qualibet mutatione Phiſica neceſſario interuenit Subiectum, quod mutatur, Terminus, à quo fit tranſitus, & Terminus, ad quem fit motus.

Mutatio phiſica vt mutatio eſt, non reſpicit Agens.

6 Obijcies Tertio, quod Principia Phiſicalia in fieri ſint minora tribus. Ariſt. P.

3. Obiectio intendit principia in fieri eſſe minora tribus.

Phiſic. tex 66. ait, Materiã, & Priuationem eſſe vnum numero. & tex. 68. inquit, quod alterum cõtrariorum cum ſubiecto ſufficit ad mutationem; & tex. 75. & 77. ait, Priuationem eſſe Principium per accidens; ergo in fieri duo ſunt Principia mutationis. Adde, quod Generatio in ratione mutationis dicit reſpectum quemdam ſubiecti informati ad non informationem, immediatè præcedentem: Sed Principia Relationis ſunt tantum duo, nimirum Fundamentum, & Terminus, ergo duo tãtum ſunt Principia Generationis. Adde demũ, quod non in qualibet Mutatione Phiſica interueniunt illa tria numerata Principia, quia in Speciebus Cõſecratis fiũt mutationes naturales, & Phiſicæ nimirum Rarefactionis, Calefactionis, & cætera. ſed ibi non adeſt ſubiectum, cum ibi nulla ſit Materia; ergo &c. Et cum Homo nutritur ex eiſdem Speciebus conſecratis, dicunt Theologi, quod in eodem inſtanti creatur Materia à Deo, & ſimul introducitur Forma ſubſtantialis: ergo tunc fit mutatio ſubſtantialis, nulla interueniente ibi Priuatione Formæ: nam talis Priuatio non datur ibi in eo inſtãti, in quo eſt Forma, cum id ſit impoſſibile, nec ante illud inſtans, cum tunc Materia non præexiſtat; ergo & cætera.

7 Reſpondetur. cum Philoſofus in text. 66. Materiam cum Priuatione vocat vnum numero, intelligendus eſt, negatiuè, quatenus ſcilicet Priuatio non eſt entitas poſitiua, realiter diſtincta à Materia, vel vocat illa vnum numero, ideſt ſubiecto, & cum in tex. 68. inquit, quod alterum contrariorũ cum ſubiecto ſufficit, tunc noluit excludere Priuationem: ſed tantum inſinuare, quod non omnia Principia concurrunt ad Generationem per influxum poſitiuum; cum vt ſic ſolum concurrant Materia & Forma, & cum in tex. 75. inquit, Priuationẽ eſſe Principium per accidens, id intelligendum eſt reſpectu rei Genitæ, non reſpectu Generationis. Ad illud quod additur, quod Scilicet Generatio in ratione mutationis eſt reſpectus; dicendum eſt, quod talis reſpectus nõ fundatur in Materia quomodocunque: ſed in ea, vt tranſit de vna Forma in aliam, in quo tranſitu iam pluries dictum eſt, vltra Subiectum interuenire Terminum; à quo fit tranſitus, & Terminum

Materia cũ priuatione quõ ſit vna numero?

Priuatio nõ concurritad Generationem per influxum.

Nec eſt principiũ rei genitæ, ſed Generationis

num ad quem. Ad vltimum dicimus, in quacunque Mutatione Phiſica, & naturali interuenire tria iam dicta Principia: vnde in mutationibus accidentalibus contingentibus in Euchariſtia, reperitur Quantitas, gerens vicem Materiæ, vt Optimè AEgid. in Theoremaxibus de Corpore Domini. Propoſ. 44 & ſi aliqua mutatio ibi contingit ſine ſubiecto, illa nõ erit Phiſica, & Naturalis: ſed potius miraculoſa: quid verò dicendum ſit, quando ex Hoſtia cõſecrata fiunt. Vermes; vel ex Sacramento Nutritionẽ? in ſequenti dubitatione videbitur; Demum quando ſubiectum in eodẽ inſtanti cũ Forma creatur; tunc negari debet, quod ibi interueniat Generatio in rõne veræ Mutationis Phyſicæ, quia ſubiectum in his caſibus non mutatur verè, cum nũquam præfuerit ſub oppoſito.

In mutationibus cõtingentibus in Euchariſtia. Quantitas gerit vicẽ materiæ.

DVBITATIO SECVNDA.

V. Prinripia Phiſicalia rei Genitæ ſeu mutationis in facto eſſe ſint tantum duo?

Arguitur, ꝗ materia non ſit pricipium

1 VIdetur, quod Materia non ſit Principium Generationis Subſtantialis in facto eſſe; quia poteſt dari vera Generatio Subſtantialis, & Phiſica abſque eo, quod ibi ſit Materia, Ergo & cætera. Probatur antecedens; cum ex Hoſtia Conſecrata per putrefactionem fiunt Vermes, Cinis & cætera tunc illa eſt vera Generatio Subſtãtialis, & Phiſica: ſed in Hoſtia Conſecrata nulla eſt Materia ſuſceptiua alicuius Formæ; Ergo poteſt dari vera Generatio ſubſtantialis, & Phiſica abſque eo, quod ibi ſit Materia; idem dici poteſt cùm Homo nutritur ex Sacramento. Secundo; videtur, quod Forma nõ ſit Principium in re Genita: quia illa ſunt Principia Generationis in facto eſſe, quæ ſemper manent in re Genita: ſed Forma non ſemper manet, ſed per aduentum nouæ Formæ deſinit eſſe; ergo Forma non eſt Principiũ Generationis Phiſicæ in facto eſſe; minor eſt clara; probatur maior ex Ariſt. hic in p. Phiſic. tex. 50. dicente, vnam proprietatem Principiorum eſſe debere, vt ſemper maneant.

Arguitur 2. ꝗ nec Forma ſit principium.

2 Tertio. id idem probatur de Forma. quia Principium debet eſſe prius re principiata: ſed Forma in Generatione non eſt Prior, ſed potius eſt poſterior, ergo Forma non eſt Principium; probatur

2 Sed Thomiſtæ, quos ſequitur Fonſeca lib. 5. Meth. cap. 1. queſ. 5. Suar. diſput. 12. meth ſect. 1. num. 13. & Amicus Tract. 3. diſp. 1. q. 4. dub. 1. art. 2. dicũt, Diffinitionem Principij phiſici analogicè dici tam de Materia, & Forma; quam etiam de Priuatione; probantque hanc ſẽtentiam, quia poſitiuo, & priuatiuo nihil eſſe poteſt comune vniuocum: ſed Materia, & Forma ſunt quid poſitiuum, Priuatio vero eſt quid negatiuum, ergo ratio principij philoſophici non dicitur vniuocè de Materia, & Forma, & Priuatione. Minor cum conſequentia ſunt certiſſimæ, probatur maior, quia ſi daretur ratio comunis poſitiuo, & priuatiuo; vel talis ratio eſſet Ens, vel eſſet non Ens; ſi primum, ergo illa ratio non competeret Priuationi, quæ eſt non Ens, ſi ſecundum; eadẽ ratio non competeret Materiæ, & Formæ, quæ ſunt entia.

Thomiſtæ volunt analogicè.

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO. PRO DEFENSIONE

Vtriuſque Opinionis.

3 HAEc tamen cõtrouerſia, (& omnes alię inter D. Thomam, & Scotum in ſimili materia de Vniuocatione, & Analogia) ſatis facilè poterit conciliari; ſuppoſita illa AEgidiana doctrina, quam tradidimus in primo Thomo Methaphyſ. Tract. 2. diſp. 1. q. 1. de Anteprædicamentis art. 1. dub. 3. Et diſp. 2. q. 1 de Qualitate diuiſionis Entis art. 2. dubit. 2. quæ non eſt iterum hic repetenda, ſed eſt amplius declaranda, vt manifeſtius conſtet, quod Vniuocatio, quam conſtituit Scotus inter Materiam, Formam, & Priuationem in ratione Principij (Idemque dicatur de Vniuocatione, quam idem Scotus admictit inter Subiectum, & Accidens in ratione Entis,) non diſtinguitur in rei Veritate ab illa Analogia, quam inter prędicta ponit Angelicus. Quod ſic declaratur.

4 Nam duplex eſt Vniuocatio, & duplex pariter Analogia. Prima Vniuocatio dicitur pura, & ſimpliciter talis, ita vt excludat omnem diuerſitatem eſſendi in ea Forma, quę dicitur vniuoca, vt quando ratio ſignificata per aliquod nomen eſt omnino eadem in inferioribus ſiue abſq; vlla inæqualitate, vt in ſpecie ſpecialiſſima, ſiue cum ſola inæqualitate nõ in modo eſſendi, ſed tantum in

Duplex eſt Vniuocatio

in gradu perfectionali, vt in Generibus; Altera Vniuocatio eſt media ſeu comunis, quæ nec eſt ſine aliqua diuerſitate in Forma, nec minus ſine aliqua vnitate, vt quando Ratio ſignificata per nomen partim eſt eadē, quia habet eundem conceptum, & partim eſt diuerſa, quia habet diuerſum modū eſſendi, diuerſumque gradū perfectionalem.

Et duplex ſimiliter eſt Analogia.

5 Sic dicimus de Analogia: Nam hæc vel eſt ſimpliciter talis, ita vt excludat omnem Vnitatem in Forma, vt quādo ratio ſignificata per nomen Analogum, eſt omninò diuerſa in Inferioribus, & hæc Analogia dicit puram AEquiuocationē; Altera Analogia eſt media, quæ nec dicit Simpliciter diuerſitatem in Forma, nec Simpliciter in illa dicit Vnitatem: ſed aliquo modo eſt eadem, & aliquo modo eſt diuerſa, vt quando ratio ſignificata per nomen habet vnum conceptum, ſed diuerſum modum eſſendi, diuerſumque gradum perfectionalē: Vniuocatio pura, & ſimpliciter talis, quam in priori Thomo loco ſupra citato vocauimus proprijſſimam, vel propriam, omnino diſtinguitur ab Analogia pura, quam ibidem vocauimus AEquiuocationem, quia illa dicit omnimodam Vnitatem in Forma ſine vlla diuerſitate in modo eſſendi, hęc vero dicit in Forma omnimodam diuerſitatem ſine vlla vnitate in modo eſſendi. Aſt Vniuocatio media; ſeu comunis nō diſtinguitur ab Analogia, quæ tenet mediū inter puram Vniuocationē, & purā AEquiuocationē; qa ſi Vniuocatio media dicit aliquam vnitatem cū aliqua diuerſitate in modo eſſendi; etiam Analogia, quæ tenet medium, nec dicit omnimodam diuerſitatem, nec omnimodam Vnitatem in Forma, ſed aliquam vnitatem, quia habet vnum conceptū, & aliquam diuerſitatē, quia habet diuerſum modum eſſendi: Vniuocatio igitur media ſeu communis non diſtinguitur in rei veritate ab Analogia media.

Aliqua Vniuocatio, nō diſtinguitur ab aliqua Analogia

6 Nunc videamus, quam Vniuocationem ponūt Scotiſtæ inter Materiam, Formam, & Priuationem in ratione Principij, & quam Analogiam inter eadem conſtituunt Thomiſtæ, vt cōſtet de Controuerſia Vtriuſque Scholæ? Certiſſimum eſt, Scotiſtas nunquam aſſeruiſſe, Inter Materiam, Formā, & Priuationem eſſe Vniuocationem puram, & ſimpliciter

Explicatur mens Scotiſt.

citer talem, excludentem omnem Analogiam, & diuerſitatem in Forma, quia ratio Principij & ſi habeat vnum conceptum comunem Materiæ, Formæ, & Priuationi: non tamen habet eundem modum eſſendi, eundemque gradum perfectionalem in illis, vnde Maſtrius, & Bellutus loco ſup: cit. dixerunt, Diffinitionem Principiorum exprimere quidem conceptū vniuocè conuenientem Materiæ, Formæ, & Priuationi, non tamen ſine aliqua Analogia; volunt ergo ſubtiles, Rationē Principij vniuocè dici de Materia, Forma, & Priuatione, non vniuocatione pura, quæ ſimpliciter eſt talis, ſed Vniuocatione Media.

Aperitur ſenſus Angelicorum.

7 Nunc attendamus Angelicos, quis Credet, eos conſtituiſſe Analogiam puram, quæ dicit omnem diuerſitatem eſſendi inter Materiam, Formam, & Priuationem? hoc proculdubio nullus aſſeruit, quia Materia, Forma, & Priuatio quāuis in ratione Principij habeant diuerſum modum eſſendi, diuerſumque gradum perfectionalem: habent tamen vnum conceptum Principij: Analogia ergo, quæ ponitur à Thomiſtis inter Materiam, Formam, & Priuationem, eſt Analogia non ſimpliciter talis, quæ dicit puram AEquiuocationem, ſed Analogia media, Cum igitur Hæc Analogia ſit eadem Secundum rem cū Vniuocatione comuni, manifeſtè ſequitur, Nec Angelicum contradicere Scoto, nec Subtilem D. Thomæ aduerſari, quia quòd Scotus vocat Vniuocationē, in Schola Angelica eſt Analogia.

Quod Scotus vocat Vniuocationē, D.Thomas appellat Analogia.

DE NVMERO PRINCIPIORVM.

DVBITATIONES DVAE.

Dubitatio Prima. Quot ſint Principia Rerum naturalium in fieri?

Dubitatio Secunda, Quot ſint Principia Phiſicalia in facto eſſe?

DVBITATIO PRIMA.

Quot ſint Principia Rerū Naturalium in fieri?

Stabilitur, Prīcipia Phiſicalia in fieri eſſe tantum Tria.

1 COmunis Aſſertio in Peripatetica Schola eſt, Principia cuiuſcunque Phiſicæ mutationis, ſeu Rerum Naturalium in fieri non eſſe plura, nec pauciora, quam tria, ſcilicet Materiam, Formam, & Priuationem. Vt hęc aſſertio ſua valida ratione probe-

probetur, aduertendum eſt, quod hic eſt Sermo tantum de Mutatione Phiſica, vt excludamus tum Creationem, tum etiam Tranſubſtantiationem, quæ vel propriè nō ſunt Mutationes, vel ſaltim non videntur ad philoſophū pertinere. Loquimur deinde de quacunqne mutatione phiſica, vt comprehendamus tam mutationes ſubſtātiales, quam accidentales: tam naturales, quam violētas: tam acquiſitiuas, quam deperditiuas, omnes enim huiuſmodi ſunt mutationes ad phiſicam pertinentes licet diuerſo modo: Ex quo fit, nos hic per Materiam intelligere quodcunque Subiectum tam Scilicet mutationis, quam etiam motus, & per Formam intelligere quamcunque Formam tam Subſtantialem, quam Accidentalem, & deniqueper Priuationem omnem Priuationem tam Scilicet Formæ ſubſtantialis, quā etiam Accidentalis.

2 Nunc probatur aſſertio ratione, deducta ab Ariſt. in p. phiſic. textu 50. & deinceps. Omnis mutatio phiſica eſſentialiter eſt tranſitus de quodam ad quodam: ſed ad hunc tranſitum neceſſario requiruntur tria Scilicet Id, quod Tranſit, terminus, ad quem tranſit, & id, à quo tranſit, quæ ſunt Materia, Forma, & *Priuatio*, ergo huiuſmodi ſunt principia mutationis phiſicæ in fieri: de maiori, & cōſequētia nullum eſt dubium: minor autem patet ad ſenſum, quia nequit intelligi tranſitus de quodam ad quodam, niſi cōcipiatur id, quod tranſit, quod eſt Materia, id, ad quod tranſit, quod in acquiſitiuis eſt Forma, & id, à quo tranſit, quod eſt Priuatio. Probatur aſſertio ratione Ariſtotelica.

3 Sed Multa poſſunt obijci contra. Et primo, quod principia mutationis phiſicę in fieri ſint plura tribus. Ad mutationem Phiſicam præter Materiam, Formam, & Priuationem concurrunt ex parte Materiæ *Potentia*, Quantitas, & Diſpoſitiones Ex parte Formæ requiritur etiam alia Priuatio, quæ exigitur, vt non ſit in Materia, & poſſit eſſe in Materia, in quo conſiſtit ratio Priuationis. Ex parte vtriuſque requiritur Vnio, quia non fit compoſitum ſine vnione partium. Ex parte *Priuationis* recedentis requiritur, vt habeat ad iunctam Formam poſitiuam, quæ ſecum recedat: nam Generatio vnius eſt corruptio alterius: tandem ex parte Compoſiti reſultantis requiritur neceſſario Obijcitur primo, ꝙ principia ſint plura tribus.

rio eius Priuatio veluti proprius terminus à quo, quia Homo fit ex non homine, album fit ex non albo, quę eſt diſtincta Priuatio à priuatione Formæ.

Reſponſio Generalis.

4 Reſpondetur, neque Potentiam, neque Diſpoſitiones, neque Quantitatem cōſtituere principium à Materia diuerſū, quia quod principia multiplicat, eſt diuerſa ratio principiandi, omnia autem ſupradicta cum ſint conditiones ipſius Materiæ, requiſitæ in ea, ad recipiendam Formā, cenſentur omnes concurrere per modum ſubiecti, & ad ipſam Materiā reduci. Nec ex parte Formæ requiritur alia *Priuatio*, diſtincta ab ea, quæ eſt in Materia, quia Priuatio eſt negatio in ſubiecto capaci, Forma autem nō eſt capax Materiæ, nec minus Priuatio totius compoſiti requiritur ad Mutationem phiſicam, quia talis potius concurrit tanquam terminus à quo ad Creationem, quam ad Generationem, & cum dicitur, quod Homo fit ex non Homine, album ex non albo, ſenſus eſt, quod Homo fit ex ſubiecto priuato Forma Hominis, & album fit ex ſubiecto priuato forma albedinis, & etiam conceſſo, quod dictæ priuationes interuenirent, ad huc non multiplicarentur principia, quia omnes haberent eundem modum principiandi ſcilicet tāquam terminus à quo: Vniones etiam, quæ concurrunt ex parte Materiæ, & Formę (putamus enim in Phiſica mutatione plures vniones interuenire, vt ſuo loco probabitur) non conſtituunt diuerſa Principia à Materia, & Forma: nam Vnio, quæ ſe tenet ex parte Materiæ, eſt Vnio quædam paſſiua, qua mediante veluti paſſiua receptione Forma dicitur recipi in Materia, ac proinde ad Materiam pertinet, nec habet diuerſum modum principiandi ab ea; idem dicatur de Vnione, quæ ſe tenet ex parte Formæ, nam hæc cum ſit quaſi actiua quędam informatio, ad Formā dicitur pertinere, nec habet modum principiādi diuerſum ab illa. Forma autē expellenda quamuis vt plurimum in mutationibus interueniat, illa tamen non conſtituit diſtinctum principium, quia nec ſemper interuenit, vt cum Aer fit lucidus, & quando interuenit, per accidens eſt, vt docet Philoſophus 5. Phiſ. text. 7. & 8. vnde ſi per Diuinam Potentiam aut Forma introduceretur in nudam Materiam,

riam, aut Forma preexiſtens corrumperetur per aduentum nouæ; tunc eſſet vera mutatio, & ſi ordinariè loquendo Generatio vnius eſt corruptio alterius, hoc non prouenit per ſe ex neceſſitate mutationis, ſed ex incōpoſſibilitate Formarum.

2. Obiectio priñcipia cōtendit eſſe quatuor.

5 Obijcies ſecundo. Ad mutationem Phiſicam etiam concurrit Agens, quia ſicut Motus inquantum Accidens dicit ordinem ad ſubiectum, ita in quantum Actio dicit ordinem ad Agens, & vniuerſaliter quatenus eſt quid creatum dicit ordinem ad Agens Primum; ergo principia mutationis Phiſicæ ſunt quatuor ſcilicet Materia, Forma, Priuatio, & Agens; Deinde ſi Principia Phiſica ſunt tantum tria, ſequitur, quod Res Naturales, & Principiata ſint etiam tantū tria, quia ſecundum diſtinctionē Principiorum diſtingui debent Principiata ex Philoſopho 12. Methap. cap. 2. & relatiuorum quot modis dicitur vnum, totidem & reliquum: ſed id eſt apertè falſum, quia res Naturales non ſunt tantum tria, ergo illud ex quo ſequitur.

Reſpōſio.

Reſpōdetur, Mutationem Phiſicam non conſiderari in præſenti quatenus eſt Actio, vel quatenus ens creatum, ſed ſolum vt eſt Mutatio, qua ratione explicitè non dicit ordinem ad Agens: ſed tantum ad illa tria ſcilicet ad Materiam, vt ſubiectum, ad Formam, vt ad terminum ad quem, & ad Priuationem, vt ad terminum à quo: vnde ſi Anima ſeparata poſſet ſe vnire Corpori abſque alia cauſa efficiente, proculdubio intelligeretur concept⁹ mutationis Phiſicę abſque vllo ordine ad Agens. Quando autem dicitur, quod ſi principia eſſent tantū tria, tunc Res naturales eſſent tātum tres, Reſpondendum eſt, quod Materia, Forma, & Priuatio non ſunt principia compoſitorum, ſed Generationis eorum, nec dicta tria ſunt principia diuerſarum Rerum, ſed ſunt principia vnius Rei, prout eſt terminus Generationis Phiſicæ in comuni, ex quo non ſequitur, quod ſi Principia ſunt tantum tria, etiam tres tantum ſint Res naturales: ſed tantū ſequitur, quod in qualibet mutatione Phiſica neceſſario interuenit Subiectum, quod mutatur, Terminus, à quo fit tranſitus, & Terminus, ad quem fit motus.

Mutatio phiſica, vt mutatio eſt, non reſpicit Agens.

6 Obijcies Tertio, quod Principia Phiſicalia in fieri ſint minora tribus. Ariſt. P.

3\. Obiectio intendit principia in fieri eſſe minora tribus.

Phiſic. tex 66. ait, Materiã, & Priuationem eſſe vnum numero. & tex. 68. inquit, quod alterum cõtrariorum cum ſubiecto ſufficit ad mutationem; & tex. 75. & 77. ait, Priuationem eſſe Principium per accidens; ergo in fieri duo ſunt Principia mutationis. Adde, quod Generatio in ratione mutationis dicit reſpectum quemdam ſubiecti informati ad non informationem, immediatè præcedentem: Sed Principia Relationis ſunt tantum duo, nimirum Fundamentum, & Terminus, ergo duo tãtum ſunt Principia Generationis. Adde demũ, quod non in qualibet Mutatione Phiſica interueniunt illa tria numerata Principia, quia in Speciebus Cõſecratis fiũt mutationes naturales, & Phiſicæ nimirum Rarefactionis, Calefactionis, & cætera. ſed ibi non adeſt ſubiectum, cum ibi nulla ſit Materia; ergo &c. Et cum Homo nutritur ex eiſdem Speciebus conſecratis, dicunt Theologi, quod in eodem inſtanti creatur Materia à Deo, & ſimul introducitur Forma ſubſtantialis: ergo tunc fit mutatio ſubſtantialis, nulla interueniente ibi Priuatione Formæ: nam talis Priuatio non datur ibi in eo inſtãti, in quo eſt Forma, cum id ſit impoſſibile, nec ante illud inſtans, cum tunc Materia non præexiſtat; ergo & cætera.

7 Reſpondetur. cum Philoſofus in text. 66. Materiam cum Priuatione vocat vnum numero, intelligendus eſt, negatiuè, quatenus ſcilicet Priuatio non eſt entitas poſitiua, realiter diſtincta à Materia, vel vocat illa vnum numero, ideſt ſubiecto, & cum in tex. 68. inquit, quod alterum contrariorũ cum ſubiecto ſufficit, tunc noluit excludere Priuationem: ſed tantum inſinuare, quod non omnia Principia concurrunt ad Generationem per influxum poſitiuum, cum vt ſic ſolum concurrant Materia & Forma, & cum in tex. 75. inquit, Priuationẽ eſſe Principium per accidens, id intelligendum eſt reſpectu rei Genitæ, non reſpectu Generationis. Ad illud quod additur, quod Scilicet Generatio in ratione mutationis eſt reſpectus; dicendum eſt, quod talis reſpectus nõ fundatur in Materia quomodocunque: ſed in ea, vt tranſit de vna Forma in aliam, in quo tranſitu iam pluries dictum eſt, vltra Subiectum interuenire Terminum; à quo fit tranſitus, & Terminum

Materia cũ priuatione quõ ſit vna numero?

Priuatio nõ concurrit ad Generationem per influxum.

Nec eſt principiũ rei genitæ, ſed Generationis

num ad quem. Ad vltimum dicimus, in quacunque Mutatione Phiſica, & naturali interuenire tria iam dicta Principia: vnde in mutationibus accidentalibus contingentibus in Euchariſtia, reperitur Quantitas, gerens vicem Materiæ, vt Optimè AEgid. in Theorematibus de Corpore Domini. Propoſ. 44 & ſi aliqua mutatio ibi contingit ſine ſubiecto; illa nō erit Phiſica, & Naturalis: ſed potius miraculoſa: quid vero dicendum ſit, quando ex Hoſtia cōſecrata fiunt. Vermes; vel ex Sacramento Nutritionē? in ſequenti dubitatione videbitur; Demum quando ſubiectum in eodē inſtanti cū Forma creatur; tunc negari debet, quod ibi interueniat Generatio in rōne veræ Mutationis Phyſicæ, quia ſubiectum in his caſibus non mutatur verè, cum nūquam præfuerit ſub oppoſito.

In mutationibus cō tingentibus in Euchariſtia. Quantitas gerit vicē materiæ.

DVBITATIO SECVNDA.

V. Principia Phiſicalia rei Genitæ ſeu mutationis in facto eſſe ſint tantum duo?

Arguitur, ꝙ materia non ſit pricipium

1 Videtur, quod Materia non ſit Principium Generationis Subſtantialis in facto eſſe; quia poteſt dari vera Generatio Subſtantialis, & Phiſica abſque eo, quod ibi ſit Materia, Ergo & cætera. Probatur antecedens; cùm ex Hoſtia Conſecrata per putrefactionem fiunt Vermes, Cinis & cætera tunc illa eſt vera Generatio Subſtātialis, & Phiſica: ſed in Hoſtia Conſecrata nulla eſt Materia ſuſceptiua alicuius Formæ; Ergo poteſt dari vera Generatio ſubſtantialis, & Phiſica abſque eo, quod ibi ſit Materia; idem dici poteſt cùm Homo nutritur ex Sacramento. Secundo; videtur, quod Forma nō ſit Principium in re Genita: quia illa ſunt Principia Generationis in facto eſſe, quæ ſemper manent in re Genita; ſed Forma non ſemper manet, ſed per aduentum nouæ Formæ deſinit eſſe; ergo Forma non eſt Principiū Generationis Phiſicæ in facto eſſe; minor eſt clara; probatur maior ex Ariſt. hic in p. Phiſic. tex. 50. dicente, vnam proprietatem Principiorum eſſe debere, vt ſemper maneant.

Arguitur 2. ꝙ nec Forma ſit principium.

2 Tertio, id idem probatur de Forma. quia Principium debet eſſe prius re principiata: ſed Forma in Generatione non eſt Prior, ſed potius eſt poſterior; ergo Forma non eſt Principium; probatur

batur minor, quia pręſente Forma, ceſſat motus.

2 Nihilhominus vera, & communis reſolutio eſt omnium rectè Philoſophantiū, Principia Generationis in facto eſſe, ſeu Rei Genitę eſſe tantum duo, nempe Materiam, & Formam. Ita Ariſt. cap. 7. huius lib. vſque ad tex. 65. & probatur facilè, quia tot ſunt Principia Rei Genitæ, quot ſunt illa, ex quibus eadem Res Genita conſtat, & ſine quibus non eſſet compoſitum Phiſicum: ſed quælibet Res Genita neceſſario componitur ex Materia, & Forma, & altera ex his Deficientę, nunquam erit compoſitum Phiſicum, ergo Principia Rei genitæ nō ſunt niſi duo Scilicet Materia, & Forma; Maior eſt certa, quia hic non loquimur de Principijs Generationis infieri, ſed in facto eſſe, ſeu Rei Genitæ: Minor autem probatione non indiget, quia omne Compoſitum eſt quodam totum, totum vero eſſe non poteſt ſine partibus, quę adminus ſint duæ; Et confirmatur, quia Principia Generationis ſubſtantialis infieri ſunt tria, vt probauimus dubitatione pręcedenti; ſed ex illis Priuatio, cum aduerſetur Formæ, nō manet in Re Genita, ſed diſcedit, nec minus ingredi poteſt compoſitionem ſubſtantialem illius, cum non ſit ſubſtantia, ergo remanet, quod Principia Generationis Subſtantialis in facto eſſe ſint tantum duo ſcilicet Materia, & forma.

Aſſertio vera eſt, Principia rei Genitæ eſſe tātū duo.

Probatur aſſertio.

3 Reſpondetur modo oppoſitis argumentis, & ad Primum dicunt aliqui, quod in Sacramento remanet ſubſtantia Panis, & ex illa poſtea generantur Vermes. Sed id falſum eſt, quia poſt conſecrationem non remanet ibi ſubſtantia Panis: cum Talis ſubſtantia poſt conſecrationem conuertatur in Corpus Chriſti. Quod ſi dicatur, ſubſtantiam Panis non conuerti in Corpus Chriſti, nec Chriſtum eſſe in Sacramēto per conuerſionem Panis in ipſum: ſed alio modo. contra id eſt, quia ſequeretur, quod Chriſtus inciperet eſſe in Altari per motum localē, quod à Theologis ſupponitur falſum. Nec verum eſt, quod illa Accidentia Panis ita ibi corrūmpantur, vt ex eis nihil aliud Generetur: nā id apertiſſimè repugnat ſenſui, quia videmus, quod vbi erant ſpecies Panis, poſtea ibi ſūnt Vermes.

Quomodo ex Hoſtia Cōſecrata generētur Vermes?

4 Dices: Vermes in tali caſu non generari ex Accidentibus Panis: ſed ex Corpore

Oſtenditur Vermes poſt cõſecrationem nõ generari ex Aere.

pore circumſtante, ſcilicet ex Aere. Sed hoc euidentius improbatur: Primo, quia Vermes fiunt ex putrefactione: Putrefactio autem non fit ex Aere; ſed potius ex illis ſpeciebus, igitur Vermes non fiunt ex Aere. Deinde ex vno Elemento immediatè nõ generatur Mixtum, non igitur Vermes generantur ex Aere. Adde, quod ſi hoc Sacramentum ſumeretur in magna Quantitate, tũc nutriret; poſſetq; Homo ſubſtentari ex illo, & contrarium aſſerere, eſt cõtradicere ſenſui: *ex* Aere autem non poteſt fieri Nutrimentum, quia vt probat Philoſophus in fine 2. de Generatione, ex iiſdem nutrimur, *ex* quibus ſumus, non ſumus autem *ex* vno Elemento, ergo nec minus *ex* vno Elemento poſſumus nutriri. *Præter* quamquod demus, quod Hoſtia conſecrata includatur inter corpora ſolida, abſque eo, quod ibi ingrediatur Aer, tunc etiam poſſunt generari Vermes, ergo illa Generatio non fit *ex* Aere. Demum adiunge, quod quandiu durant Species, & Dimenſiones *Panis*, non generatur ibi Vermes: nec etiam ſi durat ibi Aer, quia Dimenſiones Panis ſufficientes ſunt, ad reſiſtendũ Dimenſionibus Aeris: fiet igitur in vno, & eodem inſtanti tam corruptio ſpecierum, quàm motus localis Aeris ad illum locum, vbi erant Species *Panis*, & Generatio Vermium; ſed quãuis eadem Generatio Vermium, & corruptio Specierum poſſint eſſe in inſtanti, motus tamen localis Aeris requirit neceſſario tempus; non poteſt igitur Generatio Vermium fieri *ex* Aere.

Ex Aere non poteſt fieri nutrimentum.

5 Dicunt alij, poſt Conſecrationem iterum redire *Panis* ſubſtantiam, & *ex* illa ſubſtãtia Generari Vermes. Sed hoc etiam improbatur, quia Subſtantia *Panis* vel redit, manentibus ſpeciebus *Panis*, & hoc non, quia quãdiu manent ſpecies *Panis*, tandiù eſt ibi Corpus Chriſti: cũ Corpore autem Chriſti ſimul ſtare nõ poteſt ſubſtãtia *Panis*, quæ ſupponitur in Corpus Chriſti conuerſa. Vel ſubſtantia *Panis* iterum redit, recedentibus ſpeciebus *Panis*, & hoc cõgruum non videtur, quod tunc incipiat eſſe ſubſtantia *Panis*, quando iam defecit ſpecies *Panis*. niſi fortè per ſubſtantiam *Panis* intelligatur tanta Materia, quanta fuit Materia ſub Forma *Panis*, & tunc de illa Materia eſſet quæſtio, à quo nam

Poſt cõſecrationem nõ iterum redit panis ſubſtãtia.

fuit

fuit producta? & ſi à Deo, an naturaliter, vel miraculosè?

6. Dices. Miraculosè ibi redire tantum de Materia, quanta erat ſub Forma *Panis*. Sed contra. tum quia hoc videtur inconueniens, quod ſcilicet Deus faciat miracula in Generatione Vermium, tum etiam quia fruſtra ponimus per miraculum, quod benè ſaluari poteſt ſine miraculo; Nec rectè dicetur, quod abſque miraculo poteſt naturaliter generari ſubſtantia ſolum ex illis accidentibus *Panis*, quibus collatus fuit modus ſubſtantiæ ſcilicet per ſe eſſe. Nam & ſi virtute Diuina illis Accidentibus collatum fuit per ſe eſſe; non tamen propter hoc collatum fuit eſſe ſubſtantiam; ſed tantum collatum fuit, quod haberent quendam modum ſubſtantiæ: ſicut igitur ſubſtātia habens modum Accidentis, non poteſt naturaliter abſque miraculo in Accidens commutari, ita nec poteſt Accidens, quamuis habeat modū ſubſtātiæ, naturaliter, & abſq; miraculo in ſubſtanciam conuerti.

Non cōgruit Deum facere miracula in generatione vermium.

7. Reſpondetur ergo ad Argumentum cum Ægidio in Theorematibus de Corp. Domini *Propoſ*. 45. & abſolutè negatur illud antecedens, quod ſcilicet poſſit dari Generatio ſubſtantialis ſine omni Materia; ad cujus probationem dicimus, quod cum ex Hoſtia conſecrata fiunt Vermes, tunc illa Vermium Generatio non eſt ſine Materia, quia in illo inſtanti, in quo deſinit eſſe Corpus Chriſti propter corruptionē Specierum, tunc ſtatim in eodem inſtanti intelliguntur ibi Alia Accidentia, quæ cum non habeant per ſe eſſe, naturaliter petunt Subiectum: atque adeò erit ibi naturaliter, & ſine miraculo Materia, tanquam Subiectum eorundem Accidentium: hoc autem ſic declaratur, quia dupliciter poteſt aliquod fieri naturaliter, primo ita vt Agens naturale illud producat, vt cum Ignis ex Igne naturaliter generatur per æductionem Formæ Ignis à Materia; ſecundo poteſt aliquod fieri naturaliter, ita vt Natura ſufficienter diſponat, vt illud fiat, vt cum Homo generatur ex Homine, illa generatio Hominis eſt naturalis, non quod Agens naturale naturaliter æducat Animam Intellectiuam de potentia Materiæ, ſed pro tanto Hominis Generatio dicitur naturalis, quia naturaliter diſponitur Materia, vt ibi inducatur

Reſpō-ſio adęquata ex ÆGid.

Dupliciter aliqd pōt fieri naturaliter.

catur Anima: Quotieſcunque ergo aliquod Agens naturale ſufficienter diſponit, vt aliquid fiat; tunc illud dicitur naturaliter fieri, & non eſt miraculum, quod fiat; ſed eſſet miraculum, ſi non fieret, cum ergo ſolis Accidentibus Panis Diuinitus ſit collatum, per ſe eſſe: ſi corruptis Speciebus, inducantur ibi naturaliter alia Accidentia, quibus non ſit collatum per ſe eſſe: tunc huiuſmodi Accidētibus naturaliter debetur aliquod ſubiectum: non quod Agens naturale tale ſubiectum ibi producat: ſed quia naturaliter ibi inducuntur Accidentia, quibus ſit debitum aliquod Subiectum: & ſic ſicuti cum Materia ſufficienter diſponitur, tunc naturaliter ibi inducitur Anima: ita cum in Sacramento ad Corruptionem Specierum inducūtur aliqua Accidentia, quæ non habent per ſe eſſe, tunc ibi naturaliter debet eſſe præſens aliquod Subiectum, nec erit miraculum, quod ibi ſit aliqua Materia tanquam ſubiectum talium Accidentium: ſed potius eſſet miraculum, ſi ibidem nulla eſſet Materia pro ſubiecto illorum Accidentium: Iam conſpicimus, aliquantulum fuiſſe diffuſos in ſolutione huius Argumenti: ſed placeat tantam doctrinam ſic latè notaſſe; quia digna eſt, & deſeruiet alibi præſertim in 3. Tract de Gener. diſput. p. q. 3. de Motu ad Quantitatem art. 1. de Nutritione.

8 Ad ſecundum: Reſpondebitur ex profecto in ſequenti dubitatione prima, vbi videbimus, quomodo ſit intelligendus *Philoſophus*, cum inquit, debere *Principia* ſemper remanere?

9 Ad vltimum conceſſa maiori, quod Principium ſēper debeat eſſe prius principiato; diſtinguenda eſt minor; Forma non eſt prior in Generatione ordine intentionis, negatur, ordine exequutionis, conceditur: Forma enim ſubſtantialis quamuis quo ad durationem ſit ſimul cū Generatione, quia ſunt inſeparabiliter, & neceſſario connexę, vt nō poſſit intelligi actualis Generatio, quin ibi ſit Forma actualis: tamen ſecundum prioritatē naturæ Forma eſt Prior in intentione, licet ſecundū ordinē exequutionis ſit poſterior. Et ad hāc ſolutionē reducitur illorum reſponſio, qui dicunt, ſatis eſſe, ſi Forma ſit prior ſecūdum conceptum; eo quod non poteſt concipi Generatio ſine

ſine Forma: Neque ex hoc ſequitur; Formam eſſe Principium ſecundum conceptionem, quia verè Secundū rem Forma principiat Generationem, & rem Genitam, licet prioritas, quam habet illud Principiū ſecundū rē, ſit reſpectu conceptus illius rei, quæ Principiatur.

DE PROPRIETATIBVS PRINCIPIORVM PHISICALIVM.

DVBITATIONES DVAE.

Dubitatio Prima. V. Verum ſit, quod Prima Principia ſemper debeant permanere?

Dubitatio Secunda. V. Prima Principia ſint contraria, & qua contrarietate?

DVBITATIO PRIMA.

V. Verum ſit, quod Prima Principia ſemper debeāt permanere?

1 DVbitandi Rationē facit illud ſecundum Argumentum, quod inſolutum reliquimus in Dubitatione præcedenti: nam ſi eſt Proprietas Principiorum, quod sēper maneant, ergo Forma non eſt *Principium*, quia Forma per aduentum alterius ſibi oppoſitę deſinit eſſe: vel ſi Forma eſt Principium, non erit *Proprietas* Principiorum, quod illa sēper maneant. Adde, quod Principia ſunt contraria, ergo illa non ſemper manent, quia omne, quod habet contrarium, aliquando corrumpitur.

Ratio dubitādi.

2 Sed Proculdubio dicendum eſt cum Aegidio in primo Phiſic. com. 7. in dubijs & in 2. Sent. diſt. 12. q. 3. art. 1. eſſe Proprietatem omnium Principiorum, vt ſemper maneant: licet non eodem modo: nam Materia ſemper manet eadem numero quantum ad eſſentiam, licet non maneat quantum ad eſſe eadem numero; Sed Priuatio, & Forma non ſic, quia & ſi ſemper maneat Priuatio, & ſemper maneat Forma: non ſemper tamen manet eadem Priuatio, nec ſemper manet eadem Forma, quia Materia, quæ ſemper eſt ſubiectum Vtriuſq; quando ſubijcitur Formæ propoſitæ; tunc etiam Subijcitur Priuationi Formæ oppoſitæ, & quando poſtea eadē Materia ſubijcitur Formæ oppoſitæ, tūc etiā ſubijcitur Priuationi Formæ propoſitæ: sēper igitur Principia manent in Generatione.

Ex

3 Ex qua explicatione colligi poteſt plena Solutio tum ad illud Secundum Argumentum, quod remanſerat inſolutum in dubitatione præcedente: tum etiam ad Principalem Rationem dubitandi in Principio Dubitationis præſentis adductam.

4 Ad illud autem, quod addebatur, quod Scilicet Principia ſunt contraria, in ſequenti Dubitatione ſatisfiet.

DVBITATIO SECVNDA.

V. Prima Principia ſint Contraria?

1 RAtio difficultatis eſt, quia ſi Prima Principia Phiſica ſunt contraria, ergo illa nō ſemper manent, nec Secundum indiuiduum, nec Secūdum Speciem, nec minus ſecundum Genus; quia omne, quod habet contrarium inquantum tale, aliquando corrumpitur, vel ſi Prima Principia ſemper manent ſaltem Secundum Speciem, talia non erunt contraria, quia quod ſemper eſt, intantum eſt, quia non habet contrarium, à quo corrumpatur.

2 Sed Pro reſolutione Not: quod hic tantum loquimur de primis Principijs Rerum Naturalium, nimirum de illis, quibus conuenit Diffinitio Principiorū in Dubitatione 5. declarata, non de Principijs poſterioribus, qui bus ſemper deficit aliqua conditio Principiorum, vt ſunt illa, quæ vno reſpectu ſunt Principia, ſed alio reſpectu ſunt Principiata. Neque hic eſt Sermo de Principijs primis primitate comunitatis, quæ Secundum Prædicationem ſunt comunia tam Principijs Subſtantialibus, quam Accidentalibus: Sed tantum de Principijs primis primitate cauſalitatis, quæ ita ſunt prima in cauſando, vt nō habeant alia ſuperiora in eodem Genere. Rurſus; neque agimus hic de Principijs Rerum Naturalium in facto eſſe, quia huiuſmodi conſtat, non eſſe contraria, cum ſimul vnita compoſitum conſtituant: & vnum ſit perfectio alterius: ſed tantum eſt quæſtio pręſens de Principijs Rerum Naturalium in fieri, quę ſunt intrinſeca cuilibet Tranſmutationi.

3 Qua Obſeruatione præmiſſa, Dicendum primo; non Omnia *Principia* eſſe contraria, probatur, quia Materia eſt vnum ex Principijs,

quæ tamen non habet contrarium: cum ſimul ſtet cũ *Priuatione*, & Forma: vnde Ariſt. in 1. Phiſic. textu 74. inquit, Materiam, & Priuationem eſſe vnum Subiecto, & text. vlt. ait, Formam expeti à Materia vt eius perfectionem: vnum autem cõtrarium nunquam eſt perfectio alterius: cum ſe inuicem formaliter deſtruant: & quãuis Materia, & Forma opponantur relatiuè, & habeant diuerſos effectus, non tamẽ opponuntur contrariè, cum pateat, ſimul vniri in Compoſito, & in eodem ſimul cõcurrere: ex diuerſitatè autẽ effectuum non poteſt inferri inter Materiam, & Formam aliqua Contrarietas propriè: Sed tantum Diuerſitas.

Aliqua principia non ſunt cõtraria.

aſſertio ſecũda.

4 Dicendum Secundo. Ex *Principijs* Phiſicalibus aliqua ſunt contraria. ita Philoſophus tum in p. phiſic. tex. 41. tum etiam in p. de Gener. tex. 50. & 10. Meth. 16 & probatur ex Diffinitione Principiorum; quia quæ non fiunt ex alijs, nec ex Alterutris, ſed ex his omnia, talia ſunt Principia; Sed Prima contraria ſunt huiuſmodi, ergo, &c. probatur minor, quia prima contraria non fiunt ex alijs, alioquin non eſſent Prima Principia, nec fiunt ex alterutris, quia vnum Contrarium nõ fit ex alio in eodem Genere principiandi, & tanquam ex parte componente, licet vnum Contrariũ poſſit fieri ex alio in diuerſo Genere *Principiandi*, & tanquam ex Termino à quo. Quod autem ex contrarijs fiant omnia, probat Ariſt. Inductione tum in ſimplicibus, tum etiam in compoſitis, vt patet à textu 43. vſque ad 50. Vbi Primo Supponit, nec contingens agere in Contingens, nec Cõtingens pati à Contingente: Sed determinatum à determinato, cum omne, quod fit, per actionem aliquam fiat, Supponit deinde, quod Agens requirit Materiam, vnde poſſit æducere Formã, neque ex omni Materia poteſt æduci quælibet Forma, quia ex Anima Rationali, vel ex Cęlo non ęducitur calor, vel frigus &c. ex quo infert, quod neque Quodlibet fit ex quolibet, neque Quodlibet agit ex quolibet: ſed ex ſubiecto apto ad recipiẽdam Formam: & quia Agens nõ agit in ſubiectum, quod habet Formam, ſimilem Agenti, requiritur in ſubiecto negatio illius Formæ, quam debet introducere: nam id, quod producitur, antequam producatur, non eſt, Ex qua ratione ſequitur, omnia fieri

Ex diſſinitione principiorũ probatur cõtrarietas eorumdẽ.

ri

ri ex contrarijs, quod erat probandum in vltima parte minoris Principalis argumenti.

5 Dices. Ariſt. dum vult, probare, Principia eſſe contraria, videtur ſibi ipſi repugnans, quia in textu 43. ſupponit, non quodlibet agere in quodlibet: Sed contrariũ in contrarium, poſtea vero in textu 51. probat, præter duo contraria requiri tertium, tanquam Subiectum, quia vnum contrarium non agit in aliud. Reſpondetur; vnum contrarium non fieri ex alio contrario, vt ex ſubiecto: ſed tãtum vt ex Termino à quo, & ideo in loco ſupra dicto nulla eſt contradictio, quia vtrumque verũ eſt, ſi rectè explicetur: nã vnum contrarium agit in aliud contrarium ratione Subiecti, & non agit in contrarium ratione Formæ, quia vnum contrarium non recipit actionem alterius: ſed potius inde deſtruitur. Et ꝙ hæc fuerit mens Ariſt. ex eo colligi poteſt, quia ibi Philoſophus duo intendebat probare, primum, quod inter Principia ſit aliqua cõtrarietas. Secundum quod contrariorum debeat dari tertium Subiectum. Primum probauit ex illa Suppoſitione, quod non quodlibet agit in quodlibet, nec quodlibet aptum eſt pati à quolibet; ſed determinatum à determinato: nam ſubiectum debet eſſe aptum recipere Formam, & ea carere, quæ carentia explicatur nomine contrarij poſitiui tanquam ſenſibilioris, in quo includitur *Priuatio* alterius. Aliud vero probauit ex illa alia ſuppoſitione, quod contrarium non agit in contrariũ, & ideo requiritur quodam tertium, quod vtriuſque cõtrarij ſit ſuſceptiuum.

Obijcitur loc' Ariſtot. in quo videtur ſibi cõtrarius.

Quomodo vnum contrariũ agit in aliud?

6 Dices iterum. ad Omnẽ transmutationem ſufficit Agens, & *Patiens*, cuiuſmodi ſunt Materia, & Forma: ſed hæc non ſunt contraria, vt iam ſupra diximus: ergo *Principia* ad tranſmutationem neceſſaria, non ſunt cõtraria. Reſpondetur; negãdo abſolutè, quod ad omnem tranſmutationem ſufficiat Agens, & *Paſſum*; nam etiam in *Paſſo* exigitur *Priuatio* Formæ, quam idem *Paſſum* per tranſmutationẽ debet recipere.

7 Dices Tertio. ſi *Prima* contraria eſſent *Principia*, tunc tot eſſent *Prima Principia*, quot ſunt *Prima* contraria: ſed hoc eſt falſum, quia primæ Qualitates ſunt prima

Ad trãſmutationem nõ ſufficit Agens, & paſſũ.

prima contraria, & tamen non omnia prima *Principia* ſunt primæ Qualitates, ergo &c. Reſpondetur; primā cõtrarietatē poſſe ſumi dupliciter primo poſitiuè pro ijs, quæ ſibi mutuo ſunt Actiua, & *Paſſiua*, & huiuſmodi ſunt Qualitates primę; ſecundo priuatiuè, & hæc non conuenit primis Qualitatibus, Sed tantum Subſtantię, eiuſque *Priuationi*, vt in ſequenti aſſertione dicemus,

Tertia aſſertio.

8 Tertio dicendum. Contrarietas, quæ requiritur inter *Principia* tranſmutationis, non eſt poſitiua, per ſe primo: ſed priuatiua; quæ nõ eſt propriè contrarietas, ſed impropriè, & in lata ſignificatione; licet per accidens eadem contrarietas ſit etiã poſitiua. Ita omnes Peripatetici, & probatur, quia pręciſa omni contrarietatę poſitiua, ſi ſubiectum intelligatur priuatum Forma, ſequi poteſt mutatio *Phiſica* ad talem Formam, vt patet in productione luminis, Multorum habituum; & colorum, in quorum Subiectis non præcedit aliqua Forma poſitiuè oppoſita, ſed tantum *Priuatio*.

9 Dices. quicquid corrũpitur à cõrario poſitiuo corrũpitur: ſed omnis Generatio eſt cum aliqua corruptione alterius; ergo in omni Generatione, requiritur neceſſario contrarietas poſitiua. Reſpõdetur, quod licet omnis generatio ſit cum aliqua corruptione contrarij, Terminus tamen per ſe primus mutationis non eſt Forma poſitiuè contraria, quæ corrumpitur, cum hæc ibi per accidens interueniat, ſed eſt Priuatio Formæ: licet hæc etiam ſi referatur ad Rem Genitam, nec ſit *Principium* per ſe, ſed per accidens, cum nec ſit eius pars, nec eius Diffinitionem ingrediatur.

10 Nunc ad *Principalem* rationem dubitandi facilis eſt reſponſio; dicimus enim, quod *Principia* ſemper manent Secundum Speciem vel Secundum Genus, & cum hac proprietate etiam retinent aliam *Proprietatem*, quod Scilicet ſint contraria, quia hæc contrarietas *Principiorum* nõ eſt poſitiua; ita vt vnum ab alio corrumpatur, ſed eſt *Priuatiua*; ita vt vnum dicat *Priuationem* alterius: *Principia* autem quę in Generatione Subſtantiali ſemper manent, ſemper pariter retinent contrarietatem priuatiuam, propter quod vna Principiorum Proprietas alteram non excludit. & hæc de *Principijs* in comuni.

Quę-

QVÆSTIO TERTIA DE PRINCIPIIS PHISICIS IN PARTICVLARI.

De Materia ſecundum ſe Duodecim Dubitationes.

Dubitatio Prima. Qua ratione naturali probari poteſt, dari in rebus Materiam Primam?

Dubitatio Secunda. Quid ſit Materia Prima, & quomodo ab Ariſtotile diffiniatur?

Dubitatio Tertia. In quo Genere ſit Materia, & an in tali Genere ſit quid completum completione cōpoſitionis Phiſicæ?

Dubitatio Quarta. V. Materia Prima de ſe ſit in aliqua Specie completa, & an ſit una unitate Specifica?

Dubitatio Quinta. An Materia ſit una numero Simpliciter?

Dubitatio Sexta. V. Materia Prima de ſe habeat aliquem actum realem, quem vocant Entitatiuum?

Dubitatio Septima. V. Materia habeat peculiarem actū Subſiſtentiæ?

Dubitatio Octaua. V. Potentia Paſſiua ſeu receptiua ſit de eſſentia Materiæ?

Dubitatio Nona. V. In Materia Prima ſit Potentia Actiua?

Dubitatio Decima. V. Materia prima ſit in Generabilis, & incorruptibilis?

Dubitatio Vndecima. An, & quomodo Materia ſit Principium corruptionis?

Dubitatio Duodecima. V. Materia appetat omnes Formas etiam in particulari?

DVBITATIO PRIMA.

Qua ratione naturali probari poteſt, dari in rebus Materiam Primam?

1 NOmine Materiæ plura ſolēt ſignificari, ſed præcipuè hic Accipitur pro altera parte Compoſiti Phiſici; Secundum quam Significationem & ſi ſoleat ſex nominibus nominari, Nempe Hyle, Maſſa, Origo, Elementum, Subiectum, & Materia, potiſſimum tamen duobus vltimis eam appellabimus, & uocabitur Materia reſpectu transmutationis Subſtātialis, Subiectū vero reſpectu aliarum Tranſmutationum.

2 Propoſito autem quæſito & ſi plenè, & ſufficienter ſatisfaciant ea, quæ diximus quæſt. præced. Dubit. 1. & 2. Ratio Quæſtionis.

& 2. vbi determinauimus numerum Principioru Phiſicalium, tamen hic breuiter ſunt perſtringendæ omnes Rationes, quibus probari poteſt eiuſdem Materiæ exiſtentia, vt conſtito de huiuſmodi Materialis Principij poſitione, commodius reliqua reſoluamus.

3 Probatur ergo, in omni Phiſica tranſmutatione dari neceſſario Materiam primá. Tū Primo, quia Phiſica Tráſmutatio cum ſit eſſentialiter tranſitus à termino à quo, ad terminum ad quem, neceſſario requirit Subiectum, quod Secundum ſe careat vtroque Termino, & ex vno tranſeat in alium. Tum ſecundo ex modo operandi Agentis Naturalis, quod nō poteſt naturaliter agere, niſi ſupponat ſubiectum, in quod agat. Tum Tertio ex natura Paſſionis: videmus enim, res naturales agere, & pati, ergo habent diuerſa Principia, Scilicet Formam, per quam agant, & Materiā, Secundum quam patiantur: quia idem ſecundum quod idem non poteſt agere, & pati. Tum Quarto ex conſequentibus ad Generationē: Nam experimur in Generatione Subſtantiali remanere eādem Quantitatem, eandē Figuram, & eadem Accidentia in Genito, quæ erant in Corrupto, ergo manet idem Subiectum in vtroque; alioquin vel Accidentia migrarent de Subiecto in Subiectum, quod eſſet contra Dogmata Philoſophica, vel ſi dicatur, illa Accidentia de nouo produci, non ſine magna difficultate poterit illorum cauſa Efficiens aſſignari, cum effectus productus, & corruptus non exigant connaturaliter eadem Accidentia.

Multipliciter probatur exiſtentia Materiæ.

4 Sed quia ex his rationibus probari quidem videtur, in Phiſica transmutatione dari aliquod Subiectum, quod tranſeat de non eſſe ad eſſe: non tamen ſufficienter probatur, an in qualibet mutatione deueniendum ſit ad aliquod Subiectum primum, quod ex nullo alio fiat. Ideo probatur vlterius, in qualibet Generatione cōcedendum neceſſario eſſe aliquod Subiectum ſimplex, ideſt nō compoſitum ex alio Subiecto, quod vocatur Materia Prima. Si in Phiſica trāſmutatione non daretur Primum Subiectū ſimplex ideſt Materia prima, ſequeretur neceſſario in cauſis materialibus proceſſus in infinitum, probatur ſequela, quia ſi ponatur Subiectum compoſitum, vel in eo ponitur pars

Probatur dari Materiā primā ab incōueniēti.

Mate-

Materialis omnino Simplex, & ſic habetur intentũ, quia illam dicemus Materiam Primam, vel in Subiecto cõpoſito datur pars Materialis ad huc etiam compoſita, & tunc de illa iterum quæro, an habeat partem materialem ſimplicem, vel compoſitam? ſi Simplicem, hæc eſt Materia prima: ſi compoſitam, ibitur in infinitum.

5 Rurſus id idem probatur ex mutua transmutatione Rerum Naturalium, quæ cum non poſſit eſſe ex nihilo, neceſſario debet dari aliquod Subiectum, illis comune, ſed hoc Subiectum non poteſt eſſe compoſitum ex alio, aliàs non ſubijceretur omnibus mutationibus, ergo erit ſimplex, & primum Subiectum, hoc autem vocamus Materiam Primam. vide AEgid. quolib. 5. q. 19.

id idem probatur ex mutua trãſmutatione.

6 Dices. ſi daretur Materia in transmutationibus, deberet illa colligi ex ſenſu: Sed Materia non eſt Senſibilis, ergo. &c. Reſpondetur; exiſtentiam Materiæ colligi mediatè per ſenſum: nam Trans mutatio Senſibilis eſt: addita tamen Mentis Ratiocinatione.

7 Dices Secũdo. ex Primo de Gener. text. 10. in hoc differt Generatio ab Alteratione, quod in illa totum conuertitur in totum, non vero in iſta; ergo ex transſmutatione Subſtantiali non poteſt colligi exiſtentia Materiæ. Reſpondetur; Generationem, quatenus eſt mutatio, eſſe totius Formaliter in totum Formaliter, ex quo ſequitur, quod licet in Generatione remaneat Materia, non tamen remanet vt idem totum, quia Materia ſortitur variam Speciem ex varia Forma.

Quomodo in Generatione totum cõuertatur in totũ.

8 Sed Petes. Suppoſito, quod in transmutationibus detur Materia prima, habetne illa aliquem actũ ſibi proprium? Ad hoc quæſitum in ſequẽtibus Dubitationibus reſpondebitur.

DVBITATIO SECVNDA.

Quid ſit Materia, & quomodo ab Ariſtotile diffiniatur?

1 QVod nõ eſt purum nihil, ſed quoquo modo eſt in numero Entium realium, duplici poteſt diffinitione deſcribi, primo per Negationem: & hoc modo Materia ex Ariſt. 7. Meth. cap. 3. text. 8. diffinitur his verbis. *Non eſt Quid, nec Quale, nec Quantum, nec aliquid eorũ, quib' Ens determinatur.* Quẽ mo-

Diffinitur materia per negationem.

modum diffiniendi Materiã, ſequutus eſt D. Parens Auguſtinus lib. 12. Confeſſ. cap. 3. & 6 dicens. *Materia non Calor eſt, non Figura, non Corpus eſt, non Spiritus: nõ tamen omnino nihil*. Quæ diffinitio facit hunc ſenſum.

Explicatur Diffinitio Materię per negationẽ

Ideſt Materia eſſentialiter nõ eſt aliquod Ens, quod ſit Actus: ſeu in eſſentiã ſua Materia non includit aliquem actum, quia tunc non eſſet in potentia ad omnia: nec minus eſſentialiter includit priuationes actuum, quia tunc nec poſſet vniri cum aliquo actu: ſed tam Formę, quam priuationes Formarũ ſunt extra quidditatem Materiæ, Non quod Materia ſit purũ nihil, ſed quia eſt Ens ita in potentia ſecundum ſe, vt illi aduenient tam Formæ, quam *Priuationes* Formarum.

2 Vbi aduertendum, quòd Ens reale vel ſumitur pro vt diſtinguitur contra nihil, & hoc modo negari nõ poteſt, Materiam eſſe verum Ens reale, cum Secundum eſſentiam ſuam non ſit purum nihil: vel poteſt ſumi Ens reale, pro vt immediatè diuiditur in Decem *Præ*dicamẽta, & hoc modo Materia non eſt ens reale, cum omnia Inferiora Entis, quæ ſunt Prædicamenta, de eadem generetur.

Ens reale poteſt dupliciter ſumi.

Quando igitur in diffinitione Materiæ per negationem, dicitur, quod Materia. *Non eſt quid, nec Quale, nec Quantum, ſed in potentia omnia*, Senſus eſt, Materiam non eſſe actu ens prædicamentale, ideſt in eſſentia Materię non continetur actu aliquod ex 10. Prædicamentis, quamuis poſſit coniungi cum quolibet Prędicamento, recipiendo Formã cuiuslibet Prædicamẽti.

3 Sed Obijcies. Ariſt. 15. Methap. text. 14 vocat Materiam hoc aliquid, & in P. Phiſic. text. *66*. inquit, Materiam eſſe magis Ens, quam *Priuatio*; Reſpondetur; in vtroque loco ſumi Ens pro vt diſtinguitur contra nihil, in quo ſenſu Materia, & eſt verum ens reale, & magis Ens quam Priuatio.

Quomodo materia ſit hoc aliquid

4 Obijcies Secundo. Materia eſſentialiter non eſt Forma, ergo Materia eſſentialiter dicit non eſſe coniunctam cum Forma, & ex conſequẽti Priuatio Formæ erit de eſſentia Materię. Reſpondetur; Materiam in eſſentia ſua includere negationem identitatis cum Forma: non tamen includere negationem cõiunctionis cum Forma.

Materia eſſẽtialiter nõ dicit negationẽ coniunctionis cum Forma.

5 Secundo. Diffinitur Materia ab Ariſt. per affirmationem

tionem

tionem in vltimo cap: huius Libri Primi tex. 82. his verbis. *Materia eſt Primum ſubiectum, ex quo aliquid ſit, cum inſit, non Secundum accidens, & ſi corrumpitur, in hoc abibit vltimum.* In qua diffinitione illa particula (*Subiectum*) analogicè ſaltem comunis eſt tum Materiæ primæ, tum etiam Subſtantiæ compoſitæ: nam hęc etiã dicitur Subiectũ Accidentium: differt autem Materia à Subſtantia compoſita per ly *Primum*, quia Materia eſt ſubiectum Primum

Diffinitur materia per aſſirmationem.

ideſt omnis tranſmutationis etiam reſpectu Formæ ſubſtantialis, quæ eſt Prima Forma, & primus actus: ſed ſubſtantia compoſita eſt ſubiectum ſecundum, quia nõ eſt ſubiectum primę Formę, ſed ſolum Formarum ſecũdarum, ideſt accidentium, & per vtramque particulam ſimul differt Materia à Forma, quæ non eſt ſubiectum, ſed Actus, quæ primo recipitur in Subiecto: per illas vero particulas, *Ex quo aliquid ſit*. Excluduntur omnes cauſæ extrinſecæ, vt Efficiens, & Finalis: ex quibus res non dicuntur fieri, ſed ab Efficiente, & in gratiam Finis fieri. per particulam illam. *Cum inſit.* excluditur Priuatio, ex qua licet fiant

Explicatur pręfficta diffinitio.

res Naturales, non tamen tanquam ex eo, quod ineſt, quia Res Naturales non fiũt ex Priuatione tanquam ex parte componente: ſed ſolum tanquam ex Termino à quo; dicitur vlterius. *Et non ſecundum accidens.* Vt Sciremus, Materiam per ſe requiri ad compoſitum, & nõ per accidens, ad Differentiam illorum, quæ coniuncta cum Materia, etiam remanent in cõpoſito, ſed per accidens: excluditur etiam per eaſdem particulas Priuatio, quæ per accidens eſt Principium in facto eſſe; vltimæ tandem particulæ fuerunt additæ, vt intelligeremus, Materiam eſſe ingenerabilem, & incorruptibilẽ.

6 Vt autem plenius Naturam, & eſſentiam Materiæ cognoſcamus, id eſt Summopere, & diligentiſſimè hic ad notandum, quod in Schola AEgidij eſt Primum Principium, eſtque in omnium Philoſophorũ cordibus aureis litteris perpetuo adſcribendum, quia eſt ſolidiſſimũ Fundamentum pro defenſione plurium earum controuerſiarum, quæ in tota Philoſophia Naturali inter Sanctum Thomam, & Scotum maxima difficultate nõ carent. Et propterea nos in Methaphiſica Tract. 2. Diſ-

put. 1. q. 3. de Quātitate art. 1. dubit. 7. numero 1. 2. & 3. Et Magis diffusè in Tertio Tractatu diſput. p. de Ente Methaph. ſecundum ſe art. 2. agentes de Exiſtentijs rerum dubit. 5. per totam; & immediatè poſt in explicatione ſex dubiorum, ad Quātitatis eſſentiam pertinentiū plura de Eodem AEgidiano principio, dixiſſe meminimus.

Ægidianum principiū sūmopere adnotādum.

7 Obſeruandum eſt ergo, (nec mirum ſi id latiſſimè explicetur; nam idē paſſim deſeruiet in ſequentibus,) quod Materia Secundum ſuam eſſentiā præcisè ſumptam, eſt verum Ens reale, pro vt Ens dicit eſſentiam tātum, & Figuras Prædicamentorum; hoc autem Ens reale talis eſt naturæ, vt teneat medium inter Ens Simpliciter, & nihil, (vocatur ens Simpliciter, quod eſt Ens in actu,) quia ergo medium ſemper participat de extremis, ideo Materia aliquo modo eſt ens, & aliquo modo eſt nihil, eſt ens in potentia, eſt vero nihil in actu; & propterea Philoſophus diffiniens Materiam negatiuè, inquit, *Non eſt quid, nec Quale, nec Quātum.* (intellige in actu,) eſt vero omnia in potentia: ſi ergo Materia conſideretur Secundum ſuam eſſentiam, non ordinatam ad aliud; ſeu vt eſt denudata omni prorſus Forma tam Subſtantiali, quam Accidentali, ſic non eſt hoc, vel illud, ſed eſt ens in potentia: Quando vero Comparatur, vel ordinatur ad aliud (Quodcunque ſit illud) Semper participat de natura illius, ad quod ordinatur; Nam ſi Res vnius Prædicamenti v. g. Subſtantia poteſt induere modum alterius Prædicamenti Scilicet vel Quantitatis, vel Qualitatis &c. vt doctè AEgidius in Theorem. de Corpore Domini Prop. 27. & nos cum illo in Methaphiſiça locis ſupra citatis, multo magis res, quæ eſt Materia, poteſt induere modum alterius rei, diſtinctæ à Materia, quia modus vnius Rei nō eſt incompoſſibilis cum eſſentia alterius rei realiter diſtinctæ, cū modus conueniat rei per hoc tantum, quod Res alteri coniungitur, vel ad aliud ordinatur.

Materia tenet medi ū inter ens ſimpliciter, & nihil.

Materia pōt induere modum alterius rei à ſe diſtinctę.

8 Materia ergo cū eſt ſub Priuatione (Materia enim, & Priuatio realiter diſtingūtur, cum vnum ſit Simpliciter non Ens, & aliud ens poſitiuum reale in potentia:) tunc ſunt ibi duo imperfecta: Sed alia eſt imperfectio vnius, & alia eſt imperfectio alterius, ſeu aliter eſt quid im-

Cū Materia eſt ſub priuatione tūc sūt ibi duo imperfecta.

imperfectum Materia, & aliter eſt quid imperfectum ipſa Priuatio: nam Priuatio eſt quid imperfectum, quia eſſẽtialiter eſt ipſa imperfectio: aſt Materia eſt quid imperfectũ, nõ quod ſit eſſentialiter ipſa imperfectio, ſed quia participat impfectionẽ: Imperfectio ergo Priuationis eſt quaſi per eſſentiã, non ꝙ Priuatio propriè habeat eſſentiam, ſed ſic loquimur, vt naturam Materiæ melius intelligamus: Priuatio ergo quia non habet eſſentiam, eſſentialiter eſt ipſa imperfectio: Aſt Materia non ſic, nam Materia habet eſſentiã, cum ſit Ens reale in potentia. Si ergo Materia non priuatur eſſentia, Materia non erit ipſa imperfectio eſſentialiter: ſed ſi dicitur imperfecta, hoc ideo eſt, quia exiſtens ſub Priuatione, participat imperfectionem, vnde dicetur imperfecta ſecundũ modum, ex quo colligi poteſt, quod Materia etiam denudata omni Forma tam Subſtantiali, quam Accidentali, eſſentialiter eſt ens in potentia, & hic eſt eius modus eſſendi realis.

9 Sicut autem diſtinguentes Materiam à Priuatione, diximus, quod Materia, & Priuatio ſunt Duo imperfecta, ita cum Materia eſt ſub Forma Accidentali (ſtatim etiam infra dicemus de Materia ſub Forma Subſtantiali:) tunc ſunt ibi duo perfecta, quia ipſa Forma Accidentalis quid perfectum dicit, & ipſa Materia vt eſt ſub Forma Accidẽtali, etiã quid perfectum dicit, aliter tamen, & aliter; Nam Forma Accidentalis eſt quid perfectum, quia eſt ipſa perfectio per eſſentiam ſuam: Materia vero quantumcunque ſit ſub Forma: nunquam tamen eſt ita quid perfectum, vt ſit ipſa perfectio per eſſẽtiã: ſed poteſt dici quid perfectum ſecundum modum, quatenus ſcilicet participat perfectionem. Et ſic cum Materia v. g. eſt ſub Quantitate, tunc ſunt ibi duo extenſa: ſed Quantitas eſt extenſa per eſſentiam ſuam: Materia vero eſt extenſa ſecundum modum, quia ſcilicet participat extenſionẽ. Et ſicut Materia extenſa Secũdum modum ſeu per participationẽ Quantitatis realiter diſtinguitur à ſe ipſa, non extenſa, quia illa extẽſio ſecundum modum aduenit eſſentiæ Materiæ, & poteſt ab illa realiter ſeparari: ita Materia extenſa per participationem ſeu Secundum modum eſt compoſitior ſe ipſa non extenſa, quia ille mo-

Cũ Materia eſt ſub forma accidentali: tũc ſũt ibi duo perfecta.

Materia ſub Quantitate diſtinguitur realiter, & eſt cõpoſitior ſeipſa ſine Quãtitate.

modus extenſionis quamuis eſsẽtialiter non ſit aliud quam Materia, quia modus rei non addit diuerſam eſſentiam ſupra rem, cuius eſt modus, tamen non eſt purũ nihil, ſed eſt aliquid reale, realiter diſtinctum à Materia, non quidem aliquid reale, quod ſit res, ſed aliquid reale, quod ſit modus rei: quia Materia ſub aliqua Forma determinata habet diuerſum modum eſſendi à ſe ipſa, vt eſt priuata omni Forma: nam cum Materia eſt ſub aliqua Forma determinata, habet talem modũ eſſendi, qui realiter diſtinguitur ab ipſa Materia, cum poſſit realiter ab ipſa ſeparari: aſt quando Materia eſt ſub Priuatione cuiuſcunque Formę determinatę; tũc habet quemdã modum eſſendi realẽ, qui proueniens à ſola Forma Entis, eſſentialiter nõ diſtinguitur ab ipſa Materia.

10 Et quod dictum eſt tam de Materia, vt eſt ſub Forma Accidentali, quam de Materia, vt eſt ſub Priuatione Formæ: idem prorſus dicendũ eſt etiam de Materia, vt eſt ſub Forma ſubſtantiali, cum hoc tãtum diſcrimine, quod Materia ſub Forma Accidẽtali non facit vnum per ſe, ſed vnum per accidens: ex Materia vero, & forma Subſtãtiali fit Simpliciter vnum ens per ſe. Quando igitur Materia eſt ſub Forma ſubſtantiali, tunc non ſunt ibi duo perfecta ſimpliciter, nec duo entia in actu: ſed ſicut quando Materia eſt ſub Quãtitate, tunc ſunt ibi duo extenſa, vnum ſimpliciter, & per eſſentiam ſuam; quod eſt Quantitas, & aliud ſecundũ modum, quod eſt Materia, participans Quãtitatem; ita cum Materia eſt ſub Forma ſubſtantiali; tunc ſunt ibi plura perfecta, & plura Entia in actu, ſed vnum ſimpliciter, quod eſt ſolum compoſitum ſubſtantiale: & duo ſecundum modum, quæ sũt Materia, & Forma: Nec eodem modo Materia eſt ens in actu per participationem, ac eſt ipſa Forma, ſed Materia eſt ens in actu ſecundum modum, quia eſt potentia recipiens Formam: Forma vero eſt ętiã ens in actu per participationẽ, quia eſt Actus receptus in Materia.

Cũ Materia eſt ſub forma ſubſtãtiali, tunc eſt ibi vnũ ens in actu sĩpliciter & plura entia in actu per participationem.

11 Ex quo licet colligere, quod ſicut Materia extenſa ſecundum modum non ſolum realiter diſtinguitur à ſeipſa, non extenſa: ſed etiã cum modo Quantitatiuo eſt compoſitior ſeipſa ſine tali modo; ita Materia cum illo actu ſubſtantiali ſecundum modum, quẽ acquirit, prout

eſt

eſt ſub Forma ſubſtantiali, non ſolum diſtinguitur realiter à ſe ipſa ſine tali modo, ſed etiam eſt compoſitior ſe ipſa, vt eſt priuata omni tali modo, quia illa actualitas ſecundum modum quãuis non dicat eſſentiam diſtinctam, & ſuper additam Materiæ, cum nullus modus addat eſſentiam ſupra rem cuius eſt modus: tamen eſt aliquid reale, realiter diſtinctum ab ipſa met Materia, cum poſſit realiter ab ea ſeparari, ſicut illi de nouo realiter aduenire.

Inferũtur aliqua ex adducta doctrina.

12 Atque adeò ex toto diſcurſu id tandem eſt concludendum, quod hoc dedit Deus naturæ Materiæ, vt quoties ipſa coniungitur, & comparatur ad aliud, ſemper acquirat quemdam modum eſſendi realẽ illius rei, ad quam ordinatur, qui modus, & ſi non ſit aliud eſſentialiter quam Materia, diſtinguitur tamen realiter ab ipſa Materia, quia poteſt ab ea realiter ſeparari, & de nouo illi realiter aduenire. Nec diſpliceat hanc AEgidianam Doctrinam prolixè ſic adnotaſſe: quia valde deſeruiet inſequentibus.

DVBITATIO TERTIA.

In quo Genere ſit Materia, & an in tali Genere ſit quid completum completione alicuius compoſitionis Phiſicæ?

1 INtegro quæſito tribus eſt cõcluſionibus reſpondendum. Prima concluſio. Materia Prima nec eſt purum nihil, nec eſt ens purè priuatiuum ita expreſsè AEgid. in Lib. Sex Princip. Pag. 46. col. 4. & probatur, quia Subiectum Phyſicæ tranſmutationis cũ maneat ſub vtroque termino, debet eſſe aliquod reale poſitiuum; propter quod Ariſt. Primo Phiſic. tex. 79. probat, Materiam à Priuatione diſtingui, quia recedẽte Priuatione; manet Materia ſub forma, quæ eſt incõpoſſibilis cum Priuatione.

Prima Concluſio.

Materia non eſt Ens purè priuatiuũ.

2 Secunda Concluſio. Materia Prima non eſt ens reale poſitiuum de Genere Accidentium. Probatur, quia eſt primum ſubiectum cuiuslibet Phiſicæ tranſmutationis etiam ſubſtantialis: ſed hoc repugnat Accidenti, quia Accidens præſupponit ſubiectum, erit ergo Materia de Genere ſubſtantiæ, quia omne, quod eſt ens, aut eſt ſubſtantia, aut eſt Accidens ex 5. Methap. text. 13.

Materia non eſt de Genere Accidẽtium.

Be-

Sed eſt ſubſtā-tia, quæ eſt Analogum. Beneuerum eſt, quod Materia non eſt ſubſtantia, quę eſt Genus, quia ea, de quibus prædicatur Genus eſſentialiter, ſunt in Genere directè: Materia autem per ſe non eſt in Genere; ſed tantum reductiuè, ratione ſcil. compoſiti ſubſtantialis, cuius eſt pars: ſed eſt Materia ſubſtantia, quæ eſt Analogũ, quia ſubſtántia, quæ prædicatur de Materia, minus dicitur de ea, quam de Forma: cum Forma minus diſtet à primo Ente. videatur AEgidius in 1. Methap. q. 27.

5 Sed Obijcies primo. Materia eſt in potentia ad ſubſtantiam, ergo Materia non eſt ſubſtãtia; Probatur cõſequẽtia, quia quod eſt in potentia ad aliquid, actu non eſt illud; Reſpondetur; Materiam eſſe in potentia ad ſubſtantiam Vniuocam, quæ eſt Genus, non ad ſubſtantiam, quæ eſt Analogum Analogans; & propterea quamuis Materia non ſit ſubſtantia Vniuoca, quæ eſt Genus; eſt tamen ſubſtantia, quæ eſt analogum.

Obijcitur ꝙ materia non ſit ſubſtā-tia. 6 Obijcies ſecundo. Materia eſſentialiter includit relationem vel partis reſpectu compoſiti, vel receptiui reſpectu Formæ, vel potentiæ reſpectu actus; vnde 2. Phiſ. text. 26. Materia dicitur eſſe eorum, quę ſunt ad aliquid: ſed Relatio eſt inter Prædicamenta Accidentium, ergo &c. Reſpondetur; omnem Relationem, quæ fundatur in Materia, non eſſe prædicamentalem, & ſecundum eſſe: ſed ſecundum dici, & traſcendentalem, quæ optimè fundari poteſt in ſubſtãtia etiam immediatè, vt ſuo loco diximus in Methaphiſica.

7 Tertia Concluſio. Materia non eſt ſubſtantia completa completione compoſitionis phiſicæ, ita vt ſit cõpoſita ex alia Materia; alias ſaluari non poſſet proceſſus in infinitum, vt etiam ſignificauimus in pręcedenti dubitatione prima numero 4. 3. Concluſio.

An autem Materia ſit ſubſtantia completa completione compoſitionis ex Genere, & differentia? in ſequẽti dubitatione videbitur.

DVBITATIO QVARTA.

V. Materia ſecundum ſe ſit in aliqua ſpecie completa completione compoſitionis ex Genere, & Differentia?

1 HÆc Dubitatio ſolet ſub alijs termi nis ſic proponi, an in eſſentia Materiæ primæ ſint gradus diſtincti, ita vt

Ma-

Diuerſi modi propo-nēdi dif ficulta-tem.

Materia quantũcunque ſimplex ſimplicitate Phiſica habeat in ſua Eſſentia tum gradum Genericum, in quo cõueniat cum Forma, tum gradum differentialem, per quem differat à quocunque: Alij vero ex Recentioribus præſertim Amicus Tract. 5. q. 3. Dubit. 11. aliter hanc Quæſtionem proponit, An Scilicet Potentia, quæ eſt eſſentia Materiæ, habeat rationem Differentię, an vero ſit tota eſſentia Materiæ? Alij tandem quærunt, an Materia de ſe ſit obiectum actu cognoſcibile? modus vltimus proponẽdi facit hũc ſenſum, An Materia in ſua Quidditate, includat gradũ, qui habeat rationem actus, atque adeò conſtituat ſuam Speciem? Sed à quæſtione ſub hoc vltimo titulo nunc præſcindimus, quia propriũ Locum habebit in ſequentibus.

In difficultate ergo propoſita ſub prioribus titulis duę poſſunt eſſe extremę Sẽtentiæ, quarum Prima affirmat, Materiam de ſe eſſe in aliqua determinata Specie, quamuis reductiuè, & habere gradus eſſentiales tum Genericum, in quo conueniat cum alijs Entibus, tum Differentialem, per quem differat à quocunque. Ita omnes illi, qui concedunt Materiæ aliquem actum realiter diſtinctum à Forma, vt omnes Scotiſtæ. Quorum Fundamentum illud potiſſimum eſſe poteſt, quia Materia non eſt purum nihil, ſed verum ens reale, poſitiuum de Genere Subſtantiæ; ergo Materia conuenit cum Forma in gradu Subſtantiæ, & entis realis tanquam in gradu Generico, cum etiam Forma ſit quædam Subſtantia, & verum ens reale: Sed Materia realiter, & eſſentialiter diſtinguitur à Forma; rũ: vnde vtriuſq; diuerſa eſt quidditas, & diffinitio, ergo Materia nõ ſolum habet aliquid, in quo conuenit cũ Forma tanquam in Genere: Sed etiam habet aliquid, per quod differt à Forma tanquam per Differentiam; ergo Materia in Genere Subſtantiæ eſt quædam Species completa completione cõpoſitionis ex Genere, & differentia, & Confirmatur, quia ſolus actus eſt, qui diſtinguit ex Philoſopho 7. Methap. cap. 13. text. 49. Sed Materia Secũdũ ſuam Eſſentiam diſtinguitur ab eſsẽtia Formæ: quia eſsentia Materiæ eſt eſſe ens in potẽtia: eſsẽtia vero Formę eſt eſſe Ens in actu: ergo in eſsẽtia Materiæ includitur ille gradus

Scotiſtæ affirmãt, Materiam eſse in aliqua ſpecie.

Ratio ſcotiſtę.

Confirmatio eiuſdẽ.

eſſentialis per quem eadem Materia diſtinguitur ab eſſẽtia Formæ: & cùm Materia includat etiam gradum Genericum, in quo conuenit cum Forma, ſequitur, quod Materia cõſtituit Suam Speciem completam completione compoſitionis ex Genere, & differentia.

Sententia Thomiſtarũ negat materiã eſſe in aliqua ſpecie completa.

3 Sed altera Sententia extremè contraria, quæ proculdubio eſt Thomiſtarum, negat omnino, Materiam primam eſſe de ſe in aliqua Specie determinata, & completa completione compoſitionis ex Genere, & differentia: ſed eam eſſe inquit, conceptum ita Simplicem, vt non includat propriè vel gradum Genericum, in quo conueniat cum Forma, vel gradum Differentialem, per quem differat ab illa. Ita etiã omnes illi, qui negant Materiæ omnẽ Actum, dicunt, quæ, eam eſſe puram potentiam in omni Genere, & probatur, quia Materia Prima vel Secundum eſſentiam ſuã tota eſt Actus, & hoc non, quia illa eſſentia, quæ eſt actus tantum, eſt ſola Eſſentia Diuina; vel eſſentia Materię primę eſt admixta ex aliquo, quod realiter habet rationem potentiæ, & ex aliquo, quod realiter habet rationem actus, & hoc neque, quia talis eſſentia eſt tãtummodo earum rerum, quæ directè, & per ſe ponuntur in Genere: vel tandem tota eſſentia Materiæ primę eſt pura potentia tantum, & tunc ſequitur, conceptum Materiæ eſſe omnino Simplicem, & non completum, nec compoſitum ex Genere, & differentia. Et confirmatur, quia Forma non conſtituit ſpeciẽ completam completione compoſitionis ex Genere, & differentia, nec directè ponibilem in prędicamento; ergo nec minus Materia conſtituit Speciem, tali modo compoſitam; cõſequẽtia ſequitur vel à Fortiori, vel Saltem à paritate rationis.

Fundamentũ huius ſententiæ.

probatur antecedens. Omnis Differentia, quæ habet veram rationem Differẽtię, ſumitur tãtum à Forma, nec dicit realiter totam naturã, Sed Solummodo Formam, cum ſola Forma ſit, quæ diſtinguit: Sed Differentia, quæ veram habet rationem Differentiæ, ponitur à latere, eſtque gradus Simpliciſſimus, nec poteſt conſtituere Speciem compoſitam ex alia Differentia, aliàs daretur proceſſus in Differentijs, ergo ſimiliter Forma, à qua ſumitur Differentia, nõ poteſt conſtituere Speciem completam, completione

com-

compoſitionis ex Genere, & differentia, nec directè ponibilem in prædicamento.

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO.

Pro Defenſione vtriuſque Opinionis.

4 SEd ſic Facilè defendi poteſt vtraque Sententia. Dupliciter aliqua natura poteſt conſtituere Speciem completam completione compoſitionis ex Genere, & differentia. *Primo* ita vt talis Natura ſit compoſita ex duplici parte reali, quarum quælibet per eſſentiam ſuam ſit quædam Res: ſed vna ſit realiter Potentia, altera vero ſit realiter Actus, & neutra eſſentialiter ſit alia; & Natura, quæ ſic eſt in ſpecie, eſt natura completa ſimpliciter, & ſecundum eſſe; quæ non ſolum directè ponitur in linea prædicamentali: ſed etiam per eſſentiam ſuam eſt ſimpliciter ſpecies contēta ſub tali Genere. In hoc autem ſenſu Materia prima non eſt in ſpecie completa completione compoſitionis ex Genere, & Differentia; quia Materia prima ſecundum eſſētiam ſuam non conſtat ex duplici parte, quārum quælibet ſit res, & vna realiter Actus, alia vero realiter Potentia, nec ex duplici gradu, quorum vnus ſit extra eſſentiam alterius, vt de ſe patet. Et ita intelligenda eſt ſententia Thomiſtarum, quibus ſecundum hunc modū dicendi Scotiſtæ non contradicent.

Materia non conſtituit ſpeciem cōpletam ſecundū eſſe.

Secūdo modo poteſt aliqua Natura conſtituere ſpeciem completam cōpletione compoſitionis ex Genere, & Differentia, ita vt etiam ſit compoſita ex duplici gradu, non ita tamen, vt vnus ſit eſſentialiter extra alium; nec ita vt quilibet per ſuam eſſentiam ſit res, ſed ita vt vna pars ſit eſſentialiter Res, alia vero ſit tātummodo modus eiuſdem rei, & illa natura, quæ ſic conſtituit ſpeciem, non eſt natura completa ſecundum eſſe, ſed tantum ſecundum modum, quatenus vna, & eadem res habens ſuum modum eſſendi realem, eſt cōpoſita ex duplici gradu, ſcilicet ex Eſſentia, & modo eſſendi, & in hoc ſenſu accipi poteſt prima ſententia Scotiſtarum: Nam Materia, quę eſſentialiter eſt quędam res, habet etiam ſuum realem modum eſſendi, qui eſt eſſe in potentia, & non diſtinguitur eſſentialiter ab ipſa Materia, cum nullus modus

Declaratur quomodo materia ſit compoſita?

dicat diuerſam eſſentiam ſupra rem cuius eſt modus.

Poteſt etiam dici in hoc eodem ſenſu, quod Materia eſt multiplex ſpecie ſaltem ſucceſſiuè, quatenꝰ per hoc, quod coniungitur, & comparatur diuerſis Formis diuerſę ſpeciei, acquirit diuerſos modos eſſendi, qui reductiuè pertinent ad diuerſas ſpecies.

DVBITATIO QVINTA

V. Materia Prima de ſe ſit vna numero, ita vt præſcindendo à quacunque Forma habeat ſuam propriam Vnitatem numericam?

1 MAteria ſecundum ſuam eſſentiam præcisè cõſideratam quatenus eſt Ens, à Forma diſtinctum, iam diximus, quod indirectè collocatur in Genere Subſtantiæ, & quod ſuam etiam propriã, incompletamque conſtituit Speciem: nam cum ſit pars eſſentialis corporis, quod eſt prima Species ſubalterna Prædicamenti Subſtantiæ, ad eandem Speciem corporis eſt reducenda: ſeu in tali Specie corporis eſt reductiuè collocanda: vnde in præcedenti Dubitatione diximus, Materiam conſtituere ſuam Speciem non ſecundum eſſe, ſed ſecundum modum. Nunc videndum ſupereſt, an etiam Materia habeat ſuam propriam Vnitatem numericam, independenter à quacunque Forma?

2 In propoſita difficultate Omnes Thomiſtæ cum Diuo Thoma in 1. par. q. 16. art. 7. in ea ſunt ſententia, vt denegent Materiæ primæ vnitatem numericam poſitiuã; dicuntq; Materiam pro illo priori, quo præcedit omnẽ Formam ſubſtantialem, eſſe vnam numero tãtum negatiuè, quatenus pro eo tunc non eſt actuata per Formam: verba autem D. Thomæ loco cit. ſunt huiuſmodi. *Materia prima dicitur eſſe vna, non quia habet vnam Formã, ſed per remotionem omnium Formarum.* Accedit pro eadem Sententia ratio, quia Omnis Vnitas poſitiua, quęcunque ſit, ortum habet à Forma; ergo materia in illo priori, quo præcedit omnẽ Formam, non eſt vna numero poſitiuè. | Thomiſtæ negãt Materiæ vnitatem numericam poſitiuam.

4 Scotiſtę vero non verentur, concedere Materiæ primæ ſuam propriam, & poſitiuam vnitatem numericam, etiam pro illo priori, quo Materia præcedit omnem Formam. Nam dicunt, (& eſt Scoticum Fundamentũ)

Scotiſtę conce-dũt ma-terię v-nitatē nume-ricam poſiti-uam.

Materia pro illo priori, quo præcedit omnem Formam, non eſt purum nihil, cum ſit poſitiuum Principium trans mutationis realis; ergo eſt ens reale, ſed non eſt ens in comuni, ſed potius ita eſt hoc ens, vt non ſit aliud, ergo Materia pro illo priori quo præcedit omnem Formam, habet ſuam propriam hæcceitatem, ſeu Vnitatem numericam poſitiuam, quia in hoc conſiſtit Vnitas numerica poſitiua, vt res ſit hoc ens, & non aliud; ſeu in habere ſuam propriam hęcceitatem.

IVDITIVM AVTHORIS

Pro Defenſione vtriuſque Opinionis.

5 Vtraque tamen Sententia poteſt problematicè ſubſtineri, ſi Magni AEgidij doctrinam præ oculis habeamus. Hæc eſt Aſſertio Fundatiſſimi. Sicut Materia Prima eſt in Genere Subſtantiæ non directè, ſed indirectè: & ſicut conſtituit Suam Speciē non completam: ſed incompletam: ita habet Suam Vnitatem Numericam poſitiuam non Simpliciter, ſed ſecundum modum. Quod Materia non habeat Vnitatem numericam poſitiuam Simpliciter, docet AEgidius in q. 8. de Ente, & eſſentia, vbi hæc habet. *Materia non eſt vna numero Simpliciter, quia ens in potentia, ſicut eſt Materia, non poteſt dici vnum Simpliciter*. Poteſtque huius rei adduci ratio à priori, quia *M*ateria prima non habet per eſſentiam ſuam eſſe hoc, & non aliud: cum hoc tantũ conueniat Quantitati, quæ per ſe ipſam eſt hæc, & nunc, & plurificari poteſt ſub eadem Specie: ergo *M*ateria prima non eſt vna numero poſitiuè Simpliciter pro illo priori, quo præcedit omnē Formã conſequētia ſequitur, antecedens autem pendet ex his, quæ diximus in *M*echaphiſica Tract. 3. diſp. 2. de Paſſionibus Entis q. p. de Vnitate Art. 2. de Vnitate Indiuiduali 1. Dubit. 3. vbi oſtendimus, ſolam Quantitatem inter omnia entia indjuiduari per ſe ipſam: Sicut ergo *M*ateria nõ eſt ens Simpliciter, ita neque Simpliciter eſt hoc ens. Et in hoc Sēſu eſt accipienda Sententia D. Thomæ.

6 Quod vero *M*ateria ſit vna numero, vel priuatiuè, vel poſitiuè ſecundum modum,

dum, eſt AEgidij vbi ſupra expreſſis his verbis. *Materia Simpliciter non habet eſſe, habet tamen ſuum modum eſſendi, & per comparationē adFormam etiam ita eſt hęc, vt non ſit alia.* Materia igitur in illo priori, quo præcedit omnem Formam, non eſt vna numero poſitiuè Simpliciter, quia ſine Forma Accidentali nullum eſt eſſe Simpliciter: eſt tamen vna numero poſitiuè ſecundum modum, quatenus dicit ordinem ad Formam entis, & in hoc Senſu ſunt intelligendi Scotiſtæ, admittentes *M*ateriæ propriam Hæcceitatem.

DVBITATIO SEXTA.

V. Materia Prima habeat de ſe aliqnem Actum ſibi proprium, & Specialem?

1 SEnſus quæſtionis eſt, an *M*ateria prima Secūdum eſſentiam ſuam ita ſit pura potentia etiā in genere Entis, vt nullum prorſus habeat Actum, per quem realiter exiſtat extra ſuas cauſas? an vero habeat Actum exiſtentiæ, quē vocant entitatiuū, ſibi proprium, & Specialem, per quem dicatur realiter exiſtere à parte rei?

2 Et Prima Cælebris Sententia eſt omnium Scotiſtarum cum eorum Principe in 2. Sent. diſt. 12. q. p. quos ſequuntur multi Recentiores, relati tum à *M*aſtrio, & Beluto, diſp. 3. q. p. art. 2. tū etiam ab Amico Tract 5. q. 4. Dubit. p. art. p. 2. & 3 Qui omnes in eo conueniunt, vt dicant, *M*ateriam Primam independenter ab omni Forma habere proprium actum, illumque vocant entitatiuū Pro qua Scotica Sententia quamuis diuerſa adduci ſoleant argumenta, potiora tamen, ad quæ alia reducuntur, ſunt huiuſmodi. Primo. *M*ateria prima ſecūdum ſe eſt propriiſſimè terminus productionis realis, ergo in omni rigore eſt actus quidam entitatiuus, ſeu ens actu incompletum. Cōſequentia inficiari non pōt: nam in ſchola ſubtili per actum entitatiuum nihil aliud intelligitur, niſi id, quod eſt realiter à parte rei extra ſuas cauſas, eſtq; terminus alicuius productionis realis, cum antea eſſet tātum in potentia obiectiua: nunc probatur antecedens; Materia prima Secundum ſe non eſt purum nihil, ſed verum ens reale de Genere Subſtantiæ: vel ergo eſt ens reale, realiter identificatum cum entitate

Scotiſtę concedūt materiæ actum entitatiuum independenter à Forma.

tate Formæ, vel realiter ab illa diſtinctum? nō primum, aliàs non eſſet Subiectum Formæ, nec eſſet altera pars compoſiti Phiſici, ſed potius compoſitum eſſet Entitas Simplex: ſi *M*ateria eſt ens reale, realiter à Forma diſtinctum: vel illud etiā vt eſt entitas Simpliciſſima, & partialis, eſt realiter quid productum per realem productionem, vel ſaltem comproductum, & concreatum, vel eſt Simpliciter quid improductum? nō hoc Secundum, vt omnes facilè concedent, ergo primum, ergo *M*ateria Secundum ſe eſt proprijſſimè terminus alicuius productionis realis, & ex conſequenti non eſt ita pura potentia in genere Entium, vt nullū prorſus gradum actualem Entis in rerum natura, & entium coordinatione obtineat: Sed proprijſſimè erit ētitas actu poſita extra ſuas cauſas. Et Confirmatur, quia Materia Prima etiam, vt eſt entitas Simpliciſſima, à Forma diſtincta, eſt effectus realis Dei, ergo in omni rigore eſt Actus entitatiuus: de antecedenti nulli dubium eſſe debet, quia Materia Prima quantumcunque ſit Entitas Simpliciſſima, & partialis: tamen Secundum aliqualem ſuam entitatem partialem non eſt Simpliciter independens, & increata: Sed in omni rigore eſt entitas realiter producta, vel ſaltem comproducta, (hoc enim parum refert, quia ſufficit, ſi concedatur, Actionem realem alicuius Agentis attingere illam aliqualem entitatem Materiæ, quæ cum realiter diſtinguatur ab entitate Formæ, non eſt dubium, quin habeat ſuam partialem productionem, ſibi Specialiter correſpondentem,) & ſi entitas Materiæ dicitur comproducta, hoc ſolū eſt, quia non fuit producta ſolitariè ſine Forma, ſed ſimul cum Forma: Materia ergo Secundum ſuam Specialem entitatem debet reſpicere aliquod Agens, præſertim Agens Primum, à quo Secundum ſuam partialem entitatem fuerit cauſata, & producta de non eſſe ad eſſe. Nunc probatur conſequētia principalis; nullum Agens producit effectum, ſibi omnino diſſimilem, ſed ſemper illi aſſimilatur in aliquo: ergo Materia prima Secundū ſuam Specialem, & partialem entitatem eſt aliquo modo ſimilis Deo producenti: ſed non poteſt eſſe ſimilis in aliqua potentia, quam Deus non habet; ergo erit ſimilis

Confirmatio eiuſdē.

in

in actualitate, & hoc eſt habere Actum entitatiuum; ſeu eſſe ens in actu. Confirmatur Secundo; quia inter eſſe, & non eſſe nullum cadit medium, alias daretur medium inter affirmationem, & negationem: vel ergo Materia reponitur ſub non eſſe, quæ eſt vna pars contradictionis, & tunc erit nihil, vel reponitur ſub alia parte ſcilicet ſub eſſe, & tunc erit aliquid in actu, quia nihil poteſt dici ens, quod aliquo modo non ſit in actu; hæc & ſimilia habent Scotiſtæ.

2. Confirmatio eiuſdẽ.

3 Altera Sententia eſt omnium Angelicorum cum eorum Principe D. Thoma in p. p. q. 66. art. p. & Quolib. 3. art. p. & de potentia q. 4. art. p. quam Sententiam Sequuntur etiam multi tum ex Antiquioribus, tum etiam Recentioribus, quos citat; & Sequitur Ruuius in p. lib. Phiſic. Tract. p. de Materia, q. 2. numero 12. ſed præſertim ex noſtris Argentina in 2. diſt. 12. q. prim. art. p. Alphonſ. Tolet. in 2. de Anima q. p. art. 1. Qui omnes ſimpliciter negant; Materiam vllum prorſus actum eſſentialem habere: Sed eſſe dicũt in Genere entium puram potentiam; Quod aſſertum his rationibus potiſſimis comprobatur. Primo ex Ariſt., qui vbicunque loquitur de Materia, ſemper illã appellat Puram Potentiam: vnde in 3. Phiſ. text. 3. diuidit Ens in ens, quod eſt Potentia, & in ens, quod eſt Actus; conſtituens ſub Primo membro Materiam primam; idem repetit in multis alijs locis, propter quod in p. Phiſic. text. 79. ait, Materiam non cognoſci niſi per analogiã ad Formam, quod falſum eſſet, ſi Materia per ſe eſſet ens in actu; & Primo de Gener. text. 23. ait, quod ſi Subiectum Generationis eſſet in actu, Generatio foret Alteratio, quia quod aduenit Enti in actu, accidens eſt, & p. *Phiſ.* text. 69. ait, Materiam in toto Genere rerũ naturalium ſe habere ſicut lignum in Genere artificialium: ſed hoc in Genere artificialium eſt pura potẽtia; ergo, & Materia in genere entium naturalium; & propterea diffiniens Materiam, inquit, eã non eſſe nec Quid, nec Quale, nec Quantum.

Thomiſtæ negãt Materiam habere aliquẽ actũ entitatiuũ.

Primũ fundamentum huius Sententiæ ſumitur ab Ariſt.

Secundo Idem Probatur ratione: quia ſi Materia prima habet de ſe actum entitatiuum ſibi proprium: cũ talis actus ſit Subſtantia, neceſſario debet eſſe, vel Forma, vel Compoſitũ, vel Materia; non eſt Forma, quia hæc eſſẽtialiter eſt actus informans

Eadem Sententia multiplicatur confirmatu

formans, quo modo non eſt Materia, nec eſt compoſitum, quia hoc eſſentialiter eſt Actus completus, Materia autem eſt entitas partialis: nec tandem poteſt eſſe Materia, quia Materia eſſentialiter eſt potentia, ergo cum actus entitatiuus non appareat, quid ſit, erit nihil. Et confirmatur primo, quia omnis actus, & omne eſſe eſt à Forma, ergo Materia ſecundum ſe nec habet actũ, nec habet eſſe. Confirmatur ſecũdo, quia purus actus, qualis eſt Deus, nullam includit potentiam, ergo Pura Potentia, qualis eſt Materia prima, nullum includit actum; Cõfirmatur tertio, ſi Materia includeret aliquem actum ſibi proprium: tunc ex Materia, & Forma fieret vnum per accidens, quia ex duobus entibus in actu non fit vnum per ſe. Confirmatur. 4. quia ſicut ſe habet Forma ad actum, ita ſe habet Materia ad potentiam: Sed Forma eſt ita actus ſimplex, vt excludat omnem potentiam etiam obiectiuã; ergo Materia eſt eſſentialiter ita potentia, vt omnem excludat actum, etiam entitatiuum. Confirmatur vltimo. In illo Genere, quo aliquod eſt potentia, in eodẽ genere non eſt actus: ſed Materia prima in Genere entiũ eſt pura potentia, ergo in Genere entium nõ eſt actus. Hæc non ſine magna efficacia habent Thomiſtæ.

4. AEGIDIVS quamuis prima facie videatur potius procumbere in Sententiam D. Thomæ, quam Scoti: re vera tamen ita Iudicium defendit Angelicum, vt à Scotico non recedat: nam in libro ſex Principiorũ pagina 46. Col. 4. quærẽs, an Materia ſit ens? ſic in reſpõſione ad Primum inquit. *Dicendum, quod duplex eſt eſſe, Scilicet actus entis, & actus eſſentiæ: vnde Materia Prima non habet eſſe actus entis: ſed habet eſſe actus eſſentiæ: quia habet eſſentiam, quæ non eſt purum nihil, ſed aliquid.* Sic ad Secundum ſic ait. *Ad aliud dicendum, quod verum eſt, quod Materia non habet eſſe completum, habet tamen eſſe incompletum.*

Loca Ægidij.

Et in 2. Sent. diſtinct. 12. p. Queſt. 2. art. 2. in ſolutione ad Secũdum hæc ait. *Dicendum, quod Materia eſt multum diſſimilis Deo: ſed nõ eſt omnino diſſimilis, quia quod participat aliquo modo entitatem, aliquo modo imitatur id, quod eſt ipſum eſſe, in quo omnis entitas reſeruatur: potentia ergo pura multum diſtat ab actu puro, ſed*

non eſt omnino diſſimilis, eo quod aliquo modo participat entitatem: ſolum autem eſt omnino diſſimile Deo, quod eſt purum nihil, & quod nullo modo participat entitatem.

Item in Quolib. 2. q. 13. & in Lib. de Gener. q. 14. & Latius in 2. Sent. diſt. 12. q. 3. art. p. in ſolutione ad vltimum ſic concludit. *Concedimus, Materiam eſſe mediũ inter Ens, & Nihil: & dicimus, quod Materia ſit tenet cum eſſe, & cum non eſſe, quia ſe tenet cum eſſe in potentia, & cum non eſſe in actu: nec propter hoc eſt medium inter contradictoria: nam non eſſe eſt duplex: vel nullo modo eſſe: & ſic nihil continetur ſub non eſſe, nec quidẽ ipſa Materia: vel non eſſe ſimpliciter in actu, ſed eſſe Secundũ quid, & in potentia, & ſic Materia eſt ſub nõ eſſe.* Hæc AEgidius.

IVDICIVM AVTHORIS EX AEGIDIO.

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

5 SEd recurramus ad illud Ægidianũ Principium, quod pluries annuimus in præcedentib⁹, & multoties in ſequentibus declarabitur. Duplex eſt actus, prior eſt ſecundum eſſe, ſeu Secundum eſſentiam, qui vocari ſolet Actus Formalis, ſeu ſpecificus, & determinatus, ſeu determinatæ Speciei, & hic ſi prouenit à Forma partis, eſt incompletus, & partialis; ſi vero prouenit à Forma totius Vniuoci, eſt completus, & totalis, & dicitur eſſe per ſe. Alius Actus eſt tãtum Secũdum modum, ſeu traſcendentalis, & Secundũ dici, qui nõ cauſatur à Forma partis, nec minus à Forma totius Vniuoci; ſed tantum prouenit à Forma totius Analogi, & propterea ſolet vocari Actus entitatiuus, quia eſt Actus entis traſcendentis, & non determinatus ad aliquã Speciem: & quo ad Indiuiduationem nõ cauſatur, nec à Forma Subſtantiali: nec minus pendet à Forma Accidentali, à qua ſolet ſignari Materia, & fieri hæc, ita vt non ſit alia, ſed tãtum pendet à Forma Entis.

6 Modo Materia Prima Secundum eſſentiam ſuam independenter ab omni Forma nullum habet Actum ſecundum eſſe, qui aliter dicitur Formalis, & Specificus, ſeu determinatus ad aliquã Speciem, quia hujuſmodi actus cum proximè proueniat à Forma partis, & remotè

motè à Forma totius vnin͡o-ci, non poteſt eſſe in Materia pro illo priori, quo Materia præcedit omnem Formam, & ita ſunt intelligendi Thomiſtæ, negantes Materiæ omnem actum.

7 Cũ hoc tamen ſtat, quod Materia Secundum ſe etiam prout præſcindit ab omni Forma, habet quemdam actum ſecundum modum, qui ſi comparetur ad Formam Entis, dicitur actus entitatiuus, & nullo modo diſtinguitur ab ipſa Materia eſſentialiter; quia nullus modus dicit eſſentiam diſtinctã ſupra rem, cui eſt modus: diſtinguitur tamen realiter, quia realiter aduenit eſſentiæ Materiæ, & realiter poteſt à Materia ſeparari, & hoc modo ſunt intelligendi Scotiſtæ, concedentes Materiæ actum entitatiuum independenter à Forma; videatur Noſter Alphonſ. à vera Cruce Specul. 3. concl. 1. vſque ad Quartam.

RESPONDETVR IN FORMA ARGVMENTIS.

Vtriuſque Sententiæ.

8 AD D. Thomam dicimus Generaliter eius argumenta cõcludere, Materiam primam non habere actum Secundũ eſſe, ſeu Formalem, & completum independẽter à Forma. & in ſpeciali ad primum ex Ariſtotile Reſpondetur, Materiam primam eſſe purã potentiam, intellige eſſentialiter, quia Materia prima Secundum ſuam eſſentiam non eſt ens in actu Simpliciter, ſed potius eſt ens in potentia, & propterea non cognoſcitur niſi per analogiã ad Formam. Ad ſecundum dicimus, quod ille Actus entitatiuus, quem habet Materia independenter à Forma, eſſentialiter nihil aliud eſt niſi Materia, quia modus rei eſſentialiter eſt ipſa met res: actus antẽ entitatiuus, qui conceditur Materiæ, eſt actus Secundum modum, quia eſt quidam modus eſſendi Materiæ. Ad primam confirmationem Reſpondetur, quod omnis actus completus, & ſecundum eſſe eſt à Forma, intellige à Forma partis, vel totius: non vero actus Secundum modum, qui ſolum dependet à Forma Entis, & propterea dicitur actus entitatiuus. Ad ſecundã confirmationẽ dicimus, quod ſicut Purus Actus, qualis eſt Deus, nullam includit potẽtiam Secundum eſſe, cum tamen includat potentiam Secundum mo-

dum, quæ eſſentialiter non eſt aliud, niſi putus actus, ita pura potentia, qualis eſt Materia, nullum includit actum Secundum eſſe, includit tamen actum Secundum modum, qui actus eſſentialiter non eſt aliud, niſi Pura Potentia. Ad 3. confirmationem Reſpondetur; negando Sequelam: nam actus, qui conceditur Materię, non eſt actus Secundum eſſe, nec cōpletus, ſed eſt actus ſecundum modum, qui propterea dicitur entitatiuus, quia eſſentialiler eſt ipſa entitas Materiæ, & hinc eſt, quod Forma Subſtantialis adueniens non facit cum Materia vnum per accidens, ſed potius vnum per ſe: quia non aduenit Enti conſtituto in actu completo. Ad quartam confirmationem Reſpondetur, quod ſicuti Forma eſt actus ſimplex Secundum eſſe, & tamen includit potentiā Secundum modum, quia ante quam ſit, poterat eſſe, ita Materia prima eſt quidē pura potentia Secundum eſſe, includit tamen actum Secundum modum, quia non eſt purum nihil. Ad vltimam confirmationem Reſpondetur, quod Materia prima in Genere entium eſt pura potentia Secundum eſſe, cum quo bene ſtat, quod etiam ſit actus Secundum modum.

Ad Scotum Reſpondemus; omnia eius argumenta concludere, Materiam Primam habere actum Secundum modum, ſeu actum incompletum, qui eſſentialiter nō eſt aliud, niſi pura potentia, ſeu Materia prima: atque adeò non eſt propriè actus, & propterea à Thomiſtis, & præcipuè ab AEgidio abſolutè denegatur materię omnis actus.

DVBITATIO SEPTIMA.

V. Materia Prima de ſe habeat peculiarem Subſiſtentiam?

1 SVbſiſtētia in omni rigore vocabuli eſt vltimum complementum Naturæ ſubſtantialis, per quod eadem Natura exiſtit per ſe; ſed tātum in ſubſtantijs, quæ ſi ſunt Irrationales, faciunt Suppoſitum, ſi vero ſunt Rationales, conſtituunt Perſonam: Nunc dubium eſt, an Materia, quæ eſt quędam Subſtantia incōpleta, habeat independenter à Forma, Subſiſtentiam?

2 Et qui negaunt Materię omnem actum exiſtentię, conſequenter dicunt, Materiam de ſe nō habere hunc

actum Subſiſtentiæ probant, quia ſubſiſtentia idem eſt, ac exiſtentia per ſe, ſed Materia independenter à Forma non exiſtit per ſe, ergo &c.

3 Alij vero vt ſcotiſtæ ſine hæſitatione cōcedunt, Materiam primam habere propriam Subſiſtentiam; & quidem in duplici ſenſu, primo quatenus ſubſiſtere idem eſt ac per ſe eſſe, & non in alio vt in ſubiecto inhæſionis, quomodo ſubſiſtere conuenit omni Subſiſtentiæ tam completæ, quam incompletæ: nam per hoc ſubſtantia diſtinguitur ab Accidente, quia ſubſtantia nō eſt in alio vt in ſubiecto inhęſionis; ſecundo habet etiam Materia propriam ſubſiſtentiam, quatenus ſubſiſtere idem eſt ac exiſtere indepenpenter ab alio vt à ſubiecto ſubſtentante, quomodo ſubſiſtere non conuenit Formis materialibus, quæ ſubſtentantur in Materia. Ita præter alios ſcotiſtas Maſtrius, & Bellutus Diſp. 2. q. 2. art. 2. & ex Recētioribus extra ſubtiles etiam Suarez 2. Thom. Meth. Diſput. 24. ſect. 5. num. 3; quem refert, & ſequitur Ruuius Lib. p. Phiſic. Tract. p. de Materia Prima q. 4. num. 26. & probatur; quia Materia quamuis ſit entitas incompleta, & partialis, eſt tamen propriſſimè ſubſtantia, cōtradiſtincta ab Accidente: ſed ſubſtātia quatenus condiſtinguitur ab Accidente, exiſtit per ſe, & non in alio, vt in ſubiecto inhæſionis, ergo Materia quatenus eſt quędam ſubſtantia partialis, exiſtit per ſe, atque adeò habet actum ſubſiſtentiæ, quatenus hæc dicit idem, ac eſſe per ſe, deinde Materia Prima à nullo dependet tanquam à ſubiecto ſubſtentante: imo potius eſt primum ſubiectū ſubſtentans omnes Formas, ergo Materia habet etiam ſubſiſtentiā in 2. ſenſu, quatenus ſcilicet ſubſiſtere idem eſt, ac exiſtere per ſe independenter ab alio, vt à ſubiecto ſubſtentante.

Rationes pro Scotiſtis.

IVDITIVM AVTORIS.

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

4 SEd hæc controuerſia vel eſt tantū de Nomine, vel ſi eſt aliquo modo de Re, ea conciliari ſic facilè poterit. Dupliciter aliqua Natura ſubſtantialis poteſt habere actum proprię ſubſiſtentiæ, & eſſe per ſe incomunicabiliter alteri vt ſubiecto. Primo ita vt ſimpliciter exiſtat per ſe, & per eſſentiam ſuam, ſeu ſecundū

eſſe

In quo ſēſu negari debeat, eſſe materia actū ſubſiſtētię.

eſſe ſit alteri incomunicabilis, & hoc modo Materia nō habet actum propriæ ſubſiſtentiæ, quia Materia non habet per eſſētiam ſuā hoc, quod eſt eſſe ſimpliciter per ſe, & nulli alteri comunicari: imo per eſſentiam ſuam Materia eſt potentia, quæ poteſt ad aliud ordinari, & cum illo coniungi, & hoc tātum volunt Thomiſtæ: cum negant Materiæ actum propriæ ſubſiſtentiæ: ſunt namque intelligendi de actu ſubſiſtentiæ, qui eſt talis ſecundum eſſe, ſeu per eſſentiam, & ſimpliciter, quod aliàs ſolet explicari per eſſe per ſe complete, & ſimpliciter independenter ab alio, vt à ſubſtentante, quod totum conuenit ſolummodo compoſito ſubſtantiali.

Subſiſtentia ſecundū modumcōcedi poteſt materiæ.

5 Secundo poteſt aliqua Natura ſubſtantialis habere actum propriæ ſubſiſtentiæ, & exiſtere per ſe, non ſimpliciter, & ſecundum eſſe; ſed tantum ſecundum modum, & per participationē, quatenus ſcilicet talis natura ſubſtantialis coniungitur cum Forma entis, & participatiuè dicitur ens exiſtens per ſe; & hoc modo concedi poteſt Materię Actus propriæ ſubſiſtentiæ; quia Materia dum coniungitur Formæ entis, acquirit quemdā modum eſſendi præcisè, & quoddam eſſe independenter ab alio, vt à ſubiecto ſubſtentante, quod ita probatur; Nam Materia cum eſt à parte rei etiam in illo priori, quo præcedit omnem Formam ſubſtantialem, vel habet Formam puri nihilis, & hoc non, quia Materia eſt reale principium Transmutationis: vel habet Formam Entis accidentalis, inhærentis alteri vt ſubiecto, & hoc neque, quia Materia eſt primum Subiectum, vel tādem habet Formam cuiuſdam entis exiſtentis per ſe ſaltem incompletè, & ſic habetur intentum. & in hoc ſenſu accipiendi ſunt Scotiſtę.

DVBITATIO OCTAVA.

V. Potentia Paſſiua ſit De Eſſentia Materiæ?

Prima claſſis Doctorū affirmat cū Thomiſtis.

1 IN hac difficultate plures ſunt Authorum Sententiæ, ſed omnes reducuntur ad duas. D. Thomas affirmat, Potentiā Paſſiuam eſſe de eſſentia Materiæ, & ita omnes Thomiſtæ cum eodem D. Thom. in p. p. q. 115. art. p. ad Secundum, vbi Angelicus doctor hæc inquit, *Actus, ad quem eſt in potentia Materia Prima, eſt Subſtantialis Forma,*

ma, & ideo potentia Materia. Non eſt aliud quam eius eſſentia. Sequitur eandem Ruuius Lib. P. Phiſ. tract. p. de materia q. 6. Amicus Tract. 5. q. 3. Dubit. 6. art. 3. probatur autem primo authoritate Phil. Lib. 8. Meth. text. 15. vbi quærens, qua ratione compoſitum ex *M*ateria, & Forma Subſtantiali ſit vnũ per ſe ſic inquit. *Quod ſi quẽ admodum dicimus, hoc quidem Materia, hoc vero Forma eſt, & hoc quidem Potentia, hoc vero Actu, profectò non videtur amplius dubitãdũ, quod quæritur*. Ex quo licet inferre, quod ſi Compoſitum ſubſtantiale ex eo eſt vnum per ſe, quia componitur ex potentia, quę eſt Materia, & ex Actu, qui eſt Forma: ſequitur, quod Materia eſſentialiter ſit potentia: nam ſi potentia materiæ eſſet Accidentalis, & ſuperaddita Materiæ, iam ex potentia, quæ eſt Materia, & ex Actu, qui eſt Forma, non fieret vnum per ſe, & confirmatur Primo, quia Forma eſſentialiter eſt actus etiam in primo modo dicẽdi per ſe: vnde Philoſofus in 2. de Anima diffinit Animam, quod ſit actus: ergo Materia eſſentialiter eſt Potentia, propter quod ab eodem *P*hiloſopho diffinitur Materia in p. Phiſic. tex 82. quod ſit primum ſubiectum. Confirmatur ſecundo: Vel adueniente actu Formali manet Materia ſecundum aliquid ſui, vel Simpliciter cędit? non hoc Secundum, aliàs quod reſultaret per Generationem, non eſſet compoſitum realiter ex potentia, & actu: Si manet Materia Secundum aliquod ſui, illud, quod retinet Materia, etiam adueniente Forma, dici debet eſſentia Materiæ, quod nõ poteſt eſſe actus Secundum ſuam eſſentiam, cũ actus vt faciat vnum per ſe, non adiungatur actui, erit ergo Potentia, atque adeò Potentia erit eſſentia Materiæ.

3 Scotus negat, Potẽtiam eſſe de eſſentia Materiæ in primo modo dicendi per ſe: ſed eam eſſe, inquit, quandã connaturalem Materiæ Proprietatem, illi realiter identificatam, & ſolum eſſe eſſentialem in Secundo modo dicendi per ſe; ita in 4. diſt. 43. q. 3. & expreſſius in 2. diſt. 12. q. 1. & Omnes Scotiſtæ apud Maſtrium, & Bellutum Diſp. 2. q. 5. art. 5. §. media Sententia. Vbi citati Doctores aduertunt, quod Quæſtio non eſt agitanda de potentia Materiæ, ſumpta pro eo, quod dicit fundamentaliter,

Scotiſtę dicunt potentiam adderé ſupra entitate Materiæ quẽdam ordinem.

liter, quia ſic certum eſt, Potentiam Fundamentaliter ſumptam, eſſe ipſam met eſſentiam Materię: ſed eſt quęſtio tantum de Potentia Materiæ Sumpta pro eo, quod dicit Formaliter, in quo ſenſu inquiunt ipſi, potentiam ſupra abſolutam entitatem Materiæ addere quemdam ordinnem receptiui ad receptum, qui ordo ſemper manet in Materia, quia conſequitur naturam receptiui, quod natum eſt, perfici Forma, & aliud non eſt, quam naturalis aptitudo Materiæ ad Formam Suſcipiendam.

Funda-menta Scotiſtarum.

Probatur autem hæc aſſertio Scotica his rationib⁹, Primo, quia adueniente Forma, manet Materia, & tamen non manet potentia Secundum illum reſpectum, quem dicit Formaliter, ergo Potentia Formaliter Sumpta non eſt eſſentia Materiæ. Cōfirmatur Primo, quia Materia per ſuam eſſentiam nō comparatur ad Formam, ſub qua non eſt, ſed tantum ad Formam, ſub qua eſt: aſt per Potentiam eadem Materia non ſolum reſpicit Formam, quam habet, ſed etiam Formam, quam non habet, ergo Potentia nō eſt eſſentia Materiæ.

3. AEGIDIVS in lib. ſex Principiorum pag. 47. quærens, an Potentia ſit de eſſentia Materiæ? ſic ait. *Ad hoc dicendum, quod Potentia dicitur dupliciter: nam Potentia dicit quandam habitudinem ſeu Relationem Materiæ ad Formam, & ſic accipiendo Potentiam, non eſt hęc de eſſentia Materiæ: ſed ſi dicatur impropriè, quod Materia, in qua fundatur talis habitudo ad Formam, ſit potentia, poteſt dici, quod talis potentia ſit de eſſentia Materiæ: ſed Primo modo Potentia accipitur propriè: & talis non eſt de eſſentia Materiæ.*

Opinio Ægidij.

Ruſſus in 2. Sent. diſt. 12. q. 3. art: 2. eandem controuerſiā reſoluit dicens, quod tripliciter Materia dicitur eſſe in potentia ad Formam, Primo pro vt recipit Formā, ſecundo pro vt deſiderat Formam, quod deſiderium alijs terminis dicitur appetitus Materiæ innatus; tertio prout tranſmutatur ad Formam. Si potentia Materiæ accipiatur vel quatenus Materia deſiderat Formam, vel quatenus tranſmutatur ad Formam: ſic potentia Materiæ nullatenus eſt de eſſentia Materiæ; quia potentia Materiæ ſic ſumpta ſemper realiter diſtinguitur à Materia; quod ſic declaratur, quia potentia Materiæ quatenus Materia deſiderat, & appetit

Alius modus dicendi eiuſdē Ægidij.

cit Formam, dicit priuationem Formæ, quia Materia in tantum deſiderat Formã, in quantum eſt priuata Forma, Priuatio autem & ſi non addat aliquam rem ſupra Materiam, differt tamen à Materia, quia adueniente Forma, non cędit Materia, imò ſtat ſimul Materia cum Forma: ſed adueniente Forma, cędit Priuatio illius Formæ; Priuatio ergo ſeu potētia Materiæ vt habet annexã Priuationem, realiter diſtinguitur à *M*ateria. Sic etiam ſumpta Potētia Materiæ pro tranſmutationem ad Formã differt ſimiliter à *M*ateria, quia adueniente Forma, tollitur omnis tranſmutatio ad Formam, cum præſentibus habitibus in *M*ateria, ceſſet motus: Sed ſi accipiatur Potentia *M*ateriæ pro receptiuo Formæ: ſic potentia *Ma*terię eſt de eſſentia Materię, quia ipſum receptiuum Formę nihil aliud eſt, niſi *Ma*teria. hæc AEgidius.

IVDITIVM AVTHORIS EX ÆGIDIO.

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

5 POtentia Primæ *Ma*terię dupliciter poteſt conſiderari primo Formaliter, quatenus dicit habitudinem, ſeu relationem ad Formam: ſeu quatenus dicit Priuationem, & deſiderium Formæ; Secundo ſumi poteſt potentia *Ma*terię radicaliter, quatenus eſt Fundamentum habitudinis ad Formam, eſtque receptiuum tum ipſius Formę, tum etiam habitudinis ad Formam.

6 Et priori modo ſumpta potentia *M*ateriæ, illa proculdubio non eſt de eſſentia Materię, tum propter rationes AEgidij, mox ſuperius adductas in ſecunda ejus explicatione, & modo dicendi, tum etiam propter rationes Scotiſtarum, quæ non aliud probant. Sed ſumpta Potentia *M*ateriæ Secundo modo, Scilicet radicaliter, & pro receptiuo Formę, ad huc illa ſumi poteſt dupliciter, Primo pro eo, quod eſt, ſeu Secundum eſſe, Secũdo pro eo, quod includit, ſeu Secũdum modum reſpectiuũ: nam Potentia eſt relatiua Secundum dici. Et Sumpta Potentia ſecundum id, quod includit, quia vt ſic includit reſpectum, vel plures reſpectus traſcendentales, & Secundum dici ad Formas, vt benè AEgid. tum in loco cit. tum in 1. Phiſicorũ Lection. 18. in Dubit. p. 2. & 3. Ideo po-

Potentia Materiæ hoc modo ſumpta etiam pro receptiuo non eſt de eſſentia Materiæ, ſed potius eſt quædam connaturalis proprietas, ſeu habitudo reſultans ex eſſentia Materiæ, in quo ſenſu accipienda eſt Sententia Scotiſtarum.

7 Sed ſumpta Potentia Materiæ radicaliter, ſeu Fundamentaliter pro receptiuo Formæ, & Secundũ id, quod eſt, ſic potentia *M*ateriç poteſt dici eſſentia Materiæ, quia potẽtia hoc vltimo modo ſumpta nihil prorſus addit ſupra eſſentiam Materię: nam immediatè Materia ſubijcitur Formę, & perficitur per Formam, ſicuti Forma immediatè, & per ſe ipſam perficit *M*ateriam, & in hoc ſenſu intelligimus, & approbamus Sententiã Diui Thomę.

RESPONDETVR IN FORMA ARGVMENTIS.

Vtriuſque Sententiæ.

8 AD Diuum Thomam dicimus, eius argumenta conuincere de potentia Materię radicaliter ſumpta, quatenus eſt Fundamentum receptiuũ tum Formę, tum etiam omnis habitudinis ad Formam: & hoc probat ſpecialiter Primum cum ſuis confirmationibus.

9 Ad Scotum Reſpondemus, eius Fundamenta concludere de potentia *M*ateriç formaliter ſumpta, quatenus vel eſt habitudo ad Formam, vel dicit deſiderium, & appetitum ad Formam, qui appetitus non eſt ſine Priuatione Formę. Ad primum in ſpeciali Reſpondetur, quod adueniente Forma, manet potentia *M*ateriç Secundum id, quod eſt, non tamen manet Secundũ reſpectum, quem includit. Ad Primam cõfirmationem dicimus, quod potẽtia *M*aterię, quę reſpicit, & Formam, quam habet, & Formam, quam non habet, nõ eſt de eſſentia *M*ateriç, quia talis potentia ſemper dicit habitudinem, cum Priuationem admiſtam.

10 Sed Petes; Pro Scotiſtis adueniente Forma, ceſſat ne Potẽtia Materię aliquo modo? Reſpondet Ægidius pro Thomiſtis, quod adueniente Forma, ceſſat potentia Materię, quatenus eſt Priuatio Formę: rurſus ceſſat etiam potentia Materię, quatenus eſt Tranſmutatio ad Formam: ſed non ceſſat potentia Materię, vt eſt receptio formę ſaltem Secundum

dum id, quod eſt, quia vt ſic eſt ipſa eſſentia Materiæ, an autem ceſſet potentia, vt eſt receptio Formæ ſecundum reſpectus, quos includit? dici poteſt, quod neque cedat, quia huiuſmodi reſpectus connaturaliter cōſequuntur, ſeu potius naturaliter conſurgunt ex eſſentia Materiæ.

DVBITATIO NONA.

V. in Materia Prima ſit aliquo modo Potentia Actiua?

remittitur quæſtio alibi plenius pertractanda.

1 DE hac re ſub eiſdē terminis agit Ægidius in quolib. 2. q. 11. Sed quia illa proprium locum habet in articulo ſequenti Dubit. 2 & 3. vbi quæremus, an aliquid Formæ latitet in Materia? ideo eam ibi plenius remittimus perſoluendam.

in quo ſēſu potentia actiua negari debet materię.

2 Pro nunc breuiter dicimus, quod ſi per Potentiam Actiuam in *Materia* intelligatur, quod Materia vel ſimpliciter ſe ipſam moueat ad Formam, vel quod cooperetur Agenti in Generationibus rerum: ſic nulla Potentia Actiua eſt in Materia, quia tunc ſequeretur illud falſum principium antiquorum Philoſoforum, qui totā rerum productionem attribuebant neceſſitati Materię, quaſi quod ſola Materia ſe ipſa moueret ad Formam abſque cōcurſu Agentis naturalis, quod quidem in ſana Ariſtotelica doctrina patet, eſſe falſum, quia Materia nec ſe ipſam Simpliciter mouet ad Formam, nec minus cooperatur Agenti: ſed Simpliciter ab Agente mouetur ad Formas: & in principio potius Materia reſiſtit, & contra agit, quia Agens, & patiens in principio ſunt contraria, & ſolum in fine ſunt ſimilia, eo quod in fine iam Paſſum conuerſum eſt ad Naturam Agentis, propter quod ceſſat omnis actio, & Paſſio.

Materia nō mouet ſe ipsā ad Formā.

3 Si vero per Potētiā Actiuā in Materia intelligatur, quod res materiales agant in Generationibus Entium, ſic concedi poteſt, eſſe in *Materia* potētiam actiuam, quia vnum materiale bene transmutat aliud ad Generationem, & Agentia non ſūt purè ſpiritualia, vel ſimpliciter immaterialia, vt falſo cenſebant Platonici, ponentes Ideas ſeparatas, eſſe principia omnium rerum.

quomodo cōcedi poteſt potentia actiua in materia.

4 An autem in *Materia* ſint Rationes ſeminales, ex quibus educantur, & fiant Formæ, in ſequentibus declarabitur.

DVBITATIO DECIMA.

An Materia ſit Ingenerabilis, & incorruptibilis?

Multiplex ratio dubitandi

1 QVod in hac re facit difficultatem, eſt, quia Agens Naturale, quod poteſt Generare, & corrumpere perfectius, quale eſt Compoſitum, poteſt etiam generare, & corrumpere id, quod eſt minus perfectum, vt eſt Materia Prima. Tum ſecundo; quia Principia corruptibiliũ ſunt corruptibilia ex Ariſt. p. de Cælo tex. 61. ergo ſi Materia eſt principium mortaliũ, corruptibilis erit. Tum tertio; quia Materia licet non conſtet ex partibus eſſentialibus, conſtat tamen ex partibus entitatiuis ad inuicem continuatis, ratione cuius continuitatis, dicitur vna numero; Sed hæc vnio continuitatis corrumpitur, & generatur, quia partes *Materiæ* poſſunt diuidi, & iterum continuari, ergo & vnitas numerica Materiæ corrumpitur, & generatur. tum 4. quia Ariſt. text. 82. inquit, Materiam eſſe generabilem, & corruptibilem. Tum quinto, quia ſi Materia nõ generatur, nec corrũpitur; ergo Generatio non eſt mutatio totius in totum; cõtra Philoſophum p. de Gener. tex. 24. tũ Sexto; quia ſequeretur, Materiam eſſe nobiliorem Forma, & compoſito, quæ corruptibilia ſunt. Tandem Materia eſt cauſa corruptionis compoſiti, ergo ipſa quoque corruptibilis erit, quia propter quod vnũ quodque tale; &c.

Generatio, & corruptio multipliciter ſumi poteſt.

2 Sed Notandum, quod Generatio, & corruptio dupliciter capi poteſt, primo in lata Significatione ſcilicet pro quacunque inceptione, vel deſitione rei, quomodocunque contingat, in quo ſenſu etiam comprehendit creationem, & annihilationem; ſecũdo ſtrictius pro inceptione rei ex præſuppoſito ſubiecto, vel deſitione rei, etiam remanente Subiecto: & in hoc ſecũdo ſenſu adhuc etiã poteſt dupliciter ſumi, primo quatenus eſt quædam mutatio, ſecundo quatenus eſt quædam productio: de qua diſtinctione Ariſt. in p. Phyſ. tex. 64.

In quo ſẽſu materia poteſt dici generabilis, & corruptibilis.

3 Et hac adnotatione præmiſſa, triplici concluſione ſatisfaciendum eſt quæſito. Prima concluſio. Sumpta Generatione, & corruptione in lata acceptione pro quacũque inceptione, & deſitione, quomodocunque fiat etiam prout comprehẽdit creationem, & annihilationem,

tionem, Sic Materia eſt Generabilis, & corruptibilis, quia Materia prima eſt ens creatum, quod ſicuti incepit eſſe, ita poteſt deſinere eſſe. Et quamuis Materia ſemel creata à Deo, nō poteſt ſecundum curſum naturæ deſinere eſſe, cum non habeat contrarium, à quo naturaliter originē habet omnis corruptio, tamen in ordine ad Diuinum Agens poteſt abſolutè deſinere eſſe: atque adeò in hoc ſenſu eſt Generabilis, & corruptibilis.

4 Secunda Concluſio. Si Generatio, & corruptio ſumatur propriè pro inceptione rei ex præſuppoſito Subiecto, ſeu quatenus eſt mutatio; ſic etiam Materia poteſt dici Generabilis, & corruptibilis, quia Materia eſt ſubiectum cuiuſcunque mutationis ſubſtātialis tam acquiſitiuæ, quam deperditiuæ, ergo à generatione, & corruptione ſic ſumptis poteſt denominari generabilis, & corruptibilis: cum Forma ſemper denominet ſuum ſubiectum, in quo eſt; vnde in hoc ſenſu eſt intelligendus Philoſofus tum 8. Methap. tex. 4. tum etiam 12. tex. 10. cum inquit, Materiam eſſe Generabilem, & corruptibilem. Et hoc eſt, quod dicunt alij, Materiam eſſe Generabilem, & corruptibilem Subiectiuè.

Mater a eſt Generabilis, & corruptibilis ſubiectiuè.

5 Tertia Concluſio. Si Generatio, & corruptio ſumātur propriè, & in ratione productionis, vel deſitionis oppoſitæ, Sic Materia eſt omnino ingenerabilis, & incorruptibilis; quia ſi Materia prima in hoc ſēſu poſſet Generari, vel corrumpi, deberet fieri ex præſuppoſito ſubiecto, & in illud idem deſinere; & ſic Materia non eſſet primum Subiectum cuiuſcunque Generationis, vel in Materijs daretur proceſſus in infinitum, quorum vtrumque Falſum eſſe, patet.

In quo ſēſu materia ſit ingenerabilis, & incorruptibilis.

6 Ad Motiua contraria reſpondendum eſt, modum illud arguendi ſolum valere in Paſſis, cōtentis intra Sphærā actiuitatis Agentis, quod ſi poteſt in id, quod eſt perfectius, poteſt etiam in minus perfectum: Aſt quando imperfectum eſt extra Spheram actiuitatis Agētis, vt eſt in propoſito, nō valet, quia poteſt v. g. Homo generare Hominem, ſed non poteſt generare Muſcam, cum hæc ſit extra actiuitatem Hominis. Ad ſecundum ibi Ariſt. non loquitur vniuerſaliter, ſed indeffinitè, ad quod ſufficit, vt aliqua principia ſint

cor-

Soluuntur motiua cõtraria.

corruptibilia, ſic ſunt Forma, & Priuatio. Ad tertium neceſſe eſſet, explicare per quid materia eſt hæc, & non alia? de quare alibi, pro nũc cum AEgidio Reſpondendũ eſt, quod ſicuti in Generatione nõ generatur Materia, nec Forma, ſed Compoſitũ, ita in corruptione nõ corrũpitur Materia ſecũndũ ſuam eſſẽtiam, nec Forma, ſed compoſitum; & ſicuti in Generatione cum Materia coniungitur Formæ, tunc Materia acquirit quemdam modum, qui licet eſſentialiter ſit Materia, tamẽ eſt aliquid realiter diſtinctum à Materia, ita in corruptione Materia deperdit illum modũ eſſendi, quem habebat, vt erat coniuncta cum Forma, qui modus eſſendi eſt aliquid reale, realiter diſtinctum ab eadem Materia. Ad quartũ patet, quomodo Materia per Ariſt. ſit Generabilis, & corruptibilis, eſt enim generabilis, & corruptibilis per accidens, ideſt vel ratione Formæ, vel ratione Priuationis, quæ ſunt in Materia. Ad Quintum dicendum pro modo, quod Generatio eſt mutatio totius in totum cathegorematicè, ideſt ſumendo totum pro ipſa totalitate, quæ includit Vnionem: non autem Sincathegorematicè pro ſingulis partibus. Ad ſextum neganda eſt ſequela, quia nobilitas ſimpliciter attẽditur ex perfectiori gradu Naturæ, non ex aliqua peculiari eius conditione: præter quam quod, & ſi Materia habeat incorruptibilitatem, Forma tamen, & compoſitum habent Actualitatem: hæc autem perfectio eſt nobilioris ordinis, quam incorruptibilitas; vnde compoſitũ, & Forma ſimpliciter ſunt nobiliores, quam Materia. Ad vltimum plenius reſpondebitur in dubitatione ſequenti, pro nunc ſufficiat, quod Materia vel nõ eſt cauſa, vel non eſt tota cauſa corruptionis cõpoſiti, & ideo non ſequitur, quod ſi compoſitum eſt corruptibile propter Materiam, quod Materia ſit magis corruptibilis.

DVBITATIO VNDECIMA.

An, & Quomodo Materia ſit Principium corruptionis?

1 NOn quærimus quã cunque cauſam corruptionis, ſed radicalem, & originariam, & dubium eſt, an illa ſit ſola Materia, vel aliquod aliud? & ferè omnes, quos Legi, primam radicem, & origi- fere omnes dicũt cauſam corruptionis eſſe Materiam.

nem

nē omnis corruptionis com poſiti dicunt, eſſe Materiam; ſic tribuitur D. Thomæ p. p. q. 66. art. 2. & Scoto in 2. diſt. 12. q. 1. apud Maſtrium, & Bellutum in diſp. 2. q. 8. art. 3. præterquos ſunt etiam plures alij, quos refert, & ſequitur Amicus Tractatio ne 5. q. 8. Dubit. 3. num. 2. Idque probatur primo, quia Ariſt. in multis locis ſemper cauſam corruptionis reducit in Materiam vt p. cæli text. 136. & p. de Gener. tex. 54. Secundo. ex eodem Philoſopho, qui de longitudine, & breuitate vitæ cap. 2. cum dixiſſet. *Cui non eſt contrarium, impoſſibile erit corrumpi.* Nequis crederet cōtrarietatem eſſe primam radicem corruptionis, ſtatim ſubdit. *Impoſſibile eſſe Materiam habenti, non exiſtere aliqualiter contrarium.* Quibus verbis manifeſtè colligitur, cauſā extrinſecam corruptionis .ſ. contrarietatem ab intrinſeca depēdere, hāc vero à Materia veluti à primaria radice originē ducere

Ægidius cauſam corruptionis refundit in Formā habentem contrarium.

2 Sed in hac parte non eſt ſub Silentio prætereundus AEgidius, qui pluribus in locis, præſertim in queſtionibus diſputatis de Mortuorum Reſurrectione quæſtione 4. & in Exam. parte 1. c. 5. ait. *Dicemus enim, quod Materia machinatur ad corruptionem; ſed hoc nō conuenit ei per eſſentiam, quia tunc per ſe; & directè appeteret ſui ipſius expoliationē, ſed hoc cō petit ei per Priuationem Formæ* & in 2. ſēt. diſt. 12. q. 3. art. 4. litter. P. totam cauſā corruptionis compoſiti non in Materiam refundit, Sed in Formam, habentem contrarium, quod totū his paucis explicat verbis. *Non eſt ergo ex parte Materiæ, quare Cælum eſt incorruptibile, & iſta inferiora corruptibilia, quia Materia omnino abſolutè ſumpta, non differt hæc ab illa: ſed hoc eſt ex parte Formæ, quia Forma Cæli non habet contrarium, & ex hoc non habens Priuationem annexam, ſatiat totum appetitum Materiæ: Forma vero iſtorum inferiorum, quæ eſt contrarietati ſubiecta, habens priuationem annexam, non poteſt totum appetitum Materiæ ſatiare.*

3 Ex quibus verbis formo hanc rationem, Ideo Materia machinatur ad maleficiū ideſt ad corruptionem, quia videns ſe eſſe turpem, appetit nouam Formā: ſi enim Materia non videret, ſe turpem, & non appeteret nouam Formam, vtique non cauſaret corruptionē compoſiti: ſed ideo appetit aliā For-

Ex verbis Ægidij colle ditur origo corruptionis.

Formam, quia Forma, quam habet, eſt annexa Priuationi, & habet contrarium, ergo tota cauſa, quare Materia machinatur ad corruptionem, prouenit à Forma, habente contrarium, probatur minor, in qua eſt tota difficultas, ſi Forma non haberet contrarium, Materia Subiecta tali Formæ, non haberet Priuationẽ annexã alterius Formæ, nec minus appeteret aliam Formam, ſed eſſet ſatiata per illã Formam, quam haberet, ergo quod Materia non ſit ſatiata a forma, quã habet, & quod propterea appetat aliã Formam, ſitque connexa Priuationi Formæ, prouenit à Forma, habente contrariũ: ſed de hac re Latius in ſecũdo Tractatu de Cælo, & Mũdo, cum agemus, an Materia Cæli, & horum Inferiorum ſit eiuſdem rationis, & magis plenè in 3. tractatu diſp. 2. q. 2. de reſurrectione mort. dub. vltima.

4 Ad oppoſitas rationes hac vnica generali reſponſione ſatisfaciendũ eſt, quod Materia non eſt principium corruptionis Secundum ſe, cum Secundum eſſentiam ſuam eadem ſit tam in ſublunaribus, quam in ſuper cæleſtibus: ſed ſi Materia eſt corruptionis principium; hoc tantũ ideo eſt, quia Materia habet Priuationẽ Formæ annexam, quod totum prouenit à Forma, habente contrarium. Et ſi aduerſarij, dum aſſerunt, Materiam eſſe Originem corruptionis, hoc tantum intendant, non diſſentimus ab eis, quia certũ eſt, quod ſola Materia eſt receptiua contrarietatis, & ſi non eſſet Materia, quæ reciperet tam Formam, quam Priuationem Formæ, nulla poſſet ſequi Generatio, & corruptio.

DVBITATIO DVODECIMA.

An Materia appetat omnes Formas etiam in particulari, & an æqualiter ſingulas, vel magis Nobiliores, quam minus nobiles?

1 NOn eſt quæſtio hic de Appetitu elicito, quia hic tãtum reperitur in naturis, cognitionem habentibus, & eſt actualis inclinatio Naturæ cognoſcentis in bonum præ cognitum, ſed de Appetitu naturali, & innato, qui etiã reperitur in Naturis, cognitione carentibus, eſtque habitualis inclinatio naturæ in bonum, ſibi connaturale: Materia non habet appetitum elicitũ, ſed innatum.

2 Hic autem appetitus, qui

etiam

etiã in Materia, dicitur deſiderium, eſt ipſamet potentia Materiæ, vt habet annexam Priuationem Formę: nam ſi Forma exiſtẽs in Materia, non haberet contrarium, tunc Materia ſubiecta tali Formę non haberet Priuationem ad aliam Formã, atque àdeò non appeteret aliam Formam; tota ergo ratio cur in Materia ſit appetitus ad Formam, eſt quia Forma habet contrarium, & Materia ſubiecta tali formę, habenti contrarium, eſt annexa Priuationi Formæ, ex quo ſequitur, quod appetitus Materię nihil aliud eſt niſi potentia Materiæ, vt habet annexam Priuationem Formæ, & ex hoc deduci facilè poteſt reſolutio vtriuſque partis quæſiti.

Appetitus materiæ dicitur ẽt deſiderium,& eſt potẽtia materiæ vt habẽt annexam priuationem.

3 Dicimus ergo primo, Materiam appetere omnes, & Singulas Formas tam in communi, quam in particulari, ex illis quæ habent contrarium, quia ſi Materia appetit vnam Formam, hoc ideò eſt, quia talis Forma, quæ eſt in Materia, non ſatiat totum appetitum Materiæ, & Materia habẽs Priuationem Formę annexam, ſemper appetit nouam Formam: quia ergo appetitus Materiæ ſemper dicit Priuationem Formæ oppoſitę: ſemper Materia dicetur appetere nouam Formam, & tunc ſolum non appetit Formam, cum à Forma, quam habet, pleniſſimè ſatiatur, quod non contingit, niſi in Formis, cõtrarium nõ habẽtibus; vide in 3. tract. diſp. 2. q. vlt. art. 4. de reſurr. mort. Dubitatione vltima.

4 Dicendum 2. Materiam non æqualiter appetere omnes Formas, ſed magis Formas Nobiliores, quam minus nobiles, probatur; quia tota radix, cur Materia appetit Formas, eſt quia habet Formam, non plenè ſatiantem eius appetitum: nam ſi haberet Formam, ſatiantem eius appetitum, non appeteret aliam Formam: ergo illa Forma, quę magis ſatiat appetitum materiæ, magis eſt appetibilis; ſed Forma, quo eſt nobilior, eo magis ſatiat appetitum Materiæ, quia quo Forma eſt nobilior, eo minus habet cõtrarium; ergo materia magis appetit Formam nobiliorem, quam minus nobilem.

Materia magis appetit formas nobiliores quã minus nobiles.

5 Et hoc ſignificare voluit AEgidius illo exemplo Hydropiſis, in 2. ſenten. diſtinct. 12. quæſt. 3. art. 4. in fine primi dubij liter. B. ait enim, quod Hydropiſis poteſt dupliciter ſatiari, primo ſi totaliter auferatur infirmitas; ſe-

Exemplũ Ægidij propoſitum

ſecundo ſi Hydropico datur ad bibendum, quod magis extinguit eius ſitim: appetitus ergo Materiæ, qui eſt quædam Hydropiſis, vel poteſt tolli, ſi Materiæ imprimatur illa Forma, quæ nullum habet contrarium, & tunc in Materia non remanebit amplius appetitus ad Formam, quia nec remanebit Priuatio annexa Formæ: vel ſi imprimatur Forma ita perfecta, quæ minus habeat contrarium, & tunc Materia tali Formæ Subiecta, minorem etiam habebit appetitum ad alias Formas: Materia igitur magis appetit Formam nobiliorem, quam minus nobilem, quia quo Forma eſt nobilior, eo magis ſatiat appetitum Materiæ.

6 Alia Plura, quæ ſolent de Materia diſputari, commodius tractabuntur vel in ſequentibus, vbi agemus de Materia, & Forma ſibi mutuo comparatis, vel etiam in Secundo, & Tertio tractatu, cum diſputabitur de Cælo, & Mũdo, atque etiam de Generatione.

DE ALIO PRINCIPIO Philoſophico, quod eſt Forma.

DVBITATIONES SEX.

Dubitatio Prima. An Forma ſit, Quid ſit, & quotuplex?

Dubitatio Secunda. An Forma Subſtantialis fiat ex nihilo ſui, vel aliquid eius lateat in Materia?

Dubitatio Tertia. An Forma, quæ cõproducuntur cum Materia dicãtur etiã educi, de potentia Materię?

Dubitatio Quarta. An Formæ Accidentales præſertim Intentionales educantur de Potentia Subiecti?

Dubitatio Quinta. An in Productione Formarum Intentionalium Agens ſit ſola Forma, vel ipſum compoſitum?

Dubitatio Sexta. V. Forma habeat ſuum actum Specialẽ exiſtentia, & Subſiſtentia?

DVBITATIO PRIMA.

An Forma Phiſica ſit, quid ſit, & Quotuplex?

1 FOrma quamuis aliquãdo ſignificet eſſentiã,

&

Quid ſignificetur nomine Formæ.

& aliquando Naturam Spiritualem per ſe exiſtentem, vnde Intelligentiæ vocari ſolent Formæ abſtractæ, propriè tamen per Formam Phiſicam aliud hic non intelligimus, niſi eam partem compoſiti Phiſici; quæ Materiam perficit, quæ multis ſolet nominibus nominari ob diuerſa eius officia: nam aliquando dicitur Quiditas, ſeu quod quid eſt, quia ex ea præcipuè ſumitur diffinitio, aliquando dicitur Actus, quia actuat, & perficit Materiam, quę reſpectu Formę eſt potentia.

Oſtēditur dari in rebꝰ ſubſtātiales formas

2 Dari autem in rerum natura hanc Phiſicam ſubſtantialem Formam, ea præcipua ratione probatur, quam ſignificat Ariſt. in p. Phiſic. tex. 44 nam euidens eſt, dari Subſtātias Materiales tum Specie, tum Genere differētes, vt Homo, Lapis, Planta &c. vel ergo huiuſmodi differunt eſſentialiter ratione Materiæ, & hoc non, quia inquit Ariſt.; in fundamento naturæ nihil eſt diſtinctum, & vlterius Materia ſaltem in omnibus ſublunaribus eſt eiuſdem rationis, vt ſuo loco probabitur, vel differunt eſſentialiter per Accidentia, & hoc neque, quia ſicut accidens non eſt principium conſtituendi Subſtantiam, ita nec in Subſtantijs poteſt eſſe principium diſtinguendi, debet ergo dari in Subſtantijs materialibus præter Materiam aliquid, per quod vna Subſtātia materialis diſtinguatur ab alia, quod eſſe nō poteſt niſi forma Subſtātialis, cuius propria ratio eſt, Res in ſuo eſſe Specifico cōſtituere, eaſque eſſētialiter diſtinguere.

Multipliciter obijcitur non dari formas ſubſtātiales

3 Sed contra hoc obijcies primo; Ariſt. 7. Methaph. tex. 8. ait, ſolam Materiam eſſe Subſtantiam, cætera vero omnia eſſe affectiones Subſtantiæ. ſecūdo ſi forma Subſtantialis daretur, illa ſubſiſteret, & eſſet per ſe, ſed omnes formę materiales ſunt in Materia, ergo non dantur formæ Subſtātiales, ſed omnes ſunt accidentales. Tertio. ſi darentur formæ ſubſtātiales, illæ ex operationibus colligerentur, quia Operatio eſt, quæ arguit formam: Sed in vna re ſunt plures operationes non ſolum inter ſe diuerſæ, ſed etiam contrariæ, vt in magnete, eſt expulſio ferri à parte meridionali, & attractio eiuſdem ex parte ſeptemtrionali, ergo illæ non ab vna forma ſubſtantiali, ſed potius à diuerſis Accidentibus progrediuntur.

4 Reſpondetur, Ariſtotelem

Solutio obiectionum

lem in illo textu loqui ex ſētentia antiquorum, qui aſſerebant, ſolam materiam eſſe rerum Subſtantiam: ſed in progreſſu eiuſdem libri etiā docet, formas, & compoſitum Subſtantias dici debere. Ad ſecūdum dicimus, quod formæ Subſtantiales habent eſſe per ſe, quatenus ſunt Subſtantiæ, nec recipiuntur in Materia vt in ſubiecto inhæſionis, ſed tanquam in Subſtentante. Ad tertium Reſpondetur, quod ſi ab eadem re plures operationes progrediuntur, hoc potius aſtruit, eſſe in eadem re formam Subſtantialem: & quia hæc ob ſuam perfectionem multis indiget accidentibus veluti inſtrumentis ad illas plures operationes obeundas, ideo ex diuerſitate effectuum vltra formam Subſtātialem colligimus etiam, eſſe ibi plures formas accidentales, & hęc ſufficiunt ad primam partem Quęſiti.

5 Quo ad Secundam, quid Scilicet ſit Forma Subſtantialis? dicimus, cum Ariſt. 2. Phiſ. tex. 28. quod Forma eſt quod *quid erat eſſe rei:* vel dicimus, eā eſſe *actū ſubſtātialē, vnum per ſe cum Materia conſtituentē.* Dicitur Actus, vt excludatur Materia, chius ratio eſt potentia, dicitur Subſtantialis, vt excludātur

Explicatur quid ſit forma.

accidentia, quæ ſunt actus accidentales: per alias tandem particulas excluduntur omnes Formæ complextæ, vt ſunt Intelligeutiæ, quæ cum alio non conſtituūt vnum per ſe.

6 Et tandem vt ſatisfaciamus vltimę parti quęſtionis, dicimus, Formam primo diuidi in Naturalem, per quā conſtituitur Res Naturalis, & Artificialem, quæ producitur per Artem, vt Forma Domus, Statuę &c. Secundo Forma naturalis vna eſt Subſtantialis, alia accidentalis. tertio diuiditur Forma Subſtantialis in Aſſiſtentem, & Informantem, Aſſiſtens eſt, quæ per extrinſecam aſſiſtētiam mouet corpus, vt Subſtantiæ ſeparatæ mouentes corpora cæleſtia, Informans vero eſt, quæ per informationem Materiæ conſtituit compoſitum Subſtantiale, vt Forma Ignis, Aquæ &c. & hæc eſt propriè, quæ pertinet ad Phiſicam tanquam principiū Generationis ſubſtantialis. Quomodo autem fiat huiuſmodi Forma, an per æductionem ex potentia Materiæ, an alio modo? in ſequentibus dubitationibus declarabitur.

Forma eſt multiplex.

DVBITATIO SECVNDA.

An Forma ſubſtantialis fiat ex nihilo ſui, vel aliquid eius lateat in Materia?

Proponitur nodus difficultatis.

1 TOta grauitas huius dubij in eo eſt poſita, quod non eſt facilè declaratu, quomodo fiat Forma in Materia? Nam cùm ex nihilo nihil fiat, certum eſſe debet, formam nõ fieri ex nihilo ſui: vel ergo fit ex aliquo ſui, vel non? ſi Primum, tunc de illo aliquo, ex quo fit forma, iterũ quęritur, ex quo nam fiat? & ſi dicatur ex aliquo ſui, erit proceſſus in infinitum: ſi vero forma fiat, & non ex aliquo ſui, ergo creatur; hic eſt nodus ſoluendus.

Prima claſſis Doctorum docet, formã fieri ex aliquo ſui, quod in materia præexiſtat.

2 Ob cuius difficultatem Prima claſſis Philoſophantium aſſeruit, formam ante eius generationem præexiſtere quidem actu in Materia, ſed veluti latentem, & exſtrahi in lucem poſtea, ac à Materia depromi Actione Agentis Naturalis. Nec qui ita philoſophantur, omnes loquuti ſunt eodem modo: Nam aliqui dixerunt, formã totaliter ſeu ſecundum ſe totam præexiſtere in Materia. Sic Anaxagoras. Alij vero non ſecundum ſe totam, ſed ſecundum aliquid ſui, quod ſit veluti inchoatiuũ eiuſdem formæ: & hi rurſus diuiſi ſunt: nam aliqui voluerunt, huiuſmodi inchoatiuum eſſe partẽ ipſius formæ, alij vero dixerunt, formam præcedere quidem in Materia ſecundum eſſe eſſẽtiæ, ſed poſtea fieri Secundum eſſe exiſtentiæ: Alij denique aſſeruerunt, illud formæ, quod præcedit in Materia, nõ eſſe aliquod actuale, ſed purũ poſſibile, quod poſtea per generationem conuertitur in eſſe actuale eiuſdem formæ; ita Baccon. in 2. Sent. diſt. 18. q. vnica art. 2.

Fundamenta horum philoſoforum.

3 Fundati ſunt autem omnes iſti in eo principio, quod ex nihilo nihil fit, ergo ſi inchoatio formæ non præcedat in Materia, forma fieret ex nihilo, tũm Secũdo, quia ſi aliquid formæ non pręcederet in Materia, generatio formæ non eſſet naturalis, quia nullum eſſet Principiũ actiuum intrinſecum talis formæ. tũ tertio; quia Ariſt. 7. Methap. tex. 29. inquit, in Materia eſſe aliquam partẽ rei faciendæ. tum 4. quia D. Auguſtinus 3. de Trinit. cap. 8. ait. Omnium, quæ naſcuntur, occulta quædam ſemina in Mundi elementis latere; ergo &c. Quinto Materia

teria naturaliter mouetur ad formam naturalem: ergo aliquid habet de forma, ex qua naturaliter mouetur ad formã, probatur conſequẽtia; quia nihil naturaliter mouetur ad aliquid, niſi habeat aliquid de eo, ad quod mouetur.

4 Cæterum quomodocunque explicetur hæc formarum latitatio in Materia, ea nullatenus eſt admittenda, vnde dicimus contra omnes concedentes inchoatiuum Formæ in Materia, Formã in Generatione non præexiſtere actu in Materia, nec Secundum ſe totam, nec Secundum aliquid ſui. Ita Omnes Sectatores Doctrinę Ariſtotelicę, & Pręſertim Ægidius tum in Quolib. 2. q. 12. tum etiam in 2. Sent. diſt. p. q. 2. art. 4. & diſt. 12. q. 3. art. 2. Ita etiam D. Thom. p. p. q. 45. art. 8. & Subtiliſs. in 2. Sent. diſt. 18. q. vnica, & probatur; quia Materia in Generatione transmutatur, & tranſit de non eſſe formę ad eſſe formę, ſeu de Priuatione formę ad ipſam formam; ergo forma ante Generationem nec Secundum ſe totã; nec Secundum aliquod ſui, nec Secundum eſſe Eſſentię, nec Secundum eſſe exiſtentię pręexiſtit in Materia; probatur conſequẽtia; quia Priuatio, & Forma ſe totis opponuntur: & ſunt in Materia incompoſſibiles Secundum quemcunque gradum. Accedit deinde, quod motiuũ aduerſariorũ retorqueri poteſt contra eoſdem: Nam tota cauſa, cur ab ipſis ponitur in Materia inchoatiuum formę, eſt, ne cogantur admittere vnum è duobus, vel quod ſcilicet forma creetur, vel quod fiat ex nihilo. Sed etiam admiſſo tali inchoatiuo formę in Materia, ad huc neceſſario ſequeretur alterũ ex eiſdem duobus, ergo &c. probatur minor. Poſito in Materia inchoatiuo formę, peto, vel tale Inchoatiuum eſt aliquod productum in Materia, vel non? non poteſt dici hoc Secundum, vt patet; ſi dicatur primum; iterum peto, vel tale Inchoatiuum eſt productum ex aliquo ſui, quod dicatur eius inchoatiuum, vel non? ſi nõ, ergo tale inchoatiuum creatur, ſi primum, ibitur in infinitum.

Refellitur omnis latitio, vel inchoatiuum Formæ in Materia.

Motiuũ aduerſariorũ retorquetur cõtra eoſdem.

5 Illud vero, quod aſſerit Baccon. qui pro formarum inchoatione ponit in Materia quodam eſſe nõ actuale, ſed merè poſſibile, poteſt veritatem habere, ſi per eſſe poſſibile formarum, intelligat eſſe poſſibile Subiectiuũ, nam id erit eſſe Materię, ex

Quomodo in materia ſit eſſe formarũ purũ poſſibile.

cuius

cuius potentia paſſiua ęducitur forma: ſed ſi per eſſe poſſibile formarum intelligat Baccon. eſſe formarum obiectiuum, ſeu aliquod eſſe realiter differens à Materia, quaſi quodaliquid formę pręcedat in Materia, ſitque Inchoatiuum illius, ſic modus dicendi Bacconij eſt abſolutè reijciendus.

Ægidi⁹ probat à priori nihil formæ præexiſtere in materia

6 Et Ratio fundamentalis, & à priori, qua non ſolum poteſt oſtendi, nihil prorſus formę, de quo fiat forma, præexiſtere in Materia: ſed etiam quid ſit ęductio formę ex potentia Materię, & in quo diſtinguatur Generatio à creatione; deſumi poteſt ex his, quę habet fundamētalis AEgidius in 2. Sent. diſt. 12. q. 3. art. 2. Vbi cū Philoſopho in 7. Methap. tex. 26. & 27. docet, quod per ſe loquendo, propriè non fit forma, neque propriè fit Materia ſed fit compoſitum ex vtriſque, Quod Compoſitum per Agentia Naturalia nec creatur, nec fit ex nihilo, ſed fit ex aliqua pręiacente Materia, & in hoc differt Generatio à Creatione, quia quod Generatur, fit ex Materia pręiacente, & fuit potentia in Materia, ante quam eſſet actu, quod vero creatur, fit ex nihilo, & incipit eſſe aliquid, cum antea eſſet nihil, & ſi tale fit ex Materia, non fit ex Materia pręiacente, quę transmutetur, ſed fit ex Materia concreata, quod tollit veram rationem proprię Generationis.

Diſcrimen inter generationem, & creationem.

7 Poteſtque totum hoc declarari exemplo Senſibili, nā cum facimus ceram rotundam, non eſt neceſſe, quod habeamus aliquam rotunditatem extrinſecam, quam applicemus cerę, vt faciamus, eam eſſe rotundā: nec oportet, quod aliquid de rotumditate præcedat in cera, ex qua fiat rotunditas ceræ: ſed Sufficit, tranſmutare ceram, & ex tranſmutatione ceræ poſſumus, ceram non rotundam facere eſſe rotundam: Sic ad propoſitum cum ſit Forma in Materia, non eſt neceſſe, quod aliquid Formæ præcedat in Materia, ſiue Forma ſit Subſtantialis, ſiuè Accidentalis: ſed ſufficit, quod Agens naturale trāſmutet Materiam, & transmutando Materiam, inducat formam.

Exemplū valde accomodatū

8 Quod vt clarius, & plenius explicetur, Sciendum eſt, quod Forma æducibilis de Materia, & eſt in potentia Agentis, & eſt etiam in potentia *Materię*: nam Materia per ſe ipſam non poteſt ſe mouere ad Formam, ſed oportet, quod per aliquod

Agens

Quomodo forma eſt in potẽtia agẽtis, & in potẽtia materię

Agens moueatur ad ipſam, eo igitur modo, quo Forma eſt in potentia Agentis actiuè, eſt etiam in potentia Materiæ patientis paſſiuè: ſicut ergo Forma eſt in potentia Agentis actiuè, non quod aliquid formę pręcedat in Agente: Sed ſolum quia Agẽs transmutat Materiam, & transmutando Materiam, inducit formam: ſic ſuo modo eſt forma in potentia Materiæ patientis paſſiuè, non quod aliquid formę pręexiſtat in Materia, ſed ſolũ quia Materia poteſt pati ab Agẽte, & transmutari ab ipſo: vnde ſicut Agens transmutat Materiam actiuè, & transmutando actiuè, inducit formam in Materia, ſic Materia ab Agente transmutata paſſiuè, & ſic transmutata, ęducitur de ea forma, & recipit formam, & propterea commentator ſuper 12. methap. inquit, quod ſi forma fieret ſine transmutatione Materię, fieret ex nihilo:

Ratio cur forma dicatur educi de potẽtia materię

Concludimus ergo, quod tota ratio, cur aliqua forma dicatur ęduci de potentia Materię, eſt quia Agens naturale actiuè trãſmutat Materiam, eamque ſic transmutando, inducit in ea formam: & Materia ab Agẽte Naturali trãſmutatur paſſiuè, ſicque transmutata, ex ea ęducitur forma.

9 Nec motiua cõtraria pro prima Sentẽtia adducta, aliquid officiunt noſtro modo explicandi ęductionem formarum ex potentia materię; Nam ad primum dicimus, verũ eſſe, quod ex nihilo nihil fiat per Agens naturale;

Soluũtur motiua oppoſita.

ſed forma propriè non fit, ſicuti nec propriè fit Materia, ſed ſolum compoſitum ex vtriſque eſt illud, quod Ab Agente naturali propriè fit: compoſitum autem non fit ex nihilo; ſed ex præiacente Materia: Forma vero dicitur æduci, de potentia Materiæ, quia Agens naturale tranſmutando Materiã, inducit in Materia Formam, & Materia ab Agente naturali transmutata, æducitur ex eius potentia Forma: nõ eſt ergo neceſſe, præexiſtat aliquid formæ in Materia, quod ſit inchoatiuum eiuſdem Formę, ad hoc vt Forma fiat in Materia, ſed ſatis erit ſi Materia transmutetur per Agens Naturale. Ad Secundum neganda eſt ſequela, quod Scilicet Generatio formę non eſſet naturalis, ſi aliquod formę non pręcederet in Materia, nam mutatio etiam dicitur naturalis ex principio paſſiuo, nec eſt neceſſe, ad hoc vt mutatio ſit naturalis, vt cum Principio paſſiuo ſit coniunctum prin-

cipium

cipium actiuum, vt patet de Motu cæli. Ad tertium dicimus, ibi Philoſophum non loqui de Inchoationibus Formarum, vt bene Suarez disp. 15. Sect. 2. num. 8. ſed de Semine, ſeu de rationibus Seminalib⁹ in Materia, quas in fine præſentis quæſtionis dicemus, eſſe ipſam Priuationem Formæ in *Materia*, quæ quidem Priuatio non immerito vocari poteſt quędam pars rei faciendæ, cum ſit virtus quædam, & aptitudo *Materiæ*, ſitque principiũ Generationis. Ad quartum ex D. Auguſt. dicimus, quod per rationes Seminales occultas Intelligit Sanctus Doctor facultates, & virtutes Naturaliũ cauſarum Agẽtium, & patientium, ex quarum mutua applicatione varij oriuntur effectus. Ad Quintum Reſpondetur, *Materiam* naturaliter moueri ad Formam, non quia habeat aliquod de Forma, ex qua naturaliter moueatur ad Formam: ſed quia ab Agente Naturali naturaliter transmutatur ad Formam, ad differentiam Artis, quæ non transmutat per ſe niſi ad Situm: nil enim aliud facit Ars niſi cõiungere hoc cum hoc vel ſeparare hoc ab hoc, quia coniungendo corpus cum corpore, vt Arenam cũ calce, facit cæmentum, & cõiungendo cæmentum cum lapidibus, facit Parietem, & vniendo Parietem cum Tecto, facit Domum: ſic etiam remouendo hoc ab hoc, vt partem Ligni à Ligno, facit in Ligno Figuram Idoli: Ars ergo per ſe coniungendo, & ſeparando, ſolum mouet ad Situm: Aſt natura etiam Materiã transmutat ad Formam, illam alterando, vt calefaciendo, vel infrigidãdo: vnde dictum eſt, quod Natura agit in corpore toto, quia alteratio reſpicit totũ, Ars vero agit in extremitatibus, quia coniungere, & ſeparare ſolum reſpicit extremitates: poteſt igitur Materia naturaliter moueri ad Formã abſque eo, quod in Materia præexiſtat aliquid Formę, quod ſit inchoatiuũ eiuſdem Formæ.

Rationes Seminales in materia ſunt ipſa priuatio formæ.

Diſcrimen inter Artem, & Naturã.

10 Bene verum eſt, quod licet Forma Subſtantialis ante Generationem non præexiſtat actu in Materia, nec Secundum ſe totam, nec Secundum aliquid ſui, vt iam Sufficienter oſtenſum eſt, præexiſtit tamen in potentia paſſiua Materiæ, & non ſolum in virtute actiua Agentis, probatur, quia ſi Forma ſolum præexiſteret in virtute actiua Agentis, & nullo modo in potẽtia paſſiua Materię,

Formæ præexiſtunt in potẽtia paſſiua materię

tertiæ, ſequeretur, omnes Formas Subſtantiales Materiales verè, & propriè creari, non minus, quam anima Rationalis, quod patet, eſſe falſum, probatur ſequela, quia Anima Rationalis propterea in omni rigore dicitur creari, quia Secundum ſe totam tantùm eſt in potentia actiua Creatoris, & nullo modo in potentia paſſiua Materiæ, & propterea in præcedenti dubit. 9. dicebamus, eſſe in Materia aliquo modo potentiam actiuam, quia Agens creatum in omni ſua actione à Materia dependet, vnde ſi Agens concurrit effectiuè ad Formę productionem, Materia quoque concurrit Subiectiuè, & AEductio (vt ipſum nomen oſtendit) hos duos concurſus ſignificat Scilicet concurſum Agentis, quod Formam æducit, & concurſum Materiæ, ex cuius potentia Forma ęducitur: ſed quid ſit Formaliter, Formam æduci de potentia Materiæ? amplius declarabitur in ſequentibus.

Si formæ non eſſét in potētia paſſiua materię nō poſſent per generationem æduci.

DVBITATIO TERTIA.

V. Formæ cum Materia comproductæ, vt Formæ Cælorum, & Elementorum, fuerint aductæ de potentia Materiæ?

HÆc Dubitatio proprium Locum haberet in 2. Sequēti Tractatu, cum agemus de Cælo, & Mundo occaſione tamen, quod hic explicatur, quæ nam ſint Formæ, quæ æducuntur de Potentia Materię? illa non potuit ab hoc loco ſeiungi, & quamuis ex dictis in præcedenti Dubitatione poſſit generaliter colligi, quod omnes Formę Materiales ęducantur de potētia Materiæ, eſt tamen ſpecialis difficultas de Formis, ſimul cum Materia comproductis, vt ſunt Formæ Cælorum, & Elementorum in prima Mundi Formatione.

2 In qua difficultate Prima Opinio tenet, Omnes prædictas Cælorum, & Elementorum Formas fuiſſe de potentia Materię æductas, & non factas ex nihilo, nec ad Creationem compoſitorum concreatas. Ita Scotus in 2. Sent. diſt. 17. q. p. apud Maſtrium, & Bellutum in octo Lib. Phiſic. diſp. 2. q. 7. art. 3. Et Vaſquez p. 1. q. 45. art. 1 Molin.

Scotiſtæ aſſerūt formas cęlorum fuiſſe æductas.

Molin atque Maior pars Recentiorum, quos ſequitur Rouius lib. p. Phiſic. Tract. 7. de Forma q. 2. num 13. idque his rationibus comprobatur. p. duæ tantum conditiones ſũt neceſſariæ, ad hoc vt aliqua Forma propriè dicatur educi, & non creari, prima eſt, quod Forma fiat

Prima ratio.

actu in rerum natura cum ſolum eſſet in potentia Materiæ: Secunda, quod dependeat in eſſe, & fieri à Materia: ſed vtraque conditio interfuit in productione Formarum cæleſtium, & Elementorum, ergo &c. probatur minor: nam conſtat, quamlibet Formam cæleſtẽ tunc actu incępiſſe, cũ prius non fuerit actu, ſed in potẽtia: deinde conſtat etiam, eaſdem Formas dependere in eſſe, & fieri à Materia, in eſſe quidem, quia non poſſunt eſſe extra Materiã, aut ab ea ſeparari, ſicuti nec poſſunt habere aliquam operationem, niſi dependentem ab ea, ex quo etiam ſequitur, quod dependeant quoque in fieri, quia fieri ordinatur ad eſſe.

Secũda ratio principalis.

Secundo. Formæ Cælorum non potuerunt naturaliter produci ex nihilo per creationem totalẽ, nec partialem, ergo non potuerunt creari, nec concreari; ſed præter creationem non datur alia Actio, per quam potuerint fieri, niſi eductio de potentia Materię, vt eſt ſatis manifeſtum; ergo de potentia Materiæ fuerunt eductæ; probatur primum antecędens, quia fieri ex nihilo eſt fieri independenter à Materia, vel Subiecto: ſed Formæ cæleſtes non potuerunt fieri niſi dependenter à Materia, ſicuti ab eadem dependent in eſſe, ergo nec potuerunt fieri ex nihilo, vel creari.

Secũda ſententia Thomiſtarũ aſſerit formas cælorũ eſſe cõcreatas.

3 Secunda tamen Sententia, quæ tribui poteſt pluribus Thomiſtis, & extra Scholam Thomiſtarum non paucis Recẽtioribus, negat omnino, Formas Cælorum, & Elementorum educi de potentia Materię, ſed eas aſſerit, eſſe creatas, vel potius concreatas ad creationem ipſorum cælorum, & Elemẽtorum; ſoletque probari hęc ſententia primo, quia tam corpora Cęleſtia, quam Elementaria in Sacra Scriptura dicuntur à Deo creata: nam Geneſis primo dicitur, In principio creauit Deus Cęlum, & Terram: cum ergo Formæ nõ producantur per ſe: ſed ad productionem cõpoſitorum, ſequitur, quod Formę Cęlorum, & Elemẽtorum nõ fuerunt ęductę de potentia Materię, ſed ex nihilo creatę, vel potius con-

Prima ratio pro hac ſentẽtia

Secúda Ratio.

creatę ad creationem eorũdem cęlorum. Secundo, arguitur pro eadem Sententia magis efficaciter; quia ęductio Formarum propriè loquendo, nunquam fit ſine transmutatione Materię: nã ęductio debet fieri per actionem Agentis circa Materiã, illam transmutando, ergo in qualibet ęductione Formarum debet neceſſario prę cedere Materia ſub diuerſa Forma, vel ſaltem ſub Priuatione Formę ęducendę, aliquin non poſſet Materia moueri, ad eam recipiendam: ſed Materia Cęlorum non potuit pręcedere ſub Priuatione Formę ęducendę, nec propriè potuit transmutari, ergo Formę cęlorum nullo modo potuerunt ęduci de potentia Materię, ſed solummodo fuerunt concreatę: probatur minor, quia Formę cęlorum non habuerunt contrarium, nec minus Priuationem annexam. Tertio corpora cęleſtia non potuerunt fieri per Generationẽ, cum ex propria natura ſint ingenerabilia, & incorruptibilia, ergo nec eorum Formę potuerunt ęduci de potentia Materię; quia ęductio Formę ſemper eſt eadem actio realiter cum Generatione compoſiti, fuerunt ergo concreatę ad creationem compoſitorum.

Tertia Ratio.

Ægidij Opinio præmittit nonnulla notáda.

4. AEGIDIVS in Quolib. 5. q. 10. & in 2. Sent. diſtinct. prima part. p. q. 2. art. 4. vt explicet difficultatem propoſitam, multa pręmittit: ſed præcipuè aduertit primo, quod cum Materia non poſſit ſe ipſam naturaliter mouere ad Formam ſine potentia actiua Agentis, ideo Formę dicuntur eſſe in potentia actiua eiuſdem Agentis, tanquam in cauſa, non quod aliquid Formę ſit in Agente, ſed ſolum quia Agens poteſt agere, vt Forma fiat, & quia ſimiliter nullũ Agens creatum põt facere aliquod, non pręſupponendo potentiam paſſiuam Materię, vel Subiecti, ideo etiam Formę dicuntur eſſe in potẽtia Materię tanquam in cauſa, non quod Aliquod Formę pręexiſtat in Materia, vel quod Materia cooperetur ad productionem Formarum, ſed ſolũ quia Materia poteſt pati, & transmutari, vt ex ea ęducatur Forma, Formę igitur ſicut ſunt in potentia actiua Agentis, ita ſunt in potentia paſſiua Materię: ex quo colligi poteſt, qua ratione Formę dicantur ęduci de potentia Materię? nam ſi effectus in cauſa non eſt aliud, quam ſua cauſa, fit, quod effectus in cauſa non eſt ſub

Quid ſit formã educi de potentia materię

eſſentia propria, ſed ſub eſſentia cauſę, & propterea effectus in cauſa dicitur latens, in ſe ipſo vero dicitur patens: Forma ergo dicitur ęduci de potentia Materię, quia erat ibi latens, nõ quod aliquid de eſſẽtia Formę eſſet in Materia ante Generationem: ſed dicitur Forma latere in Materia, quia erat ibi tanquam in cauſa, propter quod non videbatur patens, quia non erat ibi Secundum eſſentiam propriã, ſed Secundum eſſẽtiam cauſę, & quia per Generationẽ fit actu patens, ideo dicitur quaſi extrahi; & ad lucem protrahi.

In eductione formarum ex potẽtia materię dantur gradus.

5 Obſeruat AEgidius Secundo, quod non eodem modo quęlibet Forma eſt in potentia Materię: nam aliquę Formæ ſũt magis in potentia paſſiua Materiæ, quã in potentia actiua Agentis; Aliæ vero è contra ſunt magis in potentia actiua Agentis, quam in potentia paſſiua Materiæ; ꝙ ſic declaratur: nã vbi requiritur maior trãs mutatio Materiæ, ibi Formæ magis ſunt in potentia paſſiua Materiæ, quam in potentia actiua Agentis, quia tunc magis ſunt remotæ ab actu, & propterea huiuſmodi magis dicuntur æduci de potentia Materiæ, quã creari, quia talia ſimpliciter fiunt in Materia cum eſſentiali tranſmutatione Materiæ; quæ eſt tota ratio, cur Formæ dicantur æduci, Vbi vero vel modica, vel nulla requiritur tranſmutatio Materiæ, quia ibi Formæ minus ſunt in potentia paſſiua Materiæ, & magis in potentia actiua Agentis, ideo tales magis dicuntur creari, quam æduci: quia illa propriè dicuntur creari, vbi tota ratio facti eſt potentia facientis, quod ſi etiam ibi requiritur potentia paſſiua, id tamen non eſt ratione facientis, quaſi quod faciens debeat ratione ſui illud neceſſario præſupponere, ſed ſolũ id erit ratione facti, quatenus ſcilicet quod factum eſt, vel fit, tali indiget ſuſceptiuo.

6 Tertio Obſeruat AEgidius, quod ſicuti in æductione Formarum ex potentia Materiæ dantur gradus, quia aliquæ Formæ magis ſunt in potẽtia paſſiua, quam actiua, & aliæ è contra, ita in hoc, quod eſt fieri ex nihilo, dantur ſimiliter gradus, quia tripliciter poteſt aliquid fieri ex nihilo, primo, ita vt nihil præſupponatur ſimpliciter, vt quando fit Angelus, qui ita fit per ſe, vt nec indigeat Materia, ad hoc vt fiat nec

In fieri ex nihilo dantur gradus.

nec minus indiget Materia, ad hoc vt exiſtat; ſecundo poteſt aliquod fieri ex nihilo, non quod non fiat in Materia, ſed quia poteſt eſſe ſine Materia, vt quando fit Anima Rationalis; tertio demũ poteſt aliquod fieri ex nihilo, non quod non fiat in Materia, vel in Subiecto, nec minus quod poſſit eſſe ſine Subiecto, vel ſine Materia: ſed ſolum quia non fit naturaliter in Materia, vt Gratia, quæ ita fit in Anima, vt non poſſit eſſe ſine Anima, fit tamen Supernaturaliter in Anima, quia quęcunque naturalis transmutatio, vel naturalis renouatio non ſufficit, vt fiat Gratia.

Reſolutio Ægidij. 7 His ita præmiſſis, reſoluit AEgidius quęſtionem, dicens, Formas Cælorum fuiſſe concreatas, quia in prima Mundi Formatione defecit ibi ratio æductionis, cum ibi non fuerit transmutatio Materiæ: Nam Formæ Cælorum, & Elementorum, & ſi inductę fuerint in Materia, nec potuerint eſſe ſine Materia, hoc tamen nõ fuit cum transmutatione Materiæ, quia Formæ Cælorum non habuerunt contrarium, nec annexam Priuationem, et ideo magis fuerunt in potentia Actiua Dei Agentis, quam in potentia paſſiua Materiæ Patientis.

IVDITIVM AVTHORIS EX ÆGIDIO.

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

8 SVmpta Generatione in rigore, vt ſimpliciter dicit transmutationem Materiæ à Priuatione ad Formam, ſic Formæ Cælorum non fuerunt æductæ, ſed potius concreatæ, quia ibi nulla fuit transmutatio Materię, & in hoc aſſentimur Thomiſtis. Similiter ſumpta creatione in rigore, quatenus dicit productionem ex nulla pręſuppoſito Subiecto, ſic Formę Cęlorum non fuerunt creatæ, ſed ęductę, quia ibi fuit pręſuppoſita Materia, & ſine Materia fieri nõ potuerunt; in hoc Sumus cum Scotiſtis.

9 Formæ ergo Cęlorum nec propriè fuerunt ęductę, nec fuerũt propriè concreatæ: nõ fuerunt propriè ęductę, quia ſine vlla transmutatione Materię, quę neceſſaria eſt ad Generationem propriè Sumptam: nec minus propriè fuerunt createę, quia non ſine pręſuppoſitione Materię, quę tollit rationem rigoroſę Creationis: Sed poſſunt dici createę in lata ſignificatione, quatenus ex carentia transmutationis

pro-

propriè non ſunt Genitę, & poſſunt dici pariter in lata ſignificatione eductę, quatenus ex præſuppoſitione Subiecti; propriè non ſunt creatę.

10. Adiungi poteſt pro maiori, & faciliori conciliatione opinionum, quod quotiescunque in productione alicuius tota ratio facti eſt ſola Potentia Facientis, ita vt in illius productione vel nihil prorſus præſupponatur, vel ſi pręſupponitur, id non eſt ex indigentia Agentis, ſed ratione producti, quod tali exigit ſuſceptiuo; vt cum producitur Anima in pręſuppoſita Materia, vel etiam Gratia, prǽſupponendo ſubiectum, in quo recipitur, & ſine quo eſſe non poteſt; tunc tale debet dici magis creatum, quam ęductum, quando vero aliquid ita producitur, vt tota eius ratio non ſit potentia Agentis; ſed etiam potentia paſſiua, ita vt in eius productione neceſſario Agens pręſupponat Materiam, in qua recipiatur forma, vt formę materiales, vel etiam quando pręſupponitur potentia paſſiua non tantum ex indigentia Producti, ſed etiam ex indigentia producentis; tunc tale magis dici debet ęductum, quam creatum.

Explicatur quæ propriè dicantur creari.

Et quæ propriè dicantur educi.

nis. Et ſic Ornatus Animę ſpiritualis, & ſupernaturalis, vt actus cõtritionis &c. propriè nõ creatur, quia in eius productione tota ratio facti non eſt ſola potentia facientis; ſed neceſſario tanquam inſtrumentum debet cõcurrere Creatura, quæ vtique attingit eſſentiam illius Ornatus; licet non ſecundum ſe, ſed in virtute principalis Agentis Dei. Aſt quãdo producitur Grătia habitualis, quia tunc tota ratio facti eſt ſola potentia facientis, ideo eius productio dicitur creatio, & ſi pręſupponitur Anima, in qua recipitur, & ſine qua eſſe non poteſt; tamen Anima requiritur ex parte rei productę, quę tali indiget ſuſceptiuo, non tamen requiritur ex indigentia Agentis, quia ſola potẽtia Actiua Dei poteſt Gratiã habitualem producere.

Diſcrimen inter ornamentum Animæ ſpirituale, & gratiam habitualem

RESPONDETVR IN FORma Argumentis

Vtriuſque Sententiæ.

AD D. Thomam dicendum, eius argumenta cõcludere de Creatione non propriè Sumpta, quę eſt productio alicuius ex nihilo Simpliciter: ſed de Creatione Secundum aliot gradus,

gradus, quatenus Scilicet tota ratio facti eſt ſola potẽtia facientis, & in productione talium Formarum nulla pręceſſit Transmutatio Materię, & propterea in Sacra ſcriptura productio Cęlorũ, & Elementorũ dicitur Creatio. Secundum argumẽtum, & tertium probant, Formas Cęlorum non fuiſſe ęductas propriè, & in rigore propter carentiam transmutationis Materię, ex quo benè ſequitur, fuiſſe creatas, creatione latè ſumpta, quatenus tota ratio facti fuit ſola potentia Dei facientis.

Ad Scotum Reſpondetur, ad ęductionẽ propriè ſumptam non ſufficere illas duas conditiones, in primo argumento adductas, ſed requiri vlterius Transmutationem Materię, ſeu quod pręſupponatur Materia non tãtum ex indigentia paſſi, & rei, quę producitur, ſed etiam ex neceſſitate Producentis, quę conditio cum non interfuerit in productione Formarũ Cęleſtium, propterea earum productio nõ poteſt dici ęductio propriè, & in rigore, quamuis dici poſſit ęductio Secundum alios gradus. Ad Secundũ Reſpondetur, conuincere de creatione in rigore ſumpta, quę eſt productio ex nullo pręſuppoſito Subiecto ſimpliciter, qualis nõ fuit productio Cęlorum, cum eo tamen etiã ſtat, Formas Cęlorum fuiſſe ęductas ęductione latè ſumpta, quatenus earum productio fuit cum pręſuppoſitione Materię, & dependenter à Materia.

DVBITATIO QVARTA.

Vtrum Formę Accidentales præſertim Intentionales educantur de potentia Subiecti?

1 FOrmę Intentionales habent ſpecialem difficultatem pręalijs Formis; nam pro vna parte illę non videntur ęduci de potentia ſubiecti, quia quęlibet ęductio cuiuslibet Formę ſemper fit cum trãſmutatione Materię: in productione autem formarum Intentionalium nullum ſubiectum, vel Materia tranſmutatur, ergo huiuſmodi formę Intentionales nõ videntur ęduci de potentia ſubiecti.

Videtur, q formæ intentionales nõ educãtur.

2 Ex alia vero parte nec tales formæ videntur creari, quia creatio eſt ſolius Dei, & nullatenus poteſt tribui creaturæ, (vt pronunc ſupponitur) formæ autem Intentionales non fiunt ex nihilo

Nec minus videntur creari.

hilo nec immediatè ſolum à Deo: ſed producuntur ab Agentibus naturalibus, prę-ſuppoſita potentia paſſiua Subiecti, ergo huiuſmodi formę non creantur, & quia extra creationem ex nihilo, & ęductionem ex potentia Subiecti non datur in rebus creatis aliud Genus productionis; reſtat rationabilis dubitatio, quomodò illę accipiant eſſe?

Reſoluitur cũ Ægidio Formas intẽtionales æduci de potẽtia ſubiecti.

3 Sed prę ſuppoſita AEgidij doctrina, quam in prę cedēti dubitatione notauim', non erit modo difficilè, propoſitum quęſitũ reſoluere: dicimus ergo, Omnes formas Intētionales ęduci quidem de potentia Subiecti, non tamen eodem modo, quo formę Accidentales reales. Ita AEgidius in Quolib. 5. q. 10. & in 2. Sent. diſt. 13. q. 2. art. 2. & quo ad primam partem ſequuntur omnes, quos refert Ruuius in P. Lib. Phiſic. Tract. 2. q. 3. num. 28. & Amicus Tract. 6. q. 5. Dubit. 3. art. 1. 2. & 3. Probatur autem prior pars ab AEgidio, quia Formę Intentionales ita ſunt in potentia paſſiua Subiecti, vt Subiectum etiam concurrat, & habeat ſuam cauſalitatem reſpectu talium formarũ: ergo huiuſmodi formę non producuntur ex nihilo, ſed potius dicuntur ęduci de eadem potentia paſſiua Subiecti; conſequentia non eſt deneganda, quia illę tantũ formę dicuntur fieri ex nihilo, & nullo modo ęduci, in quarum productione non concurrit niſi ſola potentia actiua Agẽtis, ita vt tota ratio facti ſit ſola potentia facientis, & ſi aliquod aliud prę ſupponitur, vel requiritur, id non erit ratione Agentis, ſed ſolum ratione producti, quod illo exigit ſuſceptiuo, vt cũ Deus producit Animam, prę ſupponendo Materiam, in qua Anima recipiatur, vel cum cauſat eſſe, prę ſupponendo eſſentiam, quę ſit receptiua eiuſdem eſſe: in quibus producendis, quamuis Deus prę ſupponat aliquod ratione rei productę, non tollitur tamen, quin talium rerũ productio ſit vera Creatio, quia id, quod prę ſupponitur à Deo, non prę ſupponitur ex Indigentia facientis, ſed tantum ex indigẽtia facti: vera eſt ergo illa conſequentia, quod ſi potẽtia paſſiua ſubiecti habet ſuã cauſalitatem reſpectu formarum Intentionaliũ, quod tales Formæ non erunt ex nihilo productæ, ſed potius ęductæ de potentia paſſiua eiuſdem Subiecti: nunc probatur precipuũ antecedẽs;

Ratio fundamentalis.

Agẽs naturale, quodcunque ſit illud, nullo modo poteſt agere, & producere Formas Intentionales, quin præſupponat potentiam paſſiuam Subiecti, non ſolum ex indigẽtia rei, quæ producitur, ſed etiam ex Indigentia Producentis: ergo potentia paſſiua Subiecti etiam concurrit, & habet ſuam cauſalitatem in productione Formarum Intentionalium: conſequentia ſequitur; probatur iterum antecedens, quia Agens naturale, cum ſit finitę virtutis, non poteſt attingere totum eſſe producti abſque dependentia Paſſi, ergo Agens naturale non poteſt producere formas Intẽtionales, quin præſupponat potentiam paſſiuã Subiecti.

Obijcitur cõtra rationem Ægidij.

4 Sed dices. ſi hęc ratio Ægidij eſſet efficax, ſequeretur, Formas Cælorum, & Elementorum nullo modo fuiſſe eductas de potentia Materiæ, quod eſſet contra id, quod approbauimus in Dubitatione pręcedenti cũ Schola Subtili; probatur ſequela, quia ſi illud tantum dici poteſt educi de potentia Subiecti, ad cuius productionem non ſufficit ſola potentia facientis, ſed requiritur etiam concurſus ſubiecti Patientis; cum in productione formarum cæleſtium non fuerit neceſſaria Materia ex Indigentia Agentis: ſed tantũ ex indigentia producti, ſequitur, earum productionem non potuiſſe dici ęductionem, Sed Simpliciter fuiſſe creationem.

Soluitur obiectio, & explicatur fũdamentum Ægidij.

Reſpondetur; Rationem Ægidij eſſe efficaciſſimam: ſed ſic eã explicari debere, quod nimirum tũc ſolum aliquid dicitur educi de potentia paſſiui, quando paſſiuum intrinſecè concurrit ad eſſe producti, ita vt ad eius exiſtẽtiam nullo modo ſufficiat ſola potentia facientis: & tunc aliquod dicitur creari, quando paſſiuum, & ſi concurrat aliquo modo ad eſſe illius, Materia tamen vel nullatenus transmutatur, vel ita modicum, vt tota ratio facti videatur potentia facientis: cum ergo in productione Formarum cæleſtium ex vna parte concurſus Materiæ fuerit neceſſarius ad eſſe illarum, quia formæ cæleſtes ſine Materia eſſe non potuerunt, & ex alia parte in productione earum dẽ nulla fuerit Materię transmutatio, vel ita modica, quod tota ratio facti viſa eſt potentia facientis; ideo illarum productio, & potuit in vno Senſu dici eductio, quatenus Scilicet Subiectum paſſiuum fuit neceſſarium

Declaratur in ag s quid ſit ęductio & quid creatio?

ad eſſe illarum: & potuit etiā in alio ſenſu dici Creatio, quatenus earum productio non fuit cum tranſmutatione Materię.

Inſtantia contra explicationem rationis Ægidij.

5 Sed dices iterū; ergo formæ Intentionales poſſunt dici in aliquo ſēſu createę, quia in ipſarū productione quamuis cōcurrat Subiectum paſſiuum, nihilhominus vel tale Subiectū nullatenus tranſmutatur, vel ita parum, vt tota ratio facti videatur potentia facientis.

Nō eodē modo ęducuntur de potentia ſubiecti formę reales, & intētionales

6 Reſpondetur, & ſit probatio Secundæ partis noſtrę concluſionis: quod non eodem modo æducuntur de potentia Subiecti formæ Intentionales, & formæ reales: nam formę reales æducuntur de potētia Subiecti Simpliciter, quia in ipſarū productione non ſolum Agens præſupponit potentiam paſſiui, quæ aliquando eſt effectus eius, aliquando non: ſed ſemper cum tranſmutationem eiuſdē Subiecti paſſiui æducit formas de potētia ad actum: aſt in productione Formarum Intentionalium, & ſi Agens præſupponat Subiectum, quod nūquam eſt effectus eius: nullatenus tamen tranſmutat idem Subiectum, vel valde parum.

Nota diſcrimen inter creationem, & æductionē tam Formarum realium quam intētionalium.

7 Eſtque hoc valde aduertendum in hac Materia: Nā Creatio nō ſolum differt ab æductione Formarum Intētionalium, quia in ęductione Formarum realium ſemper tranſmutatur Materia aliquando magis, & aliquando minus: & ſemper ſupponitur paſſiuum, quod aliquando eſt effectus eiuſdem Agentis, aliquando non: In æductione vero Formarum intentionalium, vel non tranſmutatur Subiectum, vel valde parum, ſemper tamen ſupponitur Subiectum, quod non eſt effectus eiuſdē Agentis: Aſt in creatione nunquam pręſupponitur ſubiectum, quod non ſit effectus eiuſdem Dei Creantis: & ſic concludimus, quod Formæ Intentionales æducuntur quidem de potentia Subiecti, ſed non eodem modo, ac Formæ Reales.

Obijcitur formas intentionales nō æduci, quia multiplicātur numero in eodem ſubiecto.

8 Sed Obijcies. Quæ æducuntur de potentia Subiecti, non poſſunt numero multiplicari in eodem Subiecto: nam cum æducitur calor de potentia Subiecti, non poteſt in eodem Subiecto fieri alius calor numero, quia præſente calore in Materia, ceſſat motus ad calorem: ſed præſente Intentione albi in Subiecto, poteſt in eodē Subiecto fieri alia Intentio albi, ergo Formæ Intentiona-

nales non æducuntur de potentia Subiecti.

9 Reſpondetur, non eſſe eandem rationem de formis realibus, & de Formis Intentionalibus: nam quia Formę reales inducuntur cum trāſmutatione Materię, & tranſmutationes non fiunt niſi à contrarijs in contraria, idcirco ſubiectum exiſtens ſub vna Forma reali, non mouetur ad aliam Formam realē, numero diſtinctam, quia tunc motus non eſſet à contrario in contrarium: Deinde quia Formæ reales conſeruantur in eſſe materiali per ſuū Subiectum, ideo in eodem Subiecto plures Formæ reales ſolo numero differentes, eſſe non poſſunt. Sed formę Intētionales quia fiunt ſine tranſmutatione Materiæ ad ſolam præſentiā Agentis, & quia conſeruantur in eſſe per ſua Agentia, ideo plures Formæ Intētionales eſſe poſſunt in eadem parte medij.

In eadē parte medij poſſunt eſſe plures formæ intentionale: numero differētes.

10 Et hinc colligi poteſt primo, poſſe Deum plures Formas reales numero differentes ſimul inducere in eodem Subiecto: nam ſi alia Agentia plures Formas Intētionales ſolo numero differentes poſſunt inducere in eadem parte medij, ex eo ſolum, quia agunt ſine trāſmutatione Materiæ, & conſeruare poſſunt eaſdem Formas in ſuo eſſe numerico, Multo magis id idem poterit facere Deus, qui poteſt agere ſine præcedente trāſmutatione, & motu, poteſtque magis conſeruare in ſuo eſſe numerico quaſcunque Formas quantumcumque Reales.

Poteſt De⁹ plures formas reales ſolo numero differētes inducere in eodē ſubiecto.

DVBITATIO QVINTA.

V. In Productione Formarū Intentionalium Agens ſit ſola Forma, vel Ipſum Compoſitum?

1 TOta Ratio Dubitādi ſumitur ex Philoſopho, qui in 2. de Anima tex. 121. inquit, comune eſſe omni Senſui, quod ſit ſuſceptiuus Specierum ſine Materia; ex quo ſic ſumitur occaſio arguendi. in Generatione Formarum Intentionalium id, quod Generatur, eſt ipſa Forma, & non compoſitum: ergo in Generatione earundem Formarum Generans eſt ſimiliter Forma, & non compoſitum: antecedens deducitur ex philoſopho, quia in Generationibus Formarum Intētionalium generatur Forma ſine Materia; ergo Genitum

Ratio præcipua dubitandi.

eſt

eſt forma, & non compoſitum, conſequentia vero probatur, quia ex effectu debemus arguere de Agente: vbi ergo Genitum eſt compoſitum, ibi generans etiam eſt compoſitum; vbi vero Genitum eſt Forma ſine Materia, ibi etiam Generans erit Forma ſine Materia.

2 Sed breuiter dicendum eſt cum ÆGidio in Quolib. 5. q. 11. Quod in Generationibus Formarum Intentionalium abſolutè loquendo, ſemper generatur Forma in Materia, atque adeò Generans ſemper eſt Compoſitũ, & non Forma tantũ ſine vlla Materia ſimpliciter; idque ſic probatur, quia Generatio talium Formarum licet ſit ſine Materia propria, & non habeat, eſſe in Materia ſibi naturali; (Intentiones enim colorum non habent eſſe in Materia propria ſibi, nec in Materia naturali ipſis coloribus, cuiuſmodi eſt corpus terminatum, ſeu terminatiuum viſus:) habet tamen eſſe in Materia ſibi extranea: quia Intentiones colorum fiunt in Materia pura, & Diaphana: ergo Generatio talium Formarum abſolutè loquendo eſt in Materia, & nõ ſine vlla Materia ſimpliciter. Rurſus. Generationes taliũ Formarum ſunt cum conditionibus Materiæ: nam Formę Intẽtionales recipiuntur hic, & nunc. Tandem Generatio earundem Formarum eſt cum Materia, quia eſt Secundum ſituationem partiũ Materiæ: nam ſi aliquod coloratum imprimat ſuam Intentionem in medio, pars dextera illius colorati faciet impræſſionem diametralẽ in dextera parte medij, & pars ſiniſtra in Siniſtram, quę omnia arguunt, generationem talium Formarum eſſe generationem cum Materia.

Reſolutio Ægidij.

Formæ intẽtionales generãtur non in materia propria: ſed extranea.

3 Ad Rationem autem dubitandi dicendum eſt, Generationes Formarum Intentionalium eſſe ſine Materia non ſimpliciter, Sed ſine Materia propria; vel Generãtur Formæ Intentionales ſine Materia, quia Generantur ſine contrarietate, quam habent Formæ in Materia: ſimpliciter tamen Generatio talium Formarum eſt, Generatio in Materia, propter quod ſicut in talibus dici poteſt generari compoſitum, ita in eiſdem etiam Generans eſt compoſitum.

Soluitur ratio dubitandi.

DVBITATIO SEXTA.

V. Forma Subſtãtialis habeat ſuam peculiarem, & propriam exiſtentiã, ac ſubſiſtentiam?

1 Conclusio eſt affirmatiua, & probatur eodẽ prorſus fundamento, ac ratione, qua reſoluimus Dubitationẽ ſextam, & Septimam præcedẽtem: nam forma Subſtantialis quando iam eſt à parte rei, participat de natura entis exiſtẽtis per ſe, ergo Forma Subſtantialis quando eſt à parte rei, habet ſuam peculiarem exiſtentiam, & ſubſiſtentiam ſibi propriam; cõſequentia tenet, quia omne illud poteſt dici ſuo modo exiſtens, & Subſiſtens, quod aliquo modo participat de natura entis per ſe exiſtẽtis; probatur modo antecedẽs, quęlibet res quãdo comparatur, & coniungitur alteri, ſemper participat de natura illius, & acquirit quendam modum eſſendi eiuſdem rei, cum qua coniungitur: Sed Forma Subſtantialis dum eſt à parte rei, cõiungitur cum forma entis exiſtentis per ſe, ergo forma Subſtantialis cũ eſt à parte rei participat de natura entis exiſtẽtis per ſe; maior in Schola Ægidij eſt primum principium, nec denegari debet, quia modus rei non acquiritur, niſi per hoc, quod res coniungitur alteri; probatur minor, vel forma Subſtantialis dum eſt à parte rei habet formam puri nihilis, & hoc non, alias compoſitum Subſtantiale non conſtaret ex duplici parte reali: vel habet formam cuiuſdam entis accidentalis, alteri inhærentis vt in Subiecto, & hoc neque, quia tunc non eſſet Forma Subſtantialis, de qua loquimur, vel tandem habet Formam cuiuſdam entis exiſtẽtis per ſe ſaltem incompletè, & ſic habetur intentum.

Reſoluitur, & probatur, formã habere exiſtẽtiã & ſubſiſtẽtiam.

2 An autem hæc partialis exiſtentia, & Subſiſtentia quæ tribuitur Formæ, realiter diſtinguatur, ſitque independens ab exiſtentia, & Subſiſtentia partiali Materiæ? in ſequentibus declarabitur.

DE MATERIA, ET Forma ſibi mutuo comparatis.

DVBITATIONES SEPTEM.

Dubitatio prima. V. Materia ſit de ſe cognoſcibilis ſine vllo ordine ad Formam?

Du-

Dubitatio Secunda. V. Materia prima habeat peculiarẽ exiſtentiam, & Subſiſtentiam diſtinctam, & independentem ab exiſtentia, & ſubſiſtentia Formæ?

Dubitatio Tertia. V. Materia prima ſaltem de potẽtia Dei abſoluta poſſit exiſtere ſine omni Forma?

Dubitatio Quarta. Quænam Forma prius recipiatur in Materia, Subſtantialis ne, vel Accidentalis, & an quãtitas ſit coæua Materiæ?

Dubitatio Quinta. V. In vna, & eadem Materia ſaltem ſupernaturaliter poſſint eſſe plures Formæ Subſtantiales diſparatæ?

Dubitatio Sexta. An Saltem in Materia ſint ſimul plures Formæ Subſtantiales ſubordinatæ, quarum vna ſit diſpoſitio ad Aliam?

Dubitatio Septima. V. vna & eadem Forma Subſtantialis poſſit eſſe in diuerſis Materijs?

DVBITATIO PRIMA.

V. Materia ſit de ſe cognoſcibilis abſque vllo ordine ad Formã?

1 Thomiſtæ negant. THomiſtæ, & omnes illi, qui in Materia Prima nullum agnoſcũt actum entitatiuũ, abſolutè negant, Materiam eſſe de ſe cognoſcibilem ſine vllo ordine ad Formam vel actualem, vel aptitudinalem; primo quia, actus eſt cauſa cognitionis: ſed Materia eſſentialiter eſt pura potentia, & Forma per ſe eſt actus; ergo Materia non poteſt cognoſci ſine ordine ad Formam. Secundo. Ariſtot. 7. Methapiſ. text. 35. Materiam dixit; eſſe Secundum ſe ignotam, ergo &c. Rationes pro hac sẽtentia. tertio. Idem Philoſophus 7. Methap. text. 8. ait, Materiã Secundum ſe non eſſe Quid, nec Quale, nec Quantũ, ergo ſecundum ſe, nullum habet conceptum. Quarto. D. Aug. lib. de natura boni capit. 18. ait, Materiam per nullã ſpeciem cogitari poſſe, ſed per Priuationem ſpeciei, & lib. 12 confeſſionum ait, de Materia nos cognoſcere ignorãdo, vel, ignorare noſcendo. Quinto. Materia eſſentialiter eſt potentia, & potentia eſſentialiter eſt relatiua ad actum, ergo abſolutè loquẽdo, nequit Materia intelligi ſine vllo ordine ad Formã.

2 Scotiſtæ vero, & qui tenent, Materiam habere actum entitatiuum, affirmant, Materiam eſſe de ſe cognoſcibilem etiam diſtinctè ſine vllo ordine ad Formam; Ita apud

apud Maſtrium, & Bellutum diſput. 2. q. 8 art. p. & probatur p. quia quicquid poteſt per ſe ſignificari, poteſt per ſe intelligi: ſed Materia poteſt per ſe ſignificari, quia habet per ſe nomen diſtinctum à Forma, ergo poteſt per ſe intelligi ſine ordine ad Formam. 2. Materia eſt entitas abſoluta, ergo poteſt per ſe cognoſci ſine ordine ad Formam, & quamuis ſit entitas abſoluta incompleta, hoc tamen non obſtat, quin de Materia poſſit haberi conceptus quidditatiuus ſine ordine ad Formam: ſed ad ſummum ſequi poteſt, quod de Materia non poſſit eſſe conceptus completus, & quietatiuus, quod etiam conuenit Formę ratione ſuæ incompletionis, tertio. Materia de ſe habet actum entitatiuum, & non à Forma, ergo etiam de ſe habet propriam cognoſcibilitatem ſine ordine ad Formam, quia intelligibilitas ſequitur entitatem, cum ſit eius paſſio, & ſicut res ſe habet ad eſſe; ita ſe habet ad cognoſci.

3 AEgidius in Quolib. 2. q. 13. & in Examer. prim. part. cap. 3. in fine quáuis videatur magis inclinare in ſententiam Thomiſtarum: tamen in quolib. citato ſ. 2. via ſe ipſum declarat etiā pro Opinione ſubtiliſſ. Hæc ſunt verba Doctoris. *Sed ſi vis Materiam intelligere ſecundum ſe, non habebit intellectum poſitiuum, ſed priuatiuum: intellectum enim poſitiuum habet ipſe actus, ergo intellectum priuatiuum habet, quod de ſe caret actu: propter quod Auguſtinus 12. cōfeſſion. loquens ſignanter de cognitione Materiæ, inquit, quod humana cognitio conatur eam, ideſt Materiam noſcere, ignorando, vel ignorare, noſcendo, ignorata enim cognitio, vel cognita ignoratio nō dicit intellectum poſitiuum: ſed priuatiuum.* Hæc AEgidius. Opinio Ægidij.

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO.

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

4 EX quibus verbis liceat adnotare, quod dupliciter aliquid poteſt cognoſci per ſe ſine vllo ordine ad aliud. Primo conceptu ſimpliciter poſitiuo, qui eſt talis ſecundum eſſentiam, ſeu Secundum eſſe: & hoc modo dicimus cum Thomiſtis, Materiam ſine vllo ordine ad Formam non eſſe de ſe cognoſcibilem conceptu ſim- Accipitur ſententia Thomiſtarum.

pliciter

pliciter poſitiuo, quia omnis cognitio ſequitur eſſe, ergo cum Materia pręſcindendo ab omni ordine ad Formam, non habeat eſſe poſitiuum ſimpliciter, quia vt ſic nec habet actum completũ, & ſecundum eſſe, ſequitur, quod Materia ſine ordine ad Formam non poteſt intelligi conceptu Simpliciter poſitiuo, ſeu (vt Scotiſtæ loquuntur) conceptu quietatiuo, & completo.

5 Secundo. poteſt aliquod intelligi ſine ordine ad aliud conceptu priuatiuo, vel cõceptu etiam poſitiuo non ſimpliciter, ſed Secundum modum: & hoc pacto aſſerimus cum Scotiſtis, Materiam primam ſine vllo ordine ad formam eſſe de ſe cognoſcibilem conceptu priuatiuo, vel etiam conceptu poſitiuo Secundum modum: quia ſi cognitio ſequitur eſſe, & Materia prima etiam vt eſt priuata omni Forma Subſtantiali, habet ſuum modum eſſendi realẽ, diſtinctũ à modo eſſendi Formæ, qui modus eſſendi dicitur actus Secundum modũ, ſequitur, quod Materia etiã vt eſt informis, poteſt cognoſci conceptu priuatiuo, ſeu etiam poſitiuo non ſimpliciter, ſed Secundum modum.

Defenditur opinio Scoti.

RESPONDETVR IN FORma Argumentis

Vtriuſque Sententię.

6 AD D. Thomam dicimus, eius argumenta concludere, Materiam ſine vllo ordine ad Formam non poſſe cognoſci conceptu Simpliciter poſitiuo, ſeu completo, & quietatiuo: non vero non poſſe cognoſci cõceptu priuatiuo; ad primum conceſſa maiori, diſtinguẽda eſt minor, Materia eſt eſſentialiter pura potentia, ita vt nullum habeat actum nec completum, & Secundũ eſſe, nec incompletum, & Secundum modum, negatur minor, Materia eſt pura potentia, ita vt non habeat actum completum, & Secundum eſſe, vera eſt minor, ex hoc autem non ſequitur, niſi quod Materia non ſit cognoſcibilis actu poſitiuo ſimpliciter completo.

Ad Secũdum, & Tertium Reſpondetur; Materiam eſſe ignotam conceptu ſimpliciter poſitiuo, Ad quartum ex D. Auguſtino Reſpondetur eodem modo. Ad quintum dicimus, quod potentia, quæ eſt de eſſentia Materiæ, ſumpta radicaliter pro receptiuo Formæ, & habitu-

dinis ad Formam, non eſt relatiua, ſed quid abſolutum, quamuis ſumpta formaliter, dicat relationem ad actum.

7 Ad Scotum Generaliter reſpondemus, eius argumēta conuincere, Materiam ſine ordine ad Formam eſſe cognoſcibilem cōcepttu priuatiuo, ſeu etiam poſitiuo non ſimpliciter, & Secundū eſſe, qui dicitur conceptus completus, & quietatiuus, ſed benè conceptu poſitiuo incompleto, & Secundum modum, Et ad primum Reſpondetur, quod Materia ſicut de ſe habet ſignificatū, & eſſe incompletum, ita etiā habet conceptum incompletum, & priuatiuū, & eodem modo Reſpondetur ad Secūdum, & Tertium.

8 Neque Secundum hunc noſtrum modū dicendi Sententia Scotiſtarum opponitur Angelicis: nā cognoſcere Materiā conceptu tantum poſitiuo Secundum modum idem eſt, ac cognoſcere Materiam ignorando, ſeu ignorare Materiam, cognoſcendo, quod proprium eſt conceptus priuatiui: & cognoſcere Materiam ſine ordine ad Formam conceptu priuatiuo, ſeu poſitiuo Secundum modum, idem prorſus eſt, ac non cognoſcere Materiā conceptu ſimpliciter poſitiuo. Vtraque ergo Sententia eſt accipienda, & approbanda.

DVBITATIO SECVNDA.

V. Materia prima habeat peculiarem exiſtentiam, & ſubſiſtentiā diſtinctā realiter, & omnino independentem ab Exiſtentia, & Subſiſtētia Formæ.

1 SVpponimus ex alibi dictis, tam Materiā, quam Formam habere propriam, & partialem Exiſtentiam, ſeu actum Secundum modum, qui propterea vocatur actus entitatiuus, quia prouenit à Forma Entis: & propriam etiam, ac incompletam Subſiſtentiam, quæ in Schola AEgidij dicitur Subſiſtentia per participationem, quatenus tam Materia, quam Forma participant de natura entis, exiſtentis per ſe, & ſolum dubitatur in præſenti, an illa aliqualis Exiſtentia, & Subſiſtentia, quæ conceditur Materię, ſit realiter diſtincta, & omnino independens ab illa partiali exiſten- *Aperitur ſtatus difficultatis.*

tia,

tia, & Subſiſtentia, quę cōceditur Formę?

2 Et Scotiſtæ omnes, quos ſequitur Amicus Tract. 5. q. 4. Dubit. 2. art. 3. concluſ. 1. & ferè omnes Recentiores, relatiâ Maſtrio, & Belluto diſput. 2. q. 2. conſtanter aſſerunt, Exiſtentiam, & Subſiſtentiam partialem Materiæ eſſe omnino diſtinctam, & independentem ab Exiſtentia, & Subſiſtentia partiali formę; probatur hęc Sententia primo, (& quod probabitur de diſtinctione vtriuſque exiſtentiæ, id idē proportionali modo poterit applicari, ad probandam diſtinctionem inter ſubſiſtētiam Materiæ, & Formæ; nā cum Exiſtentia ſecundum modum in Materia non ſit inhærentia, nec ſit exiſtentia in alio, erit exiſtentia per ſe, ſeu habebit modum exiſtentiæ per ſe, atque adeò participatiuè, & ſecundum modum erit quædam ſubſiſtentia,) de Exiſtentia igitur propria Materiæ probatur, quod diſtinguatur, & ſit independens ab Exiſtentia particulari Formæ. Materia prima eſt primum ſubiectum mutationis: eſt cauſa materialis Formæ; & receptaculum eiuſdem; ergo habet Exiſtentiam diſtinctam, & independentem à forma; Antecedens patet. Probatur cōſequentia, quia mutatio realis non ſit niſi in ſubiecto exiſtente in rerum natura: nec Forma recipitur niſi in ſubiecto, realiter exiſtente; nec eſt intelligibile, Materiā phiſicè exercere cauſalitatem erga Formam, & non præintelligi exiſtentem, nā exiſtentia eſt ratio, vel ſaltē cōditio neceſſario requiſita ad exercitium Phiſicæ cauſalitatis.

Sententia Scotiſtarū.

Eorum fundamenta.

Nec valet dicere, Materiā ante generationem Formæ præexiſtere prǫexiſtentia Formæ præcedentis, quam ammiſit, & Secundum illam priorem exiſtentiam concurrere ad productionē nouæ Formæ. Nam cauſa in actu debet eſſe ſimul tempore cum effectu cauſato: ſed quādo ſit noua Forma, tunc in Materia non eſt prior Forma: quia primum eſſe Formæ, quę incipit, eſt primum non eſſe Formæ, quę deſinit, ergo Materia nō poteſt cauſare exiſtentiam nouæ Formæ per exiſtentiam prioris, alioquin quod non eſſet actu, cauſaret ens actu. Fugæ.

Dices. in inſtanti Generationis Materiam exiſtere per exiſtentiā Formę ſubſequentis. Sed contra; quia Forma ſuccedens non poteſt tribuere exiſtentiam Materiæ,

ante quam illam informet, cum ſola informatio ſit medium, quo comunicatur exiſtentia: ſed informatio præexigit Subiectum exiſtēs; ergo &c.

Reſpondebis. Materiam prius natura exiſtere in Genere cauſæ materialis: Formam vero eſſe priorem in genere cauſæ Formalis. Sed contra; in nullo genere cauſæ poteſt effectus Secundum eſſe reale præcedere ſuam cauſam: ergo repugnat, dicere, Materiam prius exiſtere in genere cauſæ Materialis, & in Genere cauſæ Formalis præcedere Formā: nam exiſtentia, quam ſibi prius habet Materia in Genere cauſæ Materialis, vel ei per ſe ipſam competit independenter ab omni Forma in quocunque Genere, & ſic habetur intentum, vel non? & tunc exiſtentia effectus eſſet in cauſa ratio cauſandi ipſum met effectum, vel ſaltem cōditio prærequiſita in cauſa ad actualem eius cauſationem: & eadem exiſtentia Formę à ſe ipſa depēderet, & ipſa ſe ipſam præcederet, & in ſe ipſa reciperetur, quæ omnia apertam indicant implicantiam.

3 Thomiſtæ vero perſiſtentes in illo vulgato principio, quod omne eſſe eſt à Forma, abſolutè negant, Materiam primam habere partialem Exiſtentiā, & Subſtentiam ſibi propriam realiter diſtinctam, & independentem ab Exiſtentia, & Subſiſtentia formę, idque his rationibus ſuadere videntur. primo Authoritate Patruum & Philoſophorum, qui vniuerſaliter dicunt, omne eſſe, & exiſtere prouenire á forma: vnde Ariſt. diffiniens Formam, inquit, *Forma eſt illa, quę dat eſſe rei*: Et Boecius cap. 3. de Trinit. ait, *Quicquid eſt actu, eſt per Formam*. Secundo; ſi exiſtentia Materiæ nō ponatur effectus Formæ: ſequitur, quod Forma non eſt cauſa Materiæ, quia nō dat illi nec eſſentiā, vt patet, nec minus exiſtentiam: imo cum Materia Secundum eſſentiam ſuam ſit prior Forma: ſi etiam ponatur independens à Forma Secundum exiſtentiam, quid impediet, quin naturaliter eſſe poſſit Materia ſine Forma? tertio; vel illa Exiſtentia partialis, quæ conceditur Materiæ, habet aliquam cauſam Formalem, à qua depēdeat, vel non? ſi primum, ergo cum effectus Formę nō diſtinguatur ab ipſa Forma, ſequitur, quod exiſtentia partialis Materiæ, quæ eſt effectus Formæ, non erit diſtincta

Thomiſtæ negāt Materiā habere exiſtentiā diſtinctā à forma.

cta ab exiſtentia Formæ, quæ ponitur eſſe cauſa: ſi vero dicatur, Exiſtentiam partialem Materię non eſſe effectũ alicuius Formæ: contra hoc eſt, implicat poſſe dari aliquod eſſe accidẽtale ſine vlla Forma accidentali, à qua dependeat in genere cauſæ Formalis: ergo ſimiliter implicat, poſſe dari aliquod eſſe ſubſtantiale ſine vlla Forma Subſtantiali, à qua depẽdeat in genere cauſæ Formalis: conſequentia ſequitur à paritate rationis, quia ſicut ſe habet eſſe accidentale ad Formam accidentalem, ita ſe habet eſſe Subſtantiale ad Formam Subſtantialem: antecedens autem eſt manifeſtum, quia nullo modo poteſt dari eſſe album ſine aliqua albedine, quæ ſit cauſa Formalis illius eſſe albi.

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO.

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

4 TOta huius controuerſiæ reſolutio meo iuditio pendet ab explicatione illius vulgatæ propoſitionis, quod Scilicet omnis actus, & omne eſſe eſt à Forma, & propterea diligenter eſt obſeruãdum, quod omnis Forma eſt quidam actus, & quoddam eſſe, & omne, quod habet aliquam Formam, habet aliquem actum, & aliquod eſſe eo modo, quo eſt ipſa Forma. Forma autem eſt duplex, & altera dicitur Forma partis, altera eſt Forma totius, Forma partis eſt illa, quę ingreditur conſtitutionem compoſiti, eſtque entitas Secundum ſe incompleta, & non dicit niſi partem realem naturę compoſiti, vt Forma ignis, Forma Aequi, &c. Forma totius ad huc eſt duplex, alia eſt forma totius vniuoci, alia eſt forma totius Analogi. forma totius Vniuoci eſt illa, quæ reſultat ex toto compoſito, & eſt in pluribus per prædicationem, ideſt Simpliciter eſt in omnibus illis, quibus conuenit, vt forma Speciei, vel etiam forma Generis: forma vero totius Analogi eſt illa, quæ conuenit pluribus Secundũ attributionem, ita vt Simpliciter ſit in vno, & Secundum quid in aliis, vt forma entis reſpectu Subſtantiæ, & Accidentis: vel forma Subſtantiæ reſpectu Materiæ, & formæ: Subſtantia enim, quę dicitur de huiuſmodi, non eſt Subſtantia, quæ eſt Genus; ſed eſt Subſtantia, quæ eſt Analogum, quia ratio Subſtantiæ ſimpliciter reperitur

Forma vel eſt Forma partis, vel totius Vniuoci, vel totius Analogi.

ritur in compoſito, & Secũdum quid in Materia, & forma.

5 Nunc ad propoſitum; cũ dicitur, quòd omnis actus, & omne eſſe eſt à forma, vera eſt propoſitio reſpectu cuiuſcunque formæ: ſed cũ hoc diſcrimine: nam à forma partis, & à forma totius vniuoci cauſatur eſſe Simpliciter, ſeu eſſe Specificum, & actus Secundum eſſe, atque determinatæ Speciei, qui actus Secundum eſſe nullo modo diſtinguitur à forma Subſtantiali, quia effectus formalis intrinſecus in omni Sententia non diſtinguitur ab ipſa cauſa formali. At à forma totius Analogi propriè non cauſatur eſſe Simpliciter, nec actus Secundũ eſſe, ſed tantum actus, & eſſe Secundum modum, ſeu potius modus eſſendi, qui propterea dicitur actus entitatiuus, quia cauſatur à forma entis, quæ non eſt forma Simpliciter, & Secundum eſſe; ſed eſt tantum forma Secundum modum.

Quomodo intelligatur quod omnis actus & omne eſſe eſt à forma

6 Quod ſic oſtenditur, & declaratur: Nam ens Secundum ſe non habet vnam formam Simpliciter, quia ens Simpliciter non eſt Vniuocum vniuocatione propria, vt latè oſtendimus in Methaphiſica, & quia forma Entis nõ eſt vna ſimpliciter, propterea talis forma nec eſt ens Simpliciter: cũ ens, & vnum conuertantur, Quod ſi forma entis nec eſt vna ſimpliciter, nec eſt ens in recto, nec minus erit forma Simpliciter, & Secundum eſſe, quia illud tantum eſt tale Secundũ eſſe, de quo Simpliciter, & in rectò prędicatur ens; cuius ratio eſt eſſe: ſicut ergo forma entis nec eſt vna Simpliciter, nec ens in recto, ita nec eſt forma Secundum eſſe, nec minus eſt actus ſimpliciter, & Secũdũ eſſe, quia actus, & forma idem ſunt: quamuis autem forma entis nec ſit Simpliciter actus, nec Simpliciter forma, nec minus ens Secundum eſſe, eſt tamen ens in obliquo, ſeu ens Secundum modum, & per participationem, quia participat rationem Entis, & eodem modo eſt vna, eſt forma, & actus, intellige Secundũ modum; nõ ſic forma partis, & forma totius Vniuoci: nam hæc ſicuti eſt ens in rectò, & vna Simpliciter, ita eſt vna forma Simpliciter, & Secundum eſſe.

Forma entis nõ eſt Forma ſimpliciter & ſecũdũ eſſe.

7 Atque adeò Exiſtentia, & Subſiſtentia eſt duplex; alia eſt Exiſtentia, & Subſiſtentia, quæ eſt actus Simpliciter, ſeu determinatus, & Secundum eſſe, quæ ab alijs

vo-

Exiſtētia, & ſubſiſtētia ſecūdū eſſe nullo modo diſtinguitur à forma.

vocatur Exiſtentia completa, ſeu Exiſtentia per ſe, & hæc nullo modo diſtinguitur à forma Subſtantiali totius Vniuoci, quia eſt effectus intrinſecus, & formalis eiuſdem formæ, & ſic ſunt intelligendi Thomiſtæ, quibus in hoc Senſu Scotici non contradicent. Alia eſt exiſtentia, & ſubſiſtentia, quæ eſt actus tantum ſecundum modū, ſeu exiſtentia, & ſubſiſtentia incompleta, vel partialis, & indeterminata, quę in rigore, & propriè non eſt actus, cum eſſentialiter poſſit eſſe potentia; & ſi à Scotiſtis vocatur actus, id non eſt ſimpliciter, & abſolutè, ſed cum addito, ideſt entitatiuus, quia cauſatur tantummodo à forma entis; & huiuſmodi exiſtentia, & ſubſiſtentia nullatenus dependet ab Exiſtentia, & ſubſiſtentia Formæ, quia nulla exiſtente forma ſubſtantiali in ad huc in Materia datur talis exiſtentia, & ſubsiſtentia ſecundum modum, & in hoc ſenſu ſunt intelligendi ſubtiles, dum aſſerunt, Exiſtentiam, & ſubsiſtentiam Materiæ eſſe omnino diſtinctam, & independentem ab exiſtētia, & ſubsiſtentia formæ, intellige de exiſtentia, & ſubſiſtentia Materiæ ſecundum modum, ſeu partiali, & incōpleta.

Exiſtētia, & ſubſiſtētia ſecūdū modum eſt diſtincta, & indepēdens à Forma.

RESPONDETVR IN FORma Argumentis.

Vtriuſque Sententię.

8 AD Diuum Thomam dicimus, conuincere de Exiſtentia & ſubsiſtētia completa, quarum quælibet eſt Actus ſecūdum eſſe, & totalis, ac determinatæ ſpeciei.

Ad primum ex Authoritate Patrum, & Ariſtotelis Reſpondetur; concludere de exiſtentia completa, & ſecundum eſſe. Ad ſecundum Reſpondetur, quod forma ſubſtantialis non dat Materiæ actum Entitatiuum, cùm Materia ſit quodam ens, realiter diſtinctum à Forma; ſed dat illi actum formalem, ſeu actum determinatæ Speciei, quæ dicitur actus ſecundum eſſe, cur autem Materia cum actu entitatiuo non poſſit eſſe naturaliter ſine forma? in ſequenti Dubitatione apparietur. Ad tertium dicimus, Exiſtentiam partialem, ſeu actum entitatiuum, & ſecūdum modum, qui conceditur Materiæ, eſſe effectum non formæ partis, nec minus formæ totius Vniuoci, ſed eſſe effectum formæ entis, quę eſt totum Analogum, & propterea vocatur Actus entitatiuus.

9 Ad Scotum Generaliter Reſpondemus, eius argumēta concludere de exiſtentia & ſubsiſtentia partiali, incōpleta, & ſecundum modum, quæ vtique realiter diſtingui tur, eſtque omnino independens ab exiſtentia, & Subsiſtentia Formæ: ſicuti realiter diſtinguitur entitas vtriuſque. Ad Primum conceſſo antecedente, quod Scilicet Materia prima eſt primū Subiectum mutationis, eſtque cauſa Materialis Formę, diſtinguendū eſt cōſequens; ergo Materia prima habet exiſtentiam incompletam, & partialem, ſeu actum Secundum modum, concedo conſequentiam, habet actū exiſtentiæ totalem, completum, & Secundum eſſe, negatur conſequentia. Reliquæ inſtantiæ non ſunt ad propoſitum.

DVBITATIO TERTIA.

Vtrum Materia vel naturaliter, vel ſaltem de potētia Dei abſoluta poſſit exiſtere ſine omni Forma?

1 NOn eſt quęſtio de Materia prima per comparationem ad formam entis: nam certiſſimū eſſe debet in hoc ſenſu nec naturaliter, nec minus de potentia Dei abſoluta poſſe Materiam exiſtere ſine forma ētis; etenim quod eſt à parte rei ſine omni forma Entis, eſt ipſum purum nihil: ſed procedit Dubitatio de Materia prima in ordine ad Formam Partis, & Senſus eſt, an naturaliter, vel ſaltem de potentia abſoluta poſſit Materia exiſtere ſine omni forma Subſtantiali?

2 Et quod naturaliter id eſſe non poſſit, eſt comunis omnium Philoſophantium Opinio. Cuius rei ratio à priori illa reddi poteſt, quia Materia naturaliter coexigit formā, quę neceſſaria coexigentia non debet attendi, quia fortè Materia dependeat à forma, veluti à cauſa ſui eſſe: nam oſtenſum eſt in precedentibus, Materiam primā independenter à forma partis habere ex ſe ſuam propriam entitatem, & exiſtentiam partialem, ſeu actū entitatiuum Secundum modum: & in tantum forma dici poteſt cauſa Materię, in quātum per informationem eam cōſtituit in ſpecie completa, & in quoddam eſſe determinatę ſpeciei: ſed neceſſaria coexigentia formę in Materia petenda eſt ſolum ex cōditione naturę Vniuerſalis, Annuitur ratio, cur materia naturaliter nō poſſit eſſe ſine Forma.

ſalis, & ordine vniuerſi, quod ſic ab Authore naturæ eſt inſtitutum, vt Agentia naturalia non corrumpãt Formam in Materia, niſi aliam introducant, qui ordo ab Agente naturali peruerti nõ poteſt, Quia tamen Materia eſt pars, quæ eſſentialiter petit compleri, & eſt potentia, quæ naturaliter petit actuari, eſtque imperfecta, vt naturaliter petat perfici, hinc eſt, quod coexigentia Formæ poteſt etiam in aliquo ſenſu attendi ex natura, & peculiari conditione ipſius Materiæ, ita quod ſine Forma exiſtens, eſſet in ſtatu violento, & contra ſuã naturalem inclinationem, nõn eſt tamen hæc Indigentia talis, vt ſtatim ſine Forma periret, nec poſſet à Deo ſine nouo miraculo conſeruari.

3 Sed Obijcies difficile Argumentum præſertim in Schola AEgidij, ad probandum, Materiam primam eſſentialiter, & ex intrinſeca indigentia dependere à Forma partis in exiſtendo. Materia intrinſecè dependet in eſſendo à Forma accidentali præſertim à Quantitate, ergo multo magis à Forma Subſtantiali, conſequentia infertur à fortiori, quia Forma Subſtãtialis eſt actus magis proportionatus Materię quã Forma accidẽtalis; probatur antecedẽs; ſola Quantitas indiuiduatur per ſeipsã & nihil aliud, vt oſtendimus in Methaphiſica, Forma autem Subſtantialis ſicut indiuiduatur per hoc, quod recipitur in Materia ſignata: ita Materia ſignatur, & indiuiduatur per Formam accidẽtalem præſertim per Quantitatem, ergo Materia intrinſecè pendet in eſſendo à Forma accidentali. Reſpondetur; negandam eſſe conſequentiam: nã vt alibi oſtendemus, quantitas ſaltem interminata eſt coæua Materię: vnde magis Materia pendet à quantitate vt à conditione concomitante, quam à Forma Subſtantiali: quia licet ad exiſtentiam completam Materię, & ad eſſe Specificum magis conferat Forma Subſtantialis, quam Forma accidentalis, tamen ad exiſtẽtiam Materiæ entitatiuam, & incompletam eius Indiuiduationẽ magis confert Forma Accidentalis præſertim Quantitas, quam Forma Subſtantialis.

Obijcitur difficilè argumentũ præſertim in ſententia Ægidij.

Materia quoad duã indiuiduationem indeterminatã magis pendet ab accidente quam à Forma ſubſtãtiali.

4 Suppoſito ergo, quod naturaliter Materia eſſe non poſſit ſine forma partis, nõ ex indigentia intrinſeca, & eſſentiali ipſius Materiæ in eſſendo, ſed ex conditio-

ne, & exigentia Vniuerſi. Reſoluendum ſupereſt; an ſaltem de potentia Dei abſoluta poſſit eſſe Materia ſine omni Forma partis?

Scotiſt. opinio docet materiá ſupnaturaliter eſſe poſſe ſine Forma.

5 Et Scotiſtæ omnes cum noſtro Alphonſo à vera Cruce p. Phiſic. Specul. 3. concluſ. vnica §. per Diuinam Potentiam conſequenter ad eorum Principia reſolutè affirmant, Materiam Primam poſſe à Deo conſeruari, ſupernaturaliter ſine omni forma partis. Fundamentum præcipuum eſt, quia Materia prima independẽter ab omni Forma partis habet ſuum peculiarem actum entitatiuum, ſuamque propriam exiſtentiam, imo & Specialem ſuam propriam Subſiſtẽtiam, diſtinctam realiter, & omnino independentem ab exiſtentia, & Subſiſtentia Formæ, ergo &c. Secundo id idem probatur, quia magis dependet poſterius à priori, quam prius à poſteriori: ſed Forma Subſtantialis eſt poſterior Materia, ſicut Accidens eſt poſterius Subiecto, & forma poteſt eſſe ſine Materia, ſicut Accidens ſine Subiecto, ergo multo magis poterit eſſe Materia ſine omni forma.

Fundamẽtum Scotiſtarum.

6 Thomiſtæ vero abſolutiſſimè negant, poſſe Materiã exiſtere ſine omni Forma, & præcipua eorum ratio procedit ex oppoſito fundamẽto, quia ſcilicet Materia prima nullum habet actum exiſtentiæ diſtinctum, & independentẽ ab exiſtentia Formę; idque confirmant primo authoritate S. Thomæ in P. parte q. 66. art. p. vbi ait, *Terminus creationis eſt ens actu: ipſum autem quod eſt actus, eſt Forma.* dicere igitur Materiam præcedere ſine Forma, eſt dicere, ens actu ſine actu, quod implicat contradictionem. 2. arguunt ratione, quia repugnat, aliquid eſſe in rerum natura ſub determinato Genere, quin ſit etiam ſub determinata Specie, vt quod ſit Animal, & non ſit vel Rationale, vel Irrationale: ſed ſi daretur Materia ſine omni Forma; ſequeretur quod Materia eſſet ſub determinato Genere Subſtãtiæ, ſicut eſt modo, & tamen nõ eſſet ſub aliqua determinata Specie, quia Species cuiuſcunque rei prouenit à Forma, ergo aſſerendum nõ eſt, Materiã poſſe exiſtere ſine forma. Tertio si Materia poſſet eſſe sine omni Forma, ſequerentur plura contradictoria de eodẽ: nã in primis ſequeretur, quod Materia eſſet actu, & non eſſet actu, eſſet actu, quia ſupponeretur exiſtere, non eſſet actu,

Rationes pro Thomiſtis.

quia non haberet Formam, á qua eſt omnis actus. Deinde ſequeretur, quod Materia eſſet indiuiduum, & non eſſet Indiuiduum, eſſet Indiuiduum, quia ſolitariè exiſteret, non eſſet Indiuiduũ, quia non haberet Formam, quæ ſola ponit Indiuiduum in determinata Specie. quarto vnum relatiuum non poteſt realiter eſſe ſine ſuo correlatiuo: ſed Materia quatenus pars, & quatenus potentia dicit relationem ad actum, quæ eſt alia pars; ergo &c.

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO.

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

7 EX præmiſſis in præcedentibus facillimũ eſt colligere fundamentalem diſtinctionẽ, qua Vtraque Sententia poterit ſubſtineri; duplex eſtExiſtentia, ſeu dupliciter poteſt aliqua res exiſtere, primo per actum exiſtentię Secundum eſſe, quæ eſt actus completus, & determinatę Speciei, & hoc modo repugnat, Materiam exiſtere exiſtentia Secundum eſſe ſine vlla Forma Subſtantiali, quia omne exiſtere Secundum eſſe eſt á Forma Subſtantiali; ita ſunt intelligendi Thomiſtæ.

Reſpódetur argumẽtis Thomiſtarũ

8 Ad quorum principale Argumentum dici debet, quod ſi Matearia eſſet ſine omni forma Subſtãtiali tunc eſſet in actu, & non eſſet in actu, eſſet in actu entitatiuo, & incompleto, qui eſt actus Secundum modum: Sed nõ eſſet in actu completo, & Secundum eſſe. Ad ſecundum Reſpõdetur quod in caſu argumenti ſicut Materia ſine Forma non eſſet in Genere directè, ſed tantum reductiuè, ita nec eſſe in Specie determinata, & Secundum eſſe, ſed tantum in Specie Secundum modum. Ad tertiũ neganda eſt ſequela, ad cuius primã probationem iam dictum eſt, quomodo Materia eſſet actu, & non eſſet actu; ad aliam probationem ſimiliter dicimus, in illo caſu Materiam non eſſe Indiuiduum completum, & determinatę Speciei, ſed incompletum, & Secundum modum, quia haberet ſuum modum eſſendi diſtinctum á modo eſſendi Formæ. Ad quartum diximꝰ alibi, quod Materia Secundum ſuum modum eſſendi eſt quid abſolutum, & non relatiuum, nam Secundum id, quod eſt, pertinet ad prędicamentum Subſtantiæ.

9 Secundo poteſt aliqua

res exiſtere per actū exiſtentiæ Secundum modum, quę propriè non eſt exiſtētia, ſed eſt participatio exiſtentiæ, eſtque quidam modus eſſēdi, & vocatur actus entitatiuus, quatenus procedit à Forma entis, & hoc modo nō repugnat, Materiam primam exiſtere ſine omni forma ſubſtantiali, quia talis modus exiſtendi non eſt effectus Formalis ipſius Formæ Subſtantialis: ſed potius eſt effectus Formalis Formæ entis, quæ ſupponitur antecedenter, & independenter ab omni Forma Subſtantiali, & hoc modo ſunt accipiendi Scotiſtę.

Reſpōdetur argumētis ſcotiſtarum. 10 Quorum argumēta dicimus, conuincere de exiſtere Secundum modum, & ita præſertim dicendum eſt ad principale. Ad Secundum dicimus, quod ſicuti Forma materialis pōt exiſtere ſine Materia per exiſtentiam non Secundum eſſe; & completam, ſed tantū per exiſtentiam Secundum modum, ita Materia poteſt exiſtere ſine Forma, non per exiſtentiam completam, & Secundum eſſe, ſed benè per exiſtentiam Secundum modum.

11 Dices pro Neutralibus, cur ergo Cælebriores Thomiſtę præſertim AEgidius in p. de Gener. q. 13. & in Examer. p. p. c. 2. abſolutè negant, Materiam primam poſſe eſſe ſine omni Forma? Cur Thomiſtæ negā materiā poſſe exiſtere ſine forma? Reſpondetur; actum exiſtētiæ Secundum modum, qui dicitur actus entitatiuus, propriè, & in rigore non eſſe exiſtentiam, cum non ſit res alicuius determinatę Speciei, nec mereri propriè nomen actus, cum eſſentialiter ſit potentia: ſicut Relatio Secundum dici propriè, & in rigore non eſt Relatio prædicamentalis, quia Secundum id, quod eſt, potius eſt quid abſolutum: & quia exiſtere per ſe propriè, & in rigore eſt tantum exiſtere Secundum eſſe, ſeu actus exiſtentiæ, quę eſt determinatæ Speciei: & hic tantum prouenit à Forma Subſtantiali, ideo rectè dicitur à Thomiſtis, & ab Ægidio, Materiam non poſſe exiſtere ſine omni Forma.

DVBITATIO QVARTA.

Quanam Forma prius recipiatur in Materia, Subſtantialis ne, an vero Accidentalis, & an Quātitas ſit coëua Materia?

1 HAEc Dubitatio eſt in tota Phiſica principalis, & maximam habet affinitatem cum

illis

Connexio preſentis queſtionis cū alijs.

illis duabus difficultatibus, quas latè diſcuſsimus in Tract. 3. de Gener. & corrup. diſp. 1. q. 1. art. 1. & 2. nimirum an Subiectum immediatum omnium Accidētium ſit ipſa Materia prima, vel totum compoſitum? & an in Generatione Subſtantiali fiat reſolutio vſque ad nudam Materiam primam? de quibus, & ſi loco ſupra citato ſoleat eſſe tractatio, non potuimus tamē abhac propoſita abſtinere propter magnam depēdētiam, quam habent ab illa plures aliæ, in ſequentibus reſoluendæ, & quoniam inter formas accidentales primum locum tenet ipſa Quātitas, ideo de ea eſt principalis quæſtio preſens, An ſcilicet in Materia prius recipiatur Quātitas, quam forma ſubſtantialis, an vero ē contra? ſeù quod idem eſt, an Quantitas ſit omninò ingenerabilis, & incorruptibilis, ſitque coæua Materię, ita vt omnis Forma ſubſtantialis ſemper adueniat Materiæ Quantæ? an vero quātitas recipiatur in toto compoſito, & ad huius corruptionē etiam ipſa Quantitas reſoluatur?

2 Et Prima ſententia eſt D. Thom. qui aſſerit, Quantitatem non aduenire Materię ante Formam ſubſtātialem, ſed poſt Formam, nec inhærere cœpiſſe iam Materiæ, vel cū Materia concreatam, ſed ſē per aduenire compoſito, & reſolui, ac corrumpi ad corruptionem illius. Ita non pauci tum ex Antiquioribus, tum etiam Recentioribus, quos refert Amicus Tractatione 6. q. 3. Dubit. 3. huius autem ſententiæ fundamēta ſūt huiuſmodi; primo, quia Ariſt. 7. Methap. cap. 4. docet, ſubſtantiam eſſe priorē Accidente ratione, natura, & tempore; ſed Quantitas eſt accidens, ergo non aduenit Materię immediatè, & ante Formam, ſed potius toti compoſito, ſeu poſt Formam. 2. ens per ſe eſt prius quam ens per accidens; ſed ex Materia, & Forma ſubſtātiali fit vnum per ſe, ex Materia vero, & Quantitate fit vnum per accidens; ergo prius recipitur in Materia Forma ſubſtantialis, quam Quantitas. Tertiò. prius eſt eſſe ſimpliciter, quā eſſe ſecundum quid: ſed Materia, & Forma ſubſtantialis faciūt eſſe ſimpliciter, Materia vero cum Quantitate facit eſſe ſecundum quid: ergo in Materia prius recipitur Forma ſubſtantialis, quam Quantitas. Quarto ſi in Materia prius reciperetur Quantitas, quam Forma ſubſtantialis, ſequeretur,

in en- ... re- gat quātitatem eſſe coæuā Materiæ.

retur, quod ex Materia, & Forma nũquam fieret vnum per ſe, ſed ſemper vnum per accidens, quia ſemper Forma ſubſtantialis adueniret Materiæ Quantæ, ſeu Materię cõſtitutę in actu per quãtitatem.

Ægidi⁹ docet, quantitatẽ eſſe cœuã materię

3 Verior tamen, & probabilior ſentẽtia nobis ſubſtinenda, eſt ſequentibus concluſionibus declaranda. Prima concluſio. Antequamcumque Formam tam ſubſtantialem, quam Accidentalem id, quod primo recipitur in Materia, eſt Quantitas, ſeu Corpus de Genere Quantitatis; Ita expreſſè fundamentalis AEgidius, de cuius mente ne vlla ſit dubitatio, referam ad litteram eius verba, & primo quę habet in quolib. 4. q. 1. vbi ſic loquitur, *Dicemus ergo quod Materia fuit concreata cum ſua Quantitate, per quam habet, quod ſit multa, vel pauca, à qua Quantitate nunquã Materia fuit abſoluta, nec in eandem Quantitatem aliquod Agens naturale habuit vnquam, vel habet naturaliter poſſe: ſed omnes reſolutiones Formarum factę per naturale Agens pręſupponunt tam Materiam, quam quantitatẽ, omneſque Formę materiales adueniunt Materia Quantę: vnde debet ratio naliter ſubſtineri, quod Quãtitas aliqua fuit concreata Materia, & eſt illud, quod in Genere Quantitatis vocatur Corpus*. Deinde in 2. ſentent. diſt. 3. q. 1. art. 1. hęc ſimiliter docet. *Dicemus .n. cum Commẽtatore in de ſubſtantia Orbis, quod dimenſiones nunquam ſeparantur à Materia, & quod origine ſaltem prius intelligitur Materia Quanta, quam ſuſcipiat Subſtantiales Formas.*

Locus Ægidij

4 Huius autem concluſionis Ratio à priori illa eſſe poteſt, quam nos etiam adduximus in Methap. vt probaremus, Materiam primam ſecundum curſum naturę nõ indiuiduari, neque ſignari niſi à Quantitate, & poteſt ſic iterum efformari. ſi Quãtitas non præcederet in Materia omnem Formam ſubſtantialem, nunquam daretur plura Materialia vel genere, vel ſpecie, vel aliter differentia: nam ſi ſint duo, vel plura materialia, quomodocunque differentia, oportet, quod in neutro ſit tota Materia, ſed in quolibet ſit aliquid de Materia, ergo Materia habet aliquid, & aliquid & per conſequens habet partes; ſed hoc non poteſt eſſe niſi per quantitatem, ergo nõ poſſũt eſſe plura Materialia, niſi Quãtitas in Materia

Ratio concluſionis à priori.

teria

teria præcedat omnẽ Formã.

Inſtãtia. 5 Dices, poſſe dari plura Materialia diſtincta abſque eo, quod præcedat Quantitas in Materia, propter ſolam diuerſitatem formarũ; Sed contra. Nam ex D. Parente Auguſt. 12. Confeſſ. in forme ſemper Origine præcedit formatum: ſi ergo ſunt duo, vel plura materialia diſtincta, prius origine intelligitur, eſſe informis Materia huius, vel illius materialis, quam hęc vel illa Materia perficiatur per Formã. ergo in ipſa Materia ſic informi oportet, intelligere aliquam diuerſitatem, vt poſſit diuerſas formas recipere: ſed hoc non poteſt eſſe per eſſentiam, erit ergo per partialitatem Materiæ, quatenus habet aliam, & aliam partem; quæ partialitas nõ poteſt eſſe niſi per Quantitatem; igitur de neceſſitate in ſuſceptione omnium Formarum erit hic ordo, & ſi non tempore, ſaltem origine, quod Materia intelligitur eſſe quid informe reſpectu omnium Formarum tam Subſtantialium, quam Accidẽtalium, & propterea Philoſophus in p. Methap. inquit in ipſo Fundamento naturæ ideſt in ipſa Materia nihil eſſe diſtinctum, prius ergo Materia intelligitur eſſe informis ad Quantitatem, quam ſuſcipiat Quantitatem, & habendo poſtea ſic Quãtitatẽ, licet non ſit informis reſpectu Quantitatis, adhuc tamẽ intelligitur informis reſpectu aliarum Formarum; de neceſſitate ergo vt poſſit Materia ſuſcipere diuerſas Formas, neceſſe eſt, præcedat Quantitas in Materia.

Ex D. Auguſtino informe ſemper origine præcedit formatum.

6 Dices iterum. Omnis diſtinctio materialiũ eſt per Formas, & hoc materiale differt ab illo, atque Materia huius à Materia illius, quia eſt ibi alia, & alia Forma, ergo vbi ſunt plures Formæ, ſunt plura Materialia, non ergo eſt neceſſe, præcedat Quantitas in Materia, adhoc vt ſint plura Materialia. Noua inſtãtia.

7 Sed contra; quia ipſum informe de ſe eſt vnum, & origine ſemper præcedit formatũ: ergo in eodẽ informi, quatenus vnũ nõ poſſũt recipi plures Formæ, quia in vno & eodẽ informi plures formę oppoſitionem habentes, aduenire non poſſunt: ipſi ergo informi, (quod præintelligitur vnum) primo non aduenit niſi vna Forma, tunc de illa Forma quæritur, an faciat diuerſitatem in informi, vel non? ſi hoc Secundũ, ergo in illo informi non poterũt recipi diuerſæ aliæ Formæ; ſi primum, cum ſola

Vt materia poſſit recipere diuerſas formas neceſſe eſt præcedat quãtitas in Materia.

Omnis inſtãtia ſuperatur.

Quan-

Quantitas ſit, quæ diuerſitatem cauſat in ſuo Subiecto, (Nam omnes alię Formę præter Quantitatem per ſe non diuerſificant proprium Subiectum, ſed ſolum perficiunt,) fit; quod ſi non præcedit Quantitas in Materia, nullo modo in eadem Materia poſſunt recipi plures Formę Materiales.

8 Quod ſi petes, an ratio adducta conuincat etiam de Potentia Dei abſoluta, cum diſtinctione Reſpondendum eſt. Si Materialia debeāt multiplicari, & eſſe vel Genere, vel ſpecie, vel numero differentia, neceſſarium eſt etiā de potentia Dei abſoluta, vt præcedat Quantitas in Materia: nam ſola Quantitas eſt illa, quę eſſentialiter dat ſuo ſubiecto eſſe diuerſum, ergo ſi non præcedit Quantitas in Materia, nullo modo Materialia poſſunt eſſe diuerſa præſertim diuerſitate numerica.

Quantitas etiā de potentia Dei abſoluta eſt neceſſaria adhoc vt ſint plura materialia.

Aſt ſi in alio ordine rerum, quem poſſet Deus inſtituere, non debeat eſſe niſi vnum materiale; tunc in tali ordine rerum non eſſet neceſſaria Quantitas pro Indiuiduatione talis Materialis; ſed poteſt Materia ab alio Accidente ſignari, & indiuiduari, nimirum à Qualitate, eſſetque tunc tale materiale magis indiuiduum, ſeu magis non diuiſum, quam modo eſt per Quantitatem. Videātur quæ cum Ægidio docuimus in Methaphiſica Tract. 3. Diſp. 2. q. p. art. 2. Dubit. p. ſub Dubitatione 4.

9 Secunda concluſio Quātitas prout recipitur in Materia ante omnem aliam formam tam ſubſtantialem, quā Accidentalem, eſt indeterminata, & per eam Materia non occupat niſi locum indeterminatum, quatenus vero eadem Quantitas ſubſequitur vel formam ſubſtantialem, vel etiam Qualitatē, ſic eſt Quantitas determinata, & per illam Materia occupat tantum locum determinatè; ita etiā Ægidius in quolib. ſup. cit. cuius verba ſunt hęc. *Qualitercunque accipiantur dimenſiones determinatę, & indeterminatę, ſemper indeterminatę præcedunt Formam ſubſtantialem, determinatę vero ſequuntur, & per dimenſiones indeterminatas habet Materia, quod occupet locum, per determinatas vero, quod occupet tantum locum: nam ipſa Quantitas Secundum ſe, à qua nunquam abſoluitur Materia, dicitur dimenſiones indeterminatę: ſed ipſa Quantitas vt eſt coniuncta alię, & alię Formę Subſtantiali, vel* vt

Secūda concluſio principalis.

Quātitas interminata præcedit in materia omnem Formā.

Quātitas vero terminata ſequitur.

vt eſt coniuncta aliæ, & aliæ Qualitati, ſic dicitur Dimenſiones determinatæ. Et eadem vel ſimilia habet in Theorematibus de Corp. Domini propos. 43. probatur autem hæc ſecunda concluſio etiam ratione ex eodem Ægid. deducta, quia ſicut Materia Secundum ſe eſt indeterminata, & determinatur per aliam, & aliam Formam Subſtantialem: ſic eſſentia Quantitatis adhærens Materiæ, habet de ſe quandã indeterminationẽ; determinatur autem pro vt eſt cõiuncta cum alia, & alia Forma Subſtantiali, ergo Secundum hoc verificari poteſt, quod dimenſiones indeterminatæ præcedunt Formam in Materia, ſed determinatæ cõſequuntur: conſequentia eſt infallibilis, quia prius intelligitur, quod Forma Subſtantialis adueniat Materiæ, & poſtea quod per huiuſmodi Formam determinetur tã Materia, quam Quantitas exiſtens in Materia, antecedens autem ſic probatur: nã Quantitas Secundum ſe neceſſario præcedit omnẽ Formam Subſtantialem, vt in præcedenti concluſione mõſtratum eſt, ſed omne quod præcedit Formam Subſtantialem, Secundum ſe eſt indeterminatum: cum omnis determinatio ſit tãtũ à forma, ergo ſicut Materia Secundum ſe eſt indeterminata, & ſolum determinatur per Formam Subſtantialem, ita Quantitas adhærens Materiæ ante Formas, eſt Secundum ſe indeterminata, & ſolum determinationẽ habet ab ipſa Forma; videatur etiam Ægid. tũ in Theorem. de corp. Domini prop. 44. tum etiam in 8. Meth. q. 5. cuius verba referemus in Tractatu 3. de Generatione Diſput. p. quæſt. p. art. 2. Dubit. 2.

Ratio ſecũdæ concluſionis.

10 Atque adeò omnia loca tam Philoſophi, quam etiam vtriuſque Scholæ, in quibus ſignificari videtur, vel immediatum Subiectum Accidentium eſſe totum cõpoſitum, vel Accidentia diſſolui ad corruptionem eiuſdem Compoſiti, intelligenda ſunt de Accidentib' determinatis, quæ proculdubio non præcedunt in Materia, ſed ſequuntur, quia omnem determinationem habent à Forma.

Accidẽtia terminata ſunt in compoſito.

11 Et ita etiam explicari debet, cum dicitur, quod Quantitas ad corruptionem cõpoſiti corrumpitur: Quantitas enim Secundum ſe, & Secundum eſſentiam ſuam nequaquam eſt corruptibilis: ſed ſi corrumpi contin-

git, hoc tantum eſt quo ad terminationem, & figuram, quam habet à Forma.

12 Nec argumẽta pro prima Sententia difficultatem habent: nam Subſtantia cõpleta eſt prior Accidente nõ prioritate temporis, ſed dignitatis. Ad Secundum dicimus, ſatis eſſe, quod ens per ſe ſaltem incompletum ſit prius, quam ens per accidẽs, & ſic Materia, quæ eſt ens per ſe, præcedit omne ens per accidens. Ad tertium Reſpõdetur, quod Materia etiam cum Quantitate eſt pura potentia, & non habet eſſe ſimpliciter, ſed eſt quidam modus eſſendi, qui non inconuenit, in aliquo priori originis præcedat eſſe Simpliciter, cum informæ ſemper origine præcedat Formatum. Ad quartum neganda eſt ſequela, quod ſi Quãtitas præcederet Formam Subſtantialem, nunquam ex Materia, & Forma fieret vnum per ſe: nam Forma Subſtantialis nunquam aduenit Materiæ ab extra, ſed ex intimo Materiæ æducitur: & quamuis adueniat Materiç Quantç, ſemper tamen æducitur de potentia Materiæ, quæ eſſentialiter eſt ipſa Materia: vnde forma ſic ęducta quãtumcunque inueniat Materiam Quantam, immediatius tamẽ adhęret Materiæ, quam ipſa Quantitas.

ſoluuntur rationes oppoſitę.

13 Et ſi dicatur, quod Anima Rationalis aduenit Materiæ ab extra, ergo ſaltem Anima rationalis faciet cum Materia quãta vnum per accidens. Reſpondetur, quod Anima Rationalis eſt à tali Agente, quod intimius eſt Materiæ, quam Materia ſibi; quamuis ergo Quantitas ſit medium in fieri, & per accidens, per ſe tamen, & in perfici ſemper Forma Subſtantialis immediatius adhæret Materiæ, quam Quantitas.

DVBITATIO QVINTA.

V. In vna, & eadem Materia poſſint eſſe plures Formæ Subſtantiales diſparatę ſaltem ſuper naturaliter.

1 NOn eſt quæſtio de Formis accidentalibus diuerſarũ Specierum: nam huiuſmodi etiam naturaliter reperiuntur in eodem Subiecto, vt patet de calore, ſapore &c. nec minus de Formis Subſtantialibus ſubordinatis, quarum vna eſt diſpoſitio ad aliam: nã de his dicemus in ſequentibus: ſed agimus tantũ nũc de Formis Subſtantialibus diſparatis, quæ inter ſe nullum,

aperitur ſtatus cõtrouerſiæ.

lum ordinẽ habent:nec procedit difficultas Secundum curſũ naturæ, nam hoc modo eſt pænitus impoſſibile, duas Formas Subſtantiales ſimul in eadem Materia reperiri, cum vna talis Forma ſemper aliam expellat ab eodem Subiecto, Eſt igitur Dubitatio, An de potentia Dei abſoluta Duæ Formæ Subſtantiales non ſubordinatæ poſſint ſimul eſſe in eadem Materia.

Thomiſtarum opinio negat.

2 Thomiſtæ negant, plures Formas Subſtantiales poſſe de potentia Dei abſoluta ſimul informare eandem numero Materiam, cuius præcipua fundaměta ſunt hujus modi primo impoſſibile eſt dari duas cauſas Formales reſpectu vnius, & eiuſdem effectus, ergo impoſſibile eſt, duas Formas ſimul informare eandem numero Materiam, probatur conſequentia, quia illæ duæ Formæ eſſent duę cauſæ Formales reſpectu vnius, & eiuſdẽm effectus.

Rationes pro hac ſẽtentia.

3 Dices. Illas duas Formas non cauſare vnum, & eundẽ effectum, ſed diuerſos, quia vna Forma cum eadem Materia conſtituit diuerſum compoſitum ab alià Forma; atque adeo pluribus Formis correſpondebunt plures effectus formales. Sed contra. non poteſt dari diuerſum compoſitum ſine diuerſa Forma, ergo neque ſine diuerſa Materia: nam ſicut diuerſitas ſpecifica in compoſitis ſumitur à Forma; ità diuerſitas numerica ſumitur à Materia: Sed in eo caſu eſſet vna tantum Materia (vt ſupponitur) & plures Formæ, ergo compoſitum in eo caſu eſſet vnum ratione vnius Materiæ, & ſimul etiam eſſent plura ratione plurium Formarum, quod inplicantiam inuoluit.

ſecũda Ratio.

4 Secundo in fauorem huius Sententiæ ſic arguitur. Implicat, Hominem eſſe leonem, vel è contra; ergo implicat, Formam Hominis, eſſe ſimul cum Forma Leonis in eadem parte Materiæ. probatur conſequentia, quia ſi illæ duæ Formæ eſſent in eadem numero Materia: iſtæ prædicationes eſſent veræ. Homo eſt leo, leo eſt Homo probatur ſequela, quia ad veritatem prædicationis cõcreti de concreto ſatis eſt vnitas ſubiecti, vt patet in his prædicationibus, album eſt dulce, &c. ſed illæ duæ Formę tunc haberent vnum, & idẽ ſubiectum ſcilicet eandem Materiam; ergo illæ prędicationes eſſent verę.

5 Adiungi poteſt ad probandum hoc idem, inſignis

Authoritas fundamentalis Egidij, quam nos etiam ſignificauimus in pręcedenti dubit. num. 8. Nam Quantitas interminata neceſſario præcedit in Materia omnem Formam etiam de potentia Dei abſoluta, ad hoc vt materialia poſſint eſſe diuerſa; ergo in vna, & eadem Materia vel non diuerſificata per Quantitatem, vel in vna tãtum parte Materiæ nullo modo etiã per potẽtiã Dei poſſunt recipi plures Formę prob. conſequẽtia, quia ſtante eadem vnitate materiæ, non eſſet, vnde poſſet deſumi diuerſitas Materialium ſaltem numerica.

6 Sed Scotiſtæ oppoſitum docent, dicuntque, non implicare contradictionẽ depo tẽtia Dei abſoluta poſſe plures Formas ſubſtantiales ſimul, & Semel informare eãdem numero Materiam. ita apud Maſtrium, & Bellut. diſp. 5. q. 6. art. 2. & ex Recentioribus non pauci pręſertim Ruuius li. p. Phiſic. Trat. 2. de forma q. 7, num. 72. & Amicus Tractat. 6. q. 6. dubit. 5. concluſ. 4. Probatur autem huiuſmodi ſententia his rationibus. Primo. Materia habens vnam Formam ſubſtantialem, habet potentiam ad recipiendam quamcumque aliam formam; cum potentia ſit de eſſentia Materiæ, ergo &c.

Scotiſtæ affirmãt plures Formas poſſe eſſe in vna Materia.

Quod ſi dicatur, Materiã habere potentiam ad recipiendas Formas, non quidem ſimul, ſed ſucceſſiuè. contra hoc eſt. ſi materia habens vnam Formam, non poſſet ſimul recipere alias Formas; vel repugnãtia eſſet ex parte Materię, quatenus .ſ. illa eſſet vna, vel repugnãtia eſſet ex parte Formarũ, quarũ vna aliã expellit ab eodẽ ſubiecto, non primũ; quia Materia quamuis ſit vna; tamẽ non eſt limitata ad hanc, vel illam Formam. nec ſecundũ, quia expulſio alterius Formę eſt effectus ſecundarius; qui impediri poteſt à Deo, ne fiat. Secundo. poſſunt duo corpora de potẽtia Dei eſſe in vno, & eodem loco, ergo poſſunt ſimiliter duę Formę eſſe ſimul in vna Materia; cõſequentia ſequitur à paritate rationis, antecedens autem negari non poteſt pręſertim ab admittentibus penetrationem corporum.

prima Ratio ſcotiſtarum.

7 AEgidius videtur magis inclinare in ſententiam Scoti quam in oppoſitam nam in quolibet 4. q. p. in fine corporis, & etiam in ſolutione ad Argumentum. hęc ait. *Quantum ergo ſpectat ad propoſitum ſicut in Formis intentionalibus naturaliter poßunt*

Loca Ægid. in fauore n ſẽtentiæ ſcoti.

poſſunt eſſe plures intentiones in eodem puncto medij; ſic ſupernaturaliter virtute Diuina poterunt eſſe plures albedines reales in eodem ſubiecto. ſed expreſſius in quolib. 5. q. 10. in ſolutione ad ſecundũ hęc docet. *Ex hoc patere poteſt, quomodo Deus diuerſas Formas reales ſolo numero differentes, poſſit inducere in eadem parte Materię: nam quia ipſe Deus eſt, agere poteſt ſine pręcedente transmutatione, & motu: & quia poteſt Formas, quantunque reales inductas magis conſeruare, in eſſe ſuo numerali, quã quęcumqae alia Agentia poſſint conſeruare in eodem eſſe formas intentionales; ideo ſi Agentia naturalia plures intentionales Formas ſolo numero differentes in eadem parte medij poſſunt inducere: multò magis poterit hoc Deus de realibus Formis.*

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO.

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

7 IN hac cõtrouerſia exiſtimo, eſſe Summopere ad notandum, quod multipliciter Materia poteſt dici vna, primo per negationem omnis diuiſionis; vt Materia denudata omni Quantitate, eſt vna vnitate entis per negationem omnis diuiſionis; Secũdo poteſt dici vna vnitate partis, quatenus ſcilicet correſpondet Formæ partis: exempli gratia ſi tota Materia Auri diuidatur per Quantitatem in plures partes, & in vna parte auri ponatur Forma annuali, & in alia parte Forma coronæ &c. tunc illa Materia auri, in qua eſt forma Annuli, eſt vna Materia, ſed vnitate partis, quia ita eſt Materia formæ annuli, vt non ſit Materia formæ coronæ; tertio poteſt Materia dici vna vnitate totius non Simpliciter, ſed per comparationem ad vnam aliquam formam, quæ extra talem Materiam reperiri nõ poteſt, vt Materia ſolis eſt vna vnitate totius, quia extra ſolẽm nihil reperitur de Materia ſolis; quarto poteſt Materia eſſe vna vnitate Situs, etiam ſi ſit multiplex Secundum partes, Quantitatiuas, vt Materia diuiſa per Quantitatem in ordine ad ſe, ſed non extenſa in ordine ad locum: Partes enim Quantitatiuæ aliquando ſunt extenſę in ordine ad ſe, & in ordine ad locum, vt partes quantitatiuæ quando occupant locum; ſeu diuerſas partes loci, aliquando ſunt extenſæ

Multipliciter materia poteſt dici vna

in ordine ad ſe, ſed non ſunt extenſæ nec diuiſę in ordine ad ſitum vt partes quantitatiuæ Corporis Chriſti in Hoſtia ſacrata ſunt diſtinctę, & extenſæ in ordine ad ſe; ſed ſunt indiuiſę in ordine ad ſitum.

9 Hoc adnotato, dicẽdum eſt, quod In vna Materia, quæ ſit vna vnitate per negationem omnis diuiſionis, vt in materia denudata omni quantitate, nullo modo etiã per potentiam Dei abſolutã poſſunt eſſe ſimul plures formæ Subſtantiales; hoc conuincunt argumenta primæ Sentẽtiæ Thomiſtarum, quia in materia denudata omni quantitate, ſeu Simpliciter indiuiſa, non eſſet, vnde poſſet deſumi diſtinctio, & multiplicatio materialium, vt patet. Aſt in vna materia, quæ ſit vna vnitate Situs, poſſunt eſſe ſimul ſupernaturaliter plures formę, quia talis materia non eſſet vna Simpliciter, ſed ſi eſſet indiuiſibilis, & indiſtincta per ordinem ad Situm: eſſet tamen extenſa, & multiplex extenſione in ordine ad totum, ſeu in ordine ad ſe: & ſic eſt vera Secunda Sentẽtia Scotiſtarum; in quo caſu nec deficeret diuerſitas materialium ex parte materię, nec vnum materiale poſſet pręducari de alio; quia Semper in materia eſſet diuerſitas partium in ordine ad ſe. Idemque dici poteſt de materia vna vnitate partis, quam etiam vnitate totius, poſſe Scilicet eſſe ſimul in ea plures formas ſupernaturaliter, quia talis materia ſemper eſſet diuiſa, & multiplex in ordine ad ſe.

V. autem idem dici debeat de formis contrarijs? alibi diſputabitur.

RESPONDETVR IN FORma Argumentis Vtriuſque Sententię.

10 AD Diuum Thomam dicimus, conuincere de materia, quæ ſit vna vnitate per negationem omnis diuiſionis, ita vt in materia denudata omni quantitate nullo modo poſſint eſſe plures formę Subſtantiales. Ad primum benè ibi reſponſum eſt: Ad replicam Reſpondetur, concedendo primum antecedens, & conſequens, ſed diſtinguẽda eſt minor reaſſumpta; in eo caſu materia eſſet tantũ vna per negationem omnis diuiſionis, negatur minor, nam tunc materia eſſet quãta, atque adeo per quantitatem eſſet multiplex, & diuiſa. Ad Secundum ad miſſo an-

antecedente, diſtinguendũ eſt conſequens; implicat, formam Hominis eſſe ſimul cũ Forma Leonis in vna Materia, quæ ſit ſimpliciter vna per negationem omnis diuiſionis, conceditur conſequentia; quæ ſit vna vnitate Situs, & per eſſentiam, ſed multiplex, & diuiſa per Quãtitatem, negatur conſequẽtia, & per hæc patet etiam ad locum ex AEgidio.

11 Ad Scotũ dicimus, concludere de Materia, quæ ſit vna per eſſentiam, ſed diuiſa per Quantitatem. Ad primum Reſpondetur, Materiam denudatã omni Quantitate, non habere potentiã ad plures formas ſimul, quia tunc nõ poſſet aſſignari, vnde materialia eſſent plura; ſed informata Materia à Quãtitate, quia per hanc diuerſificatur, & eſt multiplex in partibus, omnino vt ſic habet potentiam ad recipiendum plures Formas etiam ſimul ſaltem per ordinẽ ad Agens ſupernaturale, quod poteſt impedire expulſionẽ vnius Formę ab alia. Ad Secundum Reſpondetur eodẽ modo, quod Scilicet duę formæ Subſtantiales de potentia Dei poſſunt eſſe ſimul in eadem Materia, quę ſit vna, vnitate Situs, & multiplex per Quantitatem.

DVBITATIO SEXTA.

An Saltem in Materia dentur ſimul plures Formę Subſtãtiales ſubordinatę, quarũ vna ſit Diſpoſitio ad aliã?

Vbi de Forma Corporeitatis, & etiam de Forma Embrionis ante infuſionem Animę Rationalis.

1 HAEc Dubitatio magnam habet connexionem, & parentelam cum illa alia in Tertio Tractatu examinanda, an ſ. in corruptione ſubſtantiali fiat reſolutio vſque ad nudam Materiam primã, ita vt quando Materia vnam Formam acquirit, & aliam deperdit, tunc exijs, quę erãt in compoſito, maneat ſola Materia; & ſub alijs terminis ſic ſolet proponi; An in compoſito Subſtantiali dentur plures Formæ Subſtantiales ſubordinatę? ita vt aliqua Forma Subſtantialis, quæ præfuit in corrupto; remaneat etiam in Genito, quã Dubitatione, non alibi explicandam remittimus, tum propter affinitatem, quam ha- Aperitur ſenſus difficultatis.

habet cum dubio de pluralitate Formarum, in vna Materia, tum etiam quia paſſim deſeruiet ad plura alia declaranda.

Authores pro ſententia Diui Thomæ

2 D. Thomas cum omnibus ſuis diſcipulis in p. p. q.76.art.3.docet, nullatenus in Compoſito eſſe pluralitatem Formarum ſubſtãtialiũ: ſed ĩ corruptione ſubſtãtiali quo ad Formas ſubſtantiales fieri reſolutionem vſque ad nudam Materiam primã; ſequuntur eandem ſententiam Capreol.in 2. ſent. diſt. 15.q.p.Caiet. de Ente, & eſſentiæ quæſt. 17. Hæruęus Quolib.4.q.14.& de Vnitate Formarũ q. 16. Bann. in lib. de Gener.q.8.Fonſec.8. Methap.cap.p. q.2. Conib. in p. de Gener.cap. 4.q. 18. Thomas ab Argent.in 4.ſent.diſt. 23.q.p. art. p. ante medium Alphons. Toletanus in 2. de Anima q.p.art.2. & ex Recẽtioribus multi, quos refert, & ſequitur Areſius diſput.2.q. 2. ſect. p.fundamẽta autem pręcipua huius ſẽtentiæ ſunt huiuſmodi.p. ex duobus exiſtentibus in actu non põt fieri vnum eſſentialiter:ſed quęlibet Forma ſubſtantialis eſt aliquid in actu:ergo ſi in compoſito eſſẽt plures Formæ ſubſtantiales, tunc tale compoſitum eſſet ens per accidẽs, quia nõ haberet vnam eſſentiam, Maior eſt Ariſt. in 7. metap. tex. 49. & minor patet per eundem Philoſophum 2. phiſic. tex. 12.Secundò; Deus, & Natura nihil faciunt fruſtra, vt dicitur in p.cęli tex.32.ſed ſi plures Formæ ſubſtantiales eſſent ſimul in eodem compoſito: tunc aliqua eſſent Fruſtra, quia quicquid ſaluari debet in Entibus, hoc benè ſaluatur per vnam tãtum Formam; ergo &c. 3. ſpecialius probatur in Homine, nõ eſſe niſi vnam Formam ſubſtantialẽ, quod eſt Anima intellectiua. quia in libro de eccleſiaſticis dogmatibus ſic dicitur. *Neque duas Animas dicimus eſſe in Homine, ſicut Iacobus, & alij Hæretici ſcribunt, vnam ſcilicet Animam, qua corpus viuificat, & qua Animatur, & aliam ſpiritualem, quę rationẽ miniſtret: Sed vnam, & eandem dicimus etiam in Homine, quod & Corpus ſua ſocietate viuificat, & ipſum ſua ratione diſponit* 4.ſicut Homo eſt in Genere Animalium, ita eſt in genere corporis, animati, & ſubſtautiæ: ſed per vnam, & eandem Formam, quæ eſt Anima; Homo eſt Homo, & eſt animal, ergo per vnã, & eandem Formã collocatur etiã in Generibus ſuperioribus. 5. Ariſt. 2. de Anima compa-

Capre. Caiet. Neru. Bannes. Fonſec. Conim. Argent. Alphõſ. Tolet. Areſius.

Fundamenta huius ſententiæ.

rat

rat diuerſas Animas ad diuerſas Species figurarum, quarum vna continet aliam, aitque, quod ſicut Penta gonum continet Trigonum, & excedit, ſic Anima Intellectiua habet in virtute quicquid habet Senſitiua Brutorum, & Vegetatiua Plantarum: ſicut ergo ſuperficies, quę habet figuram pentagonam, non per aliam figuram eſt Pentagona, & per aliam Tetragona, quia ſuperflueret Tetragona, quæ in Pentagona continetur, ita non per aliam formam Homo eſt Animal, & per aliam eſt Homo, ſed per vnam, & eandem.

3 Sed SCOTVS in 4. Sent. diſt. 11. q. 3. conſtanter defendit, eſſe in viuētibus plures Formas Subſtātiales, quarū vna ſit alteri ſubordinata, & Specialiter in Homine prę ter Animam intellectiuam vult, eſſe ſimul Formā Corporeitatis: pro qua Sententia citari poſſunt Fauētinus Theor. 75. Birag. p. de Gener. q. 6. & alij plures apud Maſtrium, & Bellutum Diſput. 5. de Gener. q. 3. art. p. vbi contra Arriagam ex Societate Ieſu valde inuehūt, propterea quod Sententiam Scoticam inquit, nō multum in Scholis inualuiſſe: ſed adducamus vrgentiores rationes, quibus Scotiſtæ conantur oſtendere, eſſe in viuentibus plures Formas Subſtātiales, & primo loco poſſet afferri quidā locus AEgidij in quolib. p. q. 14. vbi expreſſis verbis ſic ait: *Poſſumus itaque ſaluare in Homine plures Formas, abſque eo, quod ſaluemus ibi plures Animas*: Sentit ergo AEgidius, eſſe in Homine plures Formas Subſtantiales. Secundo loco accedit ratio, quia Embrio prius viuit vita vegetatiua, deinde Senſitiua, & vltimo Intellectiua, ergo antequā infundatur Anima intellectiua, eſt in Embrione Anima Vegetatiua, & Senſitiua: vel igitur veniente Anima Rationali, præcedentes Animæ corrumpuntur, vel non? ſi non, ergo præter Formam corporeitatis erunt in quolibet Homine plures Formæ Subſtantiales Scilicet prædictæ Animæ; ſi dicatur, quod corrumpuntur, id eſt impoſſibile, quia diſpoſitio diſponens ad aliquam Formam, non corrumpitur, adueniente tali forma: ſed vegetiua, & ſenſitiua ſunt diſpoſitiones ad Rationalem; ergo &c. tertio; in compoſito Viuo, & mortuo apparent eadem Accidentia numero, vt in Coruo eadem Nigredo, in Cigno eadem Albedo, in Homine

Opinio Scoti.

eius fūdamēta.

eadem cicatrix, & magnitudo, ergo in quolibet compoſito ſunt plures Formæ Subſtantiales; probatur conſequentia, quia ſi eſſet vna tãtum Forma, corrupta tali Forma, perirent cum ea omnia Accidentia. quarto; aliç proprietates cõueniunt Homini quatenus Homo, & aliæ vt Animal, aliæ vt Corpus; ergo alia eſt forma Subſtãtialis, per quã eſt Homo, & alia eſt forma, per quã eſt Animal, &c. probatur conſequentia, quia illa diuerſitas proprietatum non poteſt reduci in diuerſitatẽ Materiæ. Quinto omne Genitum ſemper accipit Formam Subſtãtialem a Generante: ſed Homo Genitus à ſuo Generante non accipit Animam Rationalem, quia hæc creatur à Deo, ergo in Homine genito præter Animam Rationalẽ eſt alia Forma Subſtantialis. Seſto; Anima Rationalis præſupponit in Homine Organizzationem Corporis: ſed Organizzatio cum ſit accidens, præſupponit neceſſario Formam Subſtantialem: ergo præter Animam Intellectiuam eſt in Homine alia Forma Subſtantialis; maior eſt certa, quia Anima eſt actus corporis organici &c. probatur minor, quia actus Secundum quid præſupponit actum Simpliciter: ſed organizzatio, quç eſt accidens, eſt actus Secundum quid, ergo Organizzatio præſupponit Formã Subſtãtialem, quæ eſt actus Simpliciter. Septimo; vna, & eadẽ Forma non poteſt eſſe Spiritualis, & Corporalis, ſed Forma, per quam Homo eſt corpus, eſt corporalis, quia talis eſt Forma, quale eſt eſſe, quod prouenit à Forma: & illa Forma, per quam Homo eſt Homo, eſt Spiritualis; ergo &c. Octauo; facta reſolutione cõpoſiti vſque ad nudam Materiam primã, tunc omnia, quæ prius erant cõiuncta, ſtatim reſoluuntur: ſed ſi in vno compoſito eſt vna tantum Forma Subſtantialis, tunc in corruptione, & morte fieret reſolutio vſq; ad Materiam primam, ergo tunc ſtatim omnia oſſa caderent de iuncturis, nec manerent ferramenta in pedibus æquorum, nec vngues in digitis Hominum, nec digiti in manibus; &c. Nono, Diffinitio habet plures partes, ergo diffinitum habet plures Formas, probatur cõſequentia, quia Singulæ partes Diffinitionis indicant Formam rei diffinitæ.

10 Ex comment. p. Methap. com. 17. Materia prius recipit Formam magis vniuerſalem, deinde minus vniuerſalem,

ſalem, ergo Forma Generis differt à Forma Speciei, & Indiuidui..i. Dimenſiones determinatę pręſupponũt formam Subſtãtialem determinatam, vt omnes concedunt, ergo Dimenſiones Indeterminatæ debent etiam præſupponere Formam Subſtãtialem comunem, & Indeterminatam, & quia Dimenſiones Indeterminatæ pręcedunt formam Subſtantialem determinatã, ſequitur, quod in Quolibet Compoſito debent dari duo genera Formarum Subſtantialium, vnũ, quod ſit Formarum comunium, & indeterminatarum ante dimenſiones Indeterminatas, & aliud genus, quod ſit Formarum determinatarum ante Dimenſiones determinatas. 12. Præter Formam Subſtantialẽ Mixti ſunt in Mixto Formæ Subſtantiales Elementorum: ergo ſaltem in eadem re Mixta ſunt plures Formę Subſtantiales; cõſequentia ſequitur, probatur antecedens ex Comment. 7. Methaph. com. 31. vbi ait, quod Forma Subſtãtialis in quolibet Ente eſt aliquid ſuperadditum Formis complexionalibus ideſt Formis elementaribus, & Auuicenna etiam poſuit Elementa manere in Mixto ſecundũ ſuas completas eſſentias, remiſſis tãtũ eorum qualitatibus.

4 AEGIDIVS in pluribus locis excitat hanc Quæſtionem. Primo in 3. ſent. diſt. 21. part. 2. q. 1. art. 1. vbi, iuxta doctrinam, quam etiam habuit in Defenſorio ſuper primam partem D. Thom. art. 31. tuetur eiuſdem Doctoris Angelici ſententiam, eamque ab aduerſãrium argumentis liberat toto marte. *Ægidius tractat de hac re, in multis locis*

Item in Theorematibus de Corp. Domini prop. 34. vbi tangens eandem difficultatem, ſic ait. *Patet ergo, quod ponendo Vnam Formã in Compoſito, de facili ſolaimus omnes obiectiones; propter quod dicta poſitio videtur valde probabilis; tamen quia nihil prohibet, quædam falſa eſſe probabiliora, quibuſdam veris, quia de veritate dictę propoſitionis mihi non cõſtat, dictæ poſitioni non aſſentio; audeo tamen dicere, quod cõtrarium non intelligo: nam ponere multas Formas in compoſito, habet multas difficultates ſecundum ſe, quas ſoluere neſcio.*

Demum ex profeſſo excitat eandem controuerſiam tum in quadã Speciali Quæſtione, ædita ad inſtantiam cuiuſdam dilecti Fratis, quę incipit. *V. ponere plures For*

mas in cõpoſito repugnet his, qua tenere debemus Secundum fidem Catholicam? Tum etiam in quoddam Tractatu paruo de gradibus Formarum, vbi poſt adductionem plurium rationum, quas nos iam ſupra attulimus pro Sententia Scoti, notat id, quod latius docuit in Theorematibus de Corp. Domini prop. 26. quod Scilicet Corpus poteſt tripliciter accipi, primo pro vt eſt Trina dimẽſio, quo modo directè eſt in Genere Quantitatis; Secundo prout eſt directè in Prædicamento Subſtantiæ, & prędicatur eſſentialiter de Homine, ac de alijs rebus corporeis, quo modo dicit rẽ compoſitam ex Materia, & forma Subſtã-tiali; tertio demum prout in rebus Animatis dicit alterã partem, diſtinctam contra Animam, Secundum quod ait philoſ. 2. de Anima tex. 7. quod Anima eſt Actus Corporis organici, Phiſici &c. & hoc modo dicit ipſam Materiam, non quomodocunque, ſed affectam Quãtitate, iuxta quam acceptionem non eſt directè in Prędicamento Subſtantiæ, ſed per reductionem, quia pars eſſentialis reducitur ad Prædicamentũ ſui totius; nec prędicatur eſſentialiter de Homine, quia pars in quantum pars eſſentialiter non prædicatur de ſuo toto.

Ex Ægidio corpus tripliciter ſumitur.

5 Ea autem adnotatione præmiſſa, inquit, quod in Viuentibus decedente Anima, non permanet Corpus, quod eſt Trina dimẽſio, quia hoc eſt accidens de Genere Quantitatis, nec manet Corpus, quod eſt Genus Subalternum de Genere Subſtantiæ, quia hoc eſt compoſitũ quodam Subſtantiale ex Materia, & Forma Subſtantiali Corporeitatis: in compoſito autem Viuente pręter Animam nõ eſt alia Forma Subſtantialis Secundũ eſſe, aliàs eadem Anima non conſtituiſſet cum Materia vnum per ſe, quia iam adueniſſet Enti, conſtituto in actu Subſtantiali per ſe: ſed decedente Anima in Viuẽtibus, Corpus, quod manet, eſt altera pars diſtincta contra Materiam, eſtque ipſa Materia Subiecta Quantitati, quomodo autem Materia cum ſola Quantitate dicatur Corpus? latiſſimè explicat AEgidius in Theoremat. de Corp. Domini à propoſitione 26. vſq; ad 31. incluſiuè, & nos cum eodem in Methap. Tract. 2. q. de Quantitate continua art. p. Dubit. 7. & in Tract. 3. Diſput. p. q. 2. art. 2. de exiſtentijs rerum poſt Dubitationem quintam, vbi expli-

Decedente anima in viuẽtib⁹ manet materia ſubiecta quantitati.

plicantur ſex dubia ad Quã-titatis eſſentiam pertinen-tia.

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO.

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

1 IN hac grauiſſima pugna pro defenſione ſententiæ Scoti cum D. Thoma mihi viſum eſt, cum ſequenti diſtinctione procedere, quam AEgidius tenet vt primum Principium in ſua Schola. Formę Subſtã-tiales ſunt in duplici diffe-rentia; aliæ ſunt Secundum eſſe, & huiuſmodi ſunt omnes illę, quę conſtituunt cũ Materia vnum per ſe, quas omnis Schola cognoſcit, & admittit, Alię ſunt formę Subſtantiales Secũdum mo-dum, vt ſunt omnes formę Accidentales receptę in Sub-ſtantia; huiusmodi enim cũ recipiantur in ſubſtantia, in-duunt quemdam modũ Sub-ſtantię, quia quod recipitur, per modum recipiẽtis reci-pitur, & ſic Quantitas in Ma-teria dici poteſt forma Sub-ſtantialis Secũdum modum, quia Quantitas in Materia induit modum Materię, & quia Materia eſt Subſtantia; ideo Quantitas in Mate-ria habet modum Subſtãtię; & fundatur hæc doctrina in eo Ægidiano principio, quod Res vnius prædicamenti po-teſt inducere modum alteri Prędicamenti, de quo latiſ-ſimè AEgidius in Theorem. de Corp. Domini propos. 27. & nos in Methap. locis ſupra citatis.

Forma ſubſtã-tialis eſt in du-plici dif-ferẽtia.

7 Hac diſtinctione præmiſ-ſa, quæ inficiari non poteſt modo, quo ab AEgidianis explicatus; dicimus primo, in nullo Compoſito ſubſtan-tiali ſiue Viuente, ſiue non Viuente ſunt plures Formæ ſubſtantiales ſecundum eſſe, quę ſcilicet cum Materia cõ-ſtituant vnum per ſe; Ratio fundamentalis eſt, quia ſi in compoſito eſſent plures For-mæ ſubſtantiales ſecundum eſſe, vltima Forma non face-ret cum Materia vnum per ſe, quia adueniret enti iam conſtituto in eſſe actuali; & hoc tantum intendit ſenten-tia Sancti Thomę.

Explica-tur ſen-ſus Tho-miſtarum.

8 Cum hoc tamen etiam ſtat, quod in quolibet com-poſito pręcipuè in Viuenti-bus dantur plures Formæ ſubſtantiales, vna ſecundum eſſe, & alię ſecundũ modum, quia in quolibet compoſito dantur plures Formæ diſpo-nentes ad Formam ſubſtan-tialẽ ſecũdũ eſſe, quę diſpo-ſitiones receptæ in Materia, indu-

induunt modum ſubſtantiæ: vnde ſæpius dictum eſt, quod Materia ſub quantitate eſt Corpus ſecundum modum; & ſic nec reſpuimus omnino Formam Corporeitatis, diſponentē ad vltimā Formam ſubſtātialem, nec eam omnino concedimus; ſed cum data diſtinctione dicimus, quod forma Corporeitatis ſecūdū eſſe, quod cū Materia conſtituit vnum per ſe corpus, quod eſt Genus ſubalternum de Genere ſubſtantiæ, nunquam datur ſimul cum alia forma ſubſtantiali ſecūdū eſſe; quia hęc vltima forma ſubſtantialis nūquam faceret cum Materia vnū per ſe: ſed forma ſubſtātialis Corporeitatis ſm̄ modum, quę eſt diſpoſitio ad formam ſubſtantialem ſecūdum eſſe, vtique datur in Viuentibus ſimul cum forma ſubſtantiali ſecundum eſſe. & in hoc ſenſu accipimus ſententiam Scotiſtarum.

Senſus Scotiſtarum exponitur

9 Petes. An ſicut in Viuentibus materia cum modo quantitatiuo meretur nomē Corporis; ita etiam Materia cum eodem modo incompoſitis inanimatis mæreatur nomen corporis? Reſpōdetur negatiuè cū Ægid. in Theorem. de Corp. Domini propoſit. 31; quia licet Materia prima tam in Viuentibus, quam in non viuentibus, ſit eadē ſecundum ſpeciē; tamen vt eſt in Animalibus habet quemdam modum Quantitatiuum, vt eſt Organizzatio, quem modum nō habet, vt eſt in aliis Mixtis; & propterea Animalia dicuntur compoſita ex corpore, & Anima; alia vero inanimata dicuntur compoſita ex Materia, & forma: quia in Viuentibus Materia Organizata meretur nomen Corporis, vnde Philoſophus ait, Anima eſt actus Corporis organici, *&c.* in *Mixtis* vero inanimatis, quia eorū Materia non eſt organizzata, nec eorum Forma requirit talem organizzationem, omnino in talibus Materia non meretur nomen corporis.

Cur Materia quanta in viuētib⁹ dicitur corpus?

in Mixtis vero inanimatis dicitur ſimpliciter materia?

10 Petes iterum. An corpus ſufficienter organizatum, & ſummè diſpoſitum ad Animā Rationalem ante infuſionē Animæ, ſit in aliqua ſpecie Animalis? ſi nō, ergo erit aliquid ſub Genere, quod tamen non erit ſub aliqua ſpecie illius Generis, quod eſt falſum; probatur cōſequentia; quia tunc Embrio ante infuſionem Animæ Rationalis viuit vita Animalis; ergo eſt in genere Animalis; ſi dicatur, quod eſt ſub aliqua ſpecie, peto, ſub qua ſpecie eſt? vel enim eſt porcus, vel Ho-

pulchra Inquiſitio

mo

An corpus organizatum ante infuſionem Animæ ſit in ſpecie animalis.

mo aſſimilatur quantum ad interiora, vel eſt Scimia, cui aſſimilatur quantum ad exteriora? ſi dices, embrionem ante infuſionem Animæ Rationalis eſſe ſub aliqua ſpecie animalis, non tamen eſſe nec Porcum, nec Scimiã, ſed animal imperfectum, quod eſt in propinqua diſpoſitione, vt fiat Homo; & quod Vrſus, Porcus, &c. nõ ſunt in propinqua diſpoſitione, vt fiant Homo: contra, ſi Embrio eſt ſub aliqua ſpecie Animalis, & viuit vita Animalis, ergo adueniente in Embrione Anima Rationali, iã erunt in illo plures Animæ, vel ſaltem plures formæ: nam erit Anima vegetatiua, ſẽſitiua, & Rationalis: vel ſaltem erunt ibi plures formæ, quia erit ibi forma Corporis, forma, per quam ponitur in ſpecie animalis; & Forma, per quam ponitur ſub ſpecie Hominis.

11 Reſpondet Aegidius in quolib. p. q. 14. quod in Embrione primo introducitur Anima Vegetatiua, & tunc dicitur viuere vita Plãtæ: poſtea introducitur ibi Anima ſẽſitiua, qua introducta, cedit Anima Vegetatiua, & ſẽſitiua poteſt quicquid Vegetatiua, & adhuc amplius: vltimo introducitur Anima Intellectiua, quæ poteſt quicquid poteſt ſenſitiua, & adhuc amplius; hac autem introducta, cadit Anima ſenſitiua in potentia Materiæ; idque docet Philoſophus in 2. de Anima text. 31 vbi vult vegetatiuũ contineri in ſenſitiuo, & ſenſitiuum in Intellectiuo non actu, ſed virtute: ſenſitiuum ergo dicit vnam Animam tantum, & ſimiliter Intellectiuum: poſſemus ergo ſaluare eſſe in Homine plures Animas; & ſic eſt intelligendus Aegidius, cũ ait ibi (*poſſumus ſaluare in Homine plures Formas, abſque eo quod ſaluemus ibi plures Animas*). ideſt non ſequitur neceſſario, quod ſi in aliquo compoſito ſunt plures Formæ, quod etiam ibi ſunt plures Animæ, & hic eſt germanior ſẽſus Aegidij; Nec ſecũdum eundem Doctorem ſũt in Embrione vel in alio cõpoſito plures formæ ſecundum rem, licet ſecundum rationem ſint ibi plures Formæ: nam licet ſecundum rationem alia ſit forma, per quam idem eſt animal; tamen ſecundum Rem, per vnam, & eandem formam eſt Corpus eſt Animal, & Viuens &c.

RES-

RESPONDETVR IN FORMA Argumentis

Vtriuſque Sententiæ.

12 AD D.Tho.vniuerſaliter reſpondemus, denegate plures formas ſubſtantiales ſecundũ eſſe, non plures formas ſubſtantiales ſecũdũ modum, & hoc tantum probat Primum argumentum; ad ſecundum, conceſſa maiori, diſtinguenda eſt minor; Si plures formæ ſubſtantiales ſecundum eſſe ponerẽtur in eodem compoſito, vtique aliqua ex illis Formis eſſet fruſtra, ſecus ſi ponãtur plures Formę Subſtãtiales, quarum vna ſit talis Secundum modum, & vltima ſecundum eſſe. Ad tertium patet ſolutio per iam dicta. Ad quartum Reſpõdetur, quod Homo per vnam Formam Secundum rem eſt Homo, & Animal, & Viuens, &c. ſed per plures Secundum rationem. Ad Secundum dicimus eodem modo, vt ad Quartum.

13 Ad Scotum Reſpondemus; conuincere de pluralitate Formarum, quarum vltima ſit Subſtantialis Secundum eſſe, & aliæ ſint Subſtã tiales Secundum modum. Ad primum ex verbis AEgidij iam patet per ſupra dicta. Ad Secũdum dicimus, quod cum Generatio vnius ſit corruptio alterius, ſemper adueniente Secunda Forma; deſtruitur prima, alias ſi maneret, nũquam fieret vnũ per ſe: Et quamuis adueniente Anima ſenſitiua, maneant in compoſito operationes Animæ Vegetatiuæ: hoc tamen non eſt, quia fortè Anima Vegetatiua remaneat actu, & Secundum eſſentiam cum ſenſitiua, ſed tantum manet virtualiter, quatenus Forma ſuperueniens virtualiter continet præcedentem: ſed de hac re clarius, & latius dicemus in 3. Tract. de Gener. Diſput. 2. Cum vero dicitur, quod nulla diſpoſitio corrumpitur, adueniente Forma, ad quam erat diſpoſitio, Reſpondendum eſt, quod licet non per ſe, tamen per accidens benè poteſt aliquod diſponere ad corruptionem ſui ipſius, frigiditas enim ſuperueniens Animali, diſponit ad conſtrictionem pororum, his tamen conſtrictis, congregatur calor intrinſecus, & corrumpitur Frigus. Ad Tertiũ Reſpondetur dupliciter, primo in Sententia eorum, dicẽtiũ, quod corrupta forma Subſtantiali, corrumpuntur omnia Accidentia, iuxta quã Opinionem dicẽdũ eſt, quod

illa

illa Accidentia, quę apparẽt in Cadauere poſt mortem Animalis, non ſunt eadem numero cum illis, quæ fuerunt in Viuo, ſed tantum eadem Specie, nec ſenſus decipitur, quia ſicut priora accidentia potuerunt corrumpi corruptione præcedentis Formæ, ita per Generationem nouę Formę potuerũt ſimilia Accidentia eiuſdem Speciei generari. Vel Reſpõdetur Secundo, quod Accidentia ſunt in triplici differentia, quædam ſequuntur totum compoſitum ratione totius Speciei, vt ridere &c. quædam ſequuntur compoſitum ſolum ratione Formę, vt ſentire, vegetare &c. quędam tandem ratione Materiæ, vt figura, Magnitudo, &c. modo iuxta hanc Sententiam licet Accidẽtia, quę ſequuntur totum compoſitum, & quæ ſequuntur Formam, corrumpantur, corrupta Forma; Accidentia tamen, quæ ſequuntur Materiam, non corrumpuntur, ita AEgid. in quolib. 4 q. 9. in fine. Ad quartum Reſpondetur, quod illa diuerſitas proprietatum quamuis non reducatur ad diuerſitatem Materię, reducitur tamen ad diuerſitatem vnius Formæ; non vnius Formæ Secundum diuerſas eſſentias actu, ſed vnius Formæ Secundum vnam eſſentiam actualem, & Secundum diuerſas virtutes, à quibus aptæ ſunt fluere diuerſę proprietates. Ad Quintum dicimus, quod dupliciter Genitum poteſt accipere Formã Subſtantialem à Generante, primo productiuè, ita vt ipſa Forma Subſtantialis ſit producta, vel æducta à Generante; Secundo diſpoſitiuè, ita vt Generans ſufficienter diſponat Materiam, ad hoc vt Genitum recipiat talem Formam, primo modo ſolus Deus generat Hominem, quia ſolus ipſe producit Animam, Secundo modo ſol, & Homo generant Hominem, quia hæc ſufficiẽter diſponũt Materiam, ad ſuſcipiendam Animã Rationalem. Ad Sextum licet organizzatio prę-ſupponat aliã Formam Subſtantialem, illa tamen non manet Secundum propriam eſſentiam, adueniente Anima Intellectiua, licet maneat virtualiter, quatenus eius virtus comprehenditur ab Intellectiua. ad Septimum Reſpondetur, maiorem eſſę falſam, abſolutè loquendo, quia Rationalis Anima cum teneat medium inter formas Simpliciter immateriales, vt ſunt Intelligentiæ, & ſimpliciter materiales, quæ æducuntur

cuntur de Materia, participat etiā de vtriſque, & quatenus creatur à Deo, conuenit cum Subſtātijs ſeparatis, quatenus vero recipitur in Materia, & informat Corpus, conuenit cum Formis Corporalibus: atque àdeo Secundum virtutem Senſitiuā, & Vegetatiuā eſt corruptibilis; & corporalis, ſed Secundum virtutes ſuperiores eſt incorruptibilis, & Spiritualis. Ad Octauum licet in corruptione æqui non maneat corporeitas Secundum eſſe, manet tamen Secundū modum; & hæc ſufficit; vt illa accidentia, Materiam conſequentia, non ſtatim reſoluantur. Ad Nonum dicimus, quod partes diffinitionis dicunt vnam, & eandem Formam Secundum rem, licet ſub alia, & alia ratione, & ideò Ariſtot. 4. Methaph. cap. 3. inquit, *Quod idem eſt Homo, & vnus Homo, & Ens Homo, & non diuerſum aliquod oſtendit*. Intellige, quod per eandem Formam Secundum rem eſt Homo, & Animal &c. & ſic Forma Generis non eſt alia realiter à Forma Speciei, nec Forma corporeitatis realiter eſt alia à Forma Humanitatis Secūdū eſſe, aliàs Genus diceret partem eſſentiæ, cuius oppoſitum oſtendimus in Methaphiſica. Ad 10. Reſpondetur, quod Cōmuniter per Formas magis vniuerſales intelligit Formas imperfectas, ex quo non ſequitur, quod forma Generis realiter differat à Forma Speciei; ſed quod via generationis naturalis ſit proceſſus de minus perfecto ad magis perfectū. Ad 11. Reſpōdetur, quod ſicut Dimenſiones determinatæ præſupponunt formam Subſtantialem determinatā, & Secundum eſſe, ita Dimēſiones indeterminatæ præſupponunt Materiam, quæ vtique eſt Subſtantia indeterminata. Ad vltimum Reſpondetur, quod formę elementorum non ſunt in Mixto Secundum proprias eſſētias, ſed tantum virtualiter, vt oſtendemus in 3. Tract. Diſp. 2.

DVBITATIO SEPTIMA.

V. Vna, & eadem Forma Subſtantialis poſſit eſſe in diuerſis Materijs Saltem ſuper naturaliter.

1 Q Væſtio eſt de vna, & eadem forma, ſiue hæc ſit diuiſibilis, vt omnes formę Subſtātiales, ędu-

Explicatur in quo ſē. ſu ſit dubitatio.

& de potentia Materię, ſiuè ſit indiuiſibilis, vt eſt Anima rationalis. Non eſt autem Dubitatio de pluribus Materijs inadequatis, & partialibus coniunctis, vt ſunt plures partes vnius Materię: nā ſic vnitæ, cum conſtituant vnum adequatum perfectibile reſpectu vnius numero formæ, poſſunt plures partes vnius Materiæ informari ab vna, eademque forma, vt patet in viuentibus, in quib' eadem numero Anima informat plures Materias in adequatas, & partiales, vt carnem, oſſa, neruos &c. Sed eſt dubium de pluribus Materijs, quarum Singulę ſunt adequatę vni Formę, & ſenſus eſt, an vna, & eadē Anima poſſit informare plura Corpora, quorum quodlibet eſt adequatum perfectibile reſpectu vnius Animę? Et poteſt etiam eſſe Dubitatio de pluribus Materijs inadequatis, loco diſiunctis, vt ſi ponatur Caput ſeparatum à Corpore, an vna, & eadem Anima poſſit informare vtramque partem, quāuis diſiunctam? cui integro quęſito ſequentibus concluſionibus ſatisfaciendum eſt.

2 Prima Concluſio. Naturaliter eſt impoſſibile, vt vna & eadem forma informet vel plures Materias adequatas, & totales, vel plures partiales, & inadequatas loco diſiunctas. Hęc aſſertio eſt in omni ſchola comunis, & quo ad primam partem eſt expręſſa Ægid. in lib. ſex princ. pagin. 44. vbi quęrit, an vnū accidens poſſit eſſe in diuerſis ſubiectis, & probatur, quia id eſt impoſſibile ſupernaturaliter, vt in tertia ſequenti cōcluſione monſtrabitur; ergo multo magis id idem erit impoſſibile naturaliter.

Naturaliter. ō pōt vna Forma informare plures materias, vel totales, vel loco diſiūctas.

Quo ad ſecundā partem vero etiam probatur, quia cōtinuatio partium Materię eſt peculiaris quędam diſpoſitio neceſſaria ad informationem, vnde in Animalibus perfectis videmus, quod mēbrum abſciſsū eo ipſo, quod ſeparatur à Toto, ceſſat informari ab Anima: In alijs vero compoſitis, quorum Formæ ſunt ſimpliciter diuiſibiles, ſi Materia diuiditur, diuiditur etiam, & Forma; vnde non amplius remanet eadem numero Forma, quę antea erat, ſed per talem diuiſionem ſicut fiunt plures numero Materię, ita fiunt plures numero Formæ: vnde in tali caſu non poteſt dici, quod eadem numero forma informet plures Materias inadequatas, ab inuicem diuiſas, ſed quod potius quælibet numero particula For-

mæ totalis iam diuiſę, informat ſuam particulam Materię etiam diuiſæ.

3 Sed Obijcies primò contra primam partem poſitæ concluſionis. de facto Anima Rationalis informat Corpus pueri, vt perfectibile adęquatum; & quando peruenit ad ætatem virilem, informat corpus duplo maius; ergo tunc informat plures Materias adęquatas. Deinde poteſt Materia naturaliter informari ſaltem ſucceſſiuè à pluribus Formis, ergo poteſt naturaliter vna, & eadem forma informare plures Materias adæquatas. Probatur conſequentia, quia quo cauſa eſt perfectior; eo ſe pluribus poteſt cõmunicare; ſed Forma eſt perfectior Materia, ergo &c. Reſpondetur ad primum, aſſũptum eſſe falſum quo ad primam partem, quia Anima Rationalis determinat ſibi naturaliter Materiam; quo ad maximum, quem terminũ nõn attingit homo in Pueritia, & ideo quamuis corpus pueri dicatur perfectibile adęquatum ab Anima rationali, vt contradiſtinguitur à ſuis partibus integralibus; non tamen dici poteſt adęquatum perfectibile; quaſi ſit terminus, circa quem tota virtus informatiua illius Animæ exhauritur. Ad ſecũdum Reſpondetur; eſſe diſparem rationem de Materia, & Forma: nam Materia vna poteſt ſucceſſiuè informari à pluribus Formis, quia ſic fuit inſtituta à nãra, vt eſſet comune ſubiectum omnium Formarum: aſt Formæ non ſunt inſtitutæ niſi pro varietate compoſitorum; vnde nec ſimul, nec ſucceſſiuè vna Forma poteſt informare diuerſas Materias adęquatas.

Obijcitur contra primá partem cõcluſionis.

Reſponſio.

4 Obijcies ſecundo contra ſecundam partem eiuſdem concluſionis: quod .ſ. vna, & eadem Forma poſſit naturaliter informare plures Materias inadæquatas diſcontinuas, docet experientia, quod dum Homini amputatur caput, tunc illud caput ſic diuiſum non ſolum mouetur: ſed ſæpe ſæpius loquitur: ſed huiuſmodi operationes non poſſunt eſſe niſi ab Anima, ergo naturaliter vna Forma poteſt informare diuerſas Materias, loco ſeiunctas. Deinde poteſt Angelus naturaliter eſſe in pluribus locis inadequatis diſcontinuis, ergo etiam Anima Rationalis poterit eſſe in pluribus Materijs inadequatis loco ſeiunctis. Reſpondetur ad primum; motum illũ, & loquutionem non prouenire ab Anima, quaſi quod

Obijcitur contra Secundam partem concluſionis.

Solutio

Anima informet caput abſciſſum, ſed à Spiritibus Animalibus quæ cum ad huc calidi ſint, motum illum efficiunt, & alias actiones, quæ licet videantur vitales, reuera tamen non ſunt tales, vt alibi dicetur ex profeſſo. Ad Secundum neganda eſt conſequentia, quia vnio partiū Materiæ eſt diſpoſitio quædam naturaliter neceſſaria, vt exerceatur informatio cuiuſcunque Formę: non autem vnio partium loci, ad hoc vt Angelus ſit in loco.

Secūda Concluſio.

5 Secunda concluſio. Per Diuinam Potentiam poteſt vna numero Forma informare plures Materias diuiſas, & diſcontinuas. Eſt etiam hęc aſſertio comunis apud omnes Authores vtriuſque Scholæ, & probatur primo ex illo miraculo D. Dioniſij, cuius corpus ſine capite viuens ambulauit per aliquot miliaria, illud geſtans proprijs manibus: in hoc enim caſu veriſimile eſt, Diuina virtute fuiſſe factum, quod eadē Anima informaret corpus, & caput inter ſe diſiuncta: nec enim motus ille tandiu durans, poteſt rationabiliter referri in virtutem Spirituum, ad huc retinentium calorem, cum non ſoleat tamdiu durare impetus, illis impreſſus ab Anima. Accedit tandem Ratio, quia continuatio partium corporis, & Materię pro informatione eſt tantum quędam diſpoſitio neceſſaria ex naturali rerum conſtitutione, neque alio modo concurrit ad informationē, niſi vt præuia Diſpoſitio: Sed Deus de potentia abſoluta poteſt facere, quod Forma Materiam informet: nulla præcedente in Materia diſpoſitione, dūmodo illa ſit capax Formæ: & in propoſito Materia ſupponitur capax, etiam ſi ſit inadequata, ergo &c.

Supernaturaliter pōt vna Forma informare plures Materias inadæquatas diſcontinuas.

Tertia Concluſio.

6 Tertia concluſio. Per Diuinam potentiam non eſt poſſibile, quod vna numero Forma ſimul, & ſemel informet plures Materias totales, & adequatas ſiue vnitas, ſiue diſiunctas: hæc concluſio quamuis ſit contra non nullos Recentiores, præſertim Ruuiū Tract. 2 de Forma q. 7. num. 76. & Amicum Tract. 11. de cauſa Form. q. 7. Dubit. 2. art. 3. vbi citatur etiam Suarez: nihilhominus eſt receptiſſima apud Thomiſtas, & Scotiſtas, vt referunt Maſtrius, & Belluzus Diſput. 5. q. 7. & ab Ægidio non obſcurè ſuadetur in Quolib. 4. qu. 9. relictis autem omnibus alijs rationibus, quibus ſolet eadē concluſio comprobari, ſic effica-

Per nullam potentiam poteſt vna forma informare plures materias totales.

efficaciter illa poteſt oſtẽdi; Nulla forma Subſtantialis ſiuè ſit diuiſibilis, ſiuè indiuiſibilis, habet omne eſſe, nec habet eſſe illimitatum: cum quælibet ſit in potentia ad eſſe, & habeat eſſe determinatum, ergo nulla Forma Subſtantialis, quęcunque ſit, poteſt Simul informare plures Materias adęquatas, & totales; antecedẽs admittitur ab omnibus: conſequentia ſic probatur. Nulla Forma Subſtantialis poteſt informare infinitas Materias: ergo nulla forma poteſt ſimul informare plures Materias: conſequentia ſequitur, quia nõ eſt maior ratio, cur ſimul poſſit informare duas, vel tres, vel plures Materias, & non plures, ac plures in infinitum; probatur antecedẽs; ad informandas ſimul infinitas Materias, neceſſaria eſſet in Forma infinita perfectio, & infinitum eſſe. Sed nulla Forma creata habet omne eſſe, nec illud poteſt habere, ergo nulla Forma creata poteſt ſimul informare infinitas Materias; probatur maior; quod vna Forma informet vnam Materiam, arguit in forma aliquod eſſe: vnde ſi forma nullum haberet eſſe, nullam proculdubio poſſet informare Materiam imo effectus adequatus Formę eſt dare ſuum eſſe: ergo quod forma informet ſimul plures Materias, arguit in eadem Forma maius eſſe, & ex conſequenti quod Forma informet infinitas Materias, arguit in Forma Infinitum eſſe, & Infinitam perfectionem; probatur hæc vltima conſequentia, ex illa regula Generali, quod Scilicet Vbi pluralitas numeralis requirit maiorem perfectionem, ibi infinita pluralitas infinitam requirit perfectionem: vnde ſi ad portandum pondus decem librarum requiritur maior virtus, quam ad portandum pondus trium librarum, ad portandum pondus infinitarum librarum, requiritur Infinita Virtus.

Ratio fundamentalis.

7 Sed contra hanc tertiam Concluſionẽ obijcies primo; finitas, & limitatio Formę licet impediat, informationẽ fieri naturaliter, non tamen impedit, quin poſſit fieri per eleuationem: nam virtus actiua finita poteſt eleuari ad aliquem effectum, quem naturaliter non poteſt attingere: vt virtus intellectiua Petri determinata ad intelligendum aliquod creatum, poteſt eleuari ad intelligendum ipſum Deum, & potentia viſiua determinata ad videndum ſolum per viginti Milliaria, poteſt eleuari ad videndum

Objicitur cõtra tertiã concluſionem.

dum

dum idem obiectum per quadraginta. Reſpondetur, diſparem eſſe rationem de virtute actiua, & informatiua: nam virtus actiua poteſt vtique eleuari à Deo, ad efficiendum aliquid ſupra ſuas vires; & ſaltem extrinſecè poteſt adiuuari per auxilium ſpeciale, vel alio modo. Aſt Forma vel non poteſt eleuari, ad informandum ſupra ſuas vires; vel etiam admiſſo, quod poſſit eleuari per augmẽtũ virtutis informatiuæ; tunc Materia, quæ prius non erat ſibi adequata, ſed potius inadequata; atque adeo Forma eleuata nõ informabit duas Materias diſtinctas; ſed vnam extenſiuè adequatam.

Solutio.

8. Obijcies ſecundo, potẽtia paſſiua Materiæ poteſt eleuari, ad recipiendas ſimul plures Formas: ergo poteſt ſimiliter Forma, ſeu virtus informatiua eleuari ad informandas plures Materias. Reſpondent Maſtrius, & Bellutus, nõ eſſe eandem rationem de potẽtia paſſiua Materiæ, & informatiua Formæ; quia hæc dicit perfectionem, non illa ſed melius Reſponderi poteſt ſecundo, quod cũ Materia ſimul recipit plures Formas, id non fit per eleuationem Materiæ, quæ nequaquam eleuari poteſt, ad recipiendum id, quod naturaliter non poteſt recipere: ſed ideo vna Materia poteſt ſupernaturaliter recipere ſimul plures Formas, quas non poteſt naturaliter, quia poteſt facere Deus, vt illæ partes Materię extenſę in ordine ad locum, & ſibi inuicem obſiſtentes, non ſint ampliùs extenſæ in ordine ad ſitum; ſed retinendo ſolam extenſionẽ in ordine ad totum, omnes ſint vnum indiuiſibiliter in ordine ad locum.

Alia obiectio cõtra 3. concluſionem.

Duplex Reſponſio.

DE MATERIA, ET Forma ſimul Vnitis.

DVBITATIONES QVATVOR

Dubitatio Prima. V. Materia, & Forma vniantur ſeipſis, vel per aliquem modum, diſtinctum ab vnitis?

Dubitatio Secunda. Quid ſit vnio ſubſtantialis, & quomodo ab vnitis ſit diſtincta?

Dubitatio Tertia. Quotuplex ſit Vnio in conſtitutione compoſiti, vna ne, quę tantum recipiatur in Materia, an duplex in vtraque parte vnita?

Dubitatio Quarta. V. Materia, & Forma ſimul vnita diſtinguantur realiter à toto compoſito?

DV-

DVBITATIO PRIMA.

V. Materia, & Forma vniantur ſeipſis, vel per aliquē modum aliquo modo diſtinctum ab vnitis?

1 SEnſus eſt, an Materia, & Forma vniantur ſubſtantialiter per proprias entitates, & ſubſtātias immediatè, vel per aliquem modum ſubſtantialem, à proprijs entitatibus diſtinctum?

Prima ſententia docet Materiā & formā vniri ſe ipſis immediate.

2 Prima ſententia docet, Materiā, & Formā vniri ſeipſis ideſt, per proprias Entitates, & ſubſtantias immediatè. ita Gregor. Arim. in 1. diſt. 28. q. 2. Baccon. in 3. ſent. diſt. p. q. 1. art. 1. & Nominales omnes relati ab Amico Tractat 2, q. 10. dub. 1. art. 2. probatur autem hæc ſententia primo authoritate Philoſophi, qui in methap. tex. 15. ait. Materiā, & Formam immediatè vniri, quia ſunt per ſe actus, & potentia & ſecundo de Animā text. 2. inquit, ſubſtantiam eſſe triplicem ſ. Materiam, Formam, & Compoſitum, ergo nō datur aliquis modus ſubſtantialis, aliàs daretur quarta ſubſtantia.

Fundamenta huius ſententiæ.

ſecundo eadem hæc ſententia ratione probatur, quia nulla eſt neceſſitas, ponendi hanc Vnionem ſubſtātialem mediam, ergo &c. probatur antecedēs; quia ſi quę eſſet ratio, maximè quia entitas aliquando manet ſine Vnione: ſed hæc ratio nō concludit, ergo &c. probatur minor, quia albedo etiā aliquando manet ſinè relatione, & tamen Relatio nihil addit intrinſecum, ſed tantum extrinſecam connotationem alterius extremi: ergo Similiter Vnio poteſt de nouo realiter aduenire per ſolam extrinſecam connotationem Formæ, vel Materiæ. tertio ſi inter Materiā, & Formam mediaret aliquis modus Vnionis Subſtantialis, vel talis modus vniretur extremis per alium modum diſtinctum, & ſic eſſet proceſſus in infinitum: vel vnio vniretur extremis immediatè, & tunc idem dici poterit de Materia, & Forma, quæ cum ſint eſſentialiter potentia, & actus, habent inter ſe maiorem proportionē, quā habeat Vnio cum extremis vnitis.

Secūda ſentētia ponit modum ſubſtātialē inter materiā, & formā.

3 Aſt Secunda Sententia docet, Materiam, & Formā non poſſe immediatè ſe ipſis vniri ſine vlla Vnione Subſtantiali media, quæ ſuperaddatur extremis vnitis. Ita communiter ex vtraque Schola Antiquiores, vt D. Thom. 3. p. q. 2. art. 3. Scotus

tus in 4. diſt. 12. q. p. & ex Recentioribus multi Relati tũ à Suario in Methap. diſp. 15. Sect. 6. num. 6. tum ab Amico Tract. 11. q. 10. Dubit. p. art. 2. num 4 fundamenta autem huius Secundæ Sententiæ ſunt huiuſmodi, primo, quia Materia, & Forma non vniuntur ſubſtãtialiter per proprias entitates, quas conſtat, permanere, etiam ſi ſeparentur, ergo eſt impoſſibile, quod de nouo formaliter, & Subſtantialiter vniantur, quin vtraque, vel ſaltem altera aliter ſe habeat nunc, quam prius ſe haberet per acquiſitionẽ alicuius modi Subſtantialis, ratione cuius vna dicatur alteri Subſtantialiter vnita, cũ prius non eſſet vnita; probatur conſequentia, quia Denominatio Vniti non eſt extrinſeca, nec tantum Accidentalis, ſed Formalis, & Subſtantialis, ergo neceſſe eſt, ponere Vnionem Subſtantialem ab extremis vnitis diſtinctam, per quam eadem extrema vniantur. Secundo. In Materia, & Forma de nouo conſurgit Relatio vnionis, quam prius non habebant, ergo ratione alicui modi realis, quæ de nouo producatur in altero, in quo fundetur talis relatio, probatur conſequẽtia, quia

Funda-mẽta hu-ius ſe-cũdæ ſẽ-tentiæ.

eſt impoſſibile, vt conſurgat Relatio realis in extremis, niſi facta mutatione reali vel in vtriſque, vel ſaltem in vno per aliquid nouum reale; quod ſit fundamentum proximum eiuſdem relationis. tertio; Actio, per quam Materia, & Forma ab Agente vniuntur, neceſſario debet habere aliquem terminum, quia eſt impoſſibile, dare Actionem ſine Termino: ſed Terminus Actionis vnitiuæ nõ poteſt eſſe niſi Vnio Subſtantialis, ſuperaddita extremis vnitis; ergo &c. probatur minor, quia non apperet, quod nam aliud poſſit eſſe terminus Actionis vnitiuę.

3 Ægidius in 3. Sent. diſt. 2. q. 2. art. 3. §. tertio modo &c. hæc ait. *Fuit enim ibi duplex vnio, & Secundum nullam illarum duarũ vnionum potuit ibi cadere medium aliquod; primo enim fuit ibi Anima vnita tanquã Forma cum ſua carne tanquam cum Materia: inter Materiam autem, & Formam nullum poteſt cadere medium: & talis vnio Secundum Philoſophum non habet cauſã niſi motorem, eo enim ipſo, quod caro, vel corpus eſt in potentia ad Animam tanquam propria Materia ad ſuũ actum, non requiritur ibi nec clauus, nec colla coniun-*

Locus Ægidij pro eadẽ ſententia.

genis actum ſuæ potentię, vel ſuæ Materiæ: ſed eo ipſo quod hoc dicit potentiam, & hoc dicit actum, fit ex eis vnum tanquam ex potentia, & actu. Hæc Ægidius.

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO.

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

5 IN Schola Ægidij facillimum erit, vtramque Sententiam ſuſtinere, ſi primo aduertatur, quod inter Materiam, & Formam triplex medium intercedere poteſt. Primum eſt in ratione Subiecti, recipientis Formã, quatenus Scilicet ipſa Forma Subſtantialis non recipitur immediatè in eſſentia Materiæ, ſed mediante aliquo alio Subiecto: vnde in præcedenti Dubit. 4. cum Ægidio diximus, quod omnes Formę Subſtantiales nõ recipiuntur immediatè in eſſentia Materię, ſed mediãte Quantitate, ita vt Quantitas mediet inter eſſentiam Materiæ recipientis, & eſſentiam Formæ receptæ, & de hac immediatione non loquimur in præſenti. Secundum medium poteſt eſſe in ratione diſpoſitionis, ita vt Formæ Subſtantiales non recipiantur in Materia, niſi Materia ſit diſpoſita aliquibus Accidentibus ad recipiendas Formas, & neque de huiuſmodi immediatione loquimur in præſenti. Tertiũ medium poteſt eſſe in ratione Vinculi, Vnientis Materiam Cum Forma, & in hoc ſenſu eſt quęſtio præſens; An Scilicet Vnio, qua vniuntur Materia, & Forma, ſit aliquod medium diſtinctum à Materia, & Forma, an vero ſit prorſus idem cum eſſentia vtriuſque?

Triplex medium pot intercedere inter mater. ã & formam.

6. Rurſus ſupponẽdum eſt, quod Vnio poteſt tripliciter accipi, primo effectiuè, ſeù quatenus dicit dependentiã ab Agente, vniente Materiã Cum Forma, & ſic propriè, & Secundum eſſe eſt Actio tranſiens de Prædicamento Actionis, & vocari ſolet Vnitio, quæ Secundum totum ſuum eſſe Simpliciter ſubiectatur in toto compoſito: Nã non fit ſola Materia, nec ſola Forma, ſed totum compoſitum. Secundo ſumi poteſt vnio relatiuè, quatenus dicit reſpectum, quo Vnita, vel vnibilia referũtur ad inuicem: & ſic propriiſſimè eſt Relatio modo potentiæ, fũdata in Actione, & Paſſione tum Agentis vnientis, tum etiam partiũ vnitarum; tertio demum Vnio poteſt ſumi

Vnio tripliciter põt accipi.

mi

mi pro termino Formali, & immediato Vnitionis, & ſolet vocari Vinculum, quo duo extrema coninnguntur, vt ex illis fiat vnum: ſeu potius Vnio modalis, vel vnio participata, ſeu Secundum modum, eſtque aliquid ſuperueniens,& ſuperadditum entitatibus vnitorũ, vel vnibilium.

Senſus in quo materia & forma vniũtur ſeipſis.

7 Nunc Dicimus Primo. Sumpta Vnione, quatenus dicit eſſentiam, vel de Genere Actionis, vel de Genere Relationis, tunc Materia, & Forma vniuntur ſe ipſis, ideſt per proprias entitates,& Subſtantias immediatè, abſque eo, quod inter Eſſentiam Materię, & eſſentiam Formę mediet alia tertia eſſentia diſtincta; in hoc ſenſu eſt vera prior Sententia; quia eſſentia Materiæ immediatè, & per ſe ipſam vnitur eſſentię Formæ, & è contra, & ſi quid aliud mediat, illud non diſtinguitur eſſentialiter ab eſſentia vtriuſque: nam vnio, prò vt intercedit inter Materiã, & Formam, non eſt res, ſeu eſſentia diſtincta, & ſuperaddita eſſentiæ Materiæ, & Formæ, cum neque ſit eſſentialiter, ipſa Actio, nec minus eſſentialiter ſit Relatio, quæ conſequitur Actionem: ſed Vnio intercedens eſt quidam modus, ſuperueniẽs entitati rei, quæ vnitur: modus autem non dicit eſſentiam diſtinctã à re, cuius eſt modus. Et ſic quia inter eſſentiam Materiæ, & Formę nullo modo intercedit alia tertia eſſentia diſtincta, ideò in hoc ſenſu cõcludi poteſt; Materiam, & Formam vniri ſe ipſis immediatè.

Explicatur quo modo materia & forma vniũtur mediante aliquo ſuperaddito eſſentiæ vtriuſq.

8 Cum hoc autem dicimus Secundo, quod Materia, & forma vniũtur mediantè aliquo modo Subſtantiali, qui licet in Materia eſſentialiter non ſit aliud, quam Materia, & in Forma non ſit aliud eſſentialiter, quam ipſa Forma: realiter tamẽ eſt aliquid ſuperadditum entitatib' vnitorum: quia realiter illis aduenit de nouo, & poteſt ab eiſdem realiter ſeparari ſine vlla corruptione eſſẽtię vtriuſque, & in hoc ſenſu eſt etiã vera Secunda Sentẽtia, cuius argumenta non aliud conuincunt, niſi quod inter eſſentiam Materiæ, & eſſentiã Formæ mediat Vnio modalis, ſeu quidam modus Subſtantialis vnionis, qui eſt Terminus formalis Actionis vnitiuæ, & fundamentũ Relationis, qua vnita referuntur ad inuicem.

Quid autem ſit talis modus vnionis, ſuperadditus eſſentiæ Materiæ, & Formæ, an ſcilicet Subſtantia, vel Accidens?

cidens? & quomodo ab extremis vnitis diſtinguatur? in ſequenti dubitatione declarabitur.

DVBITATIO SECVNDA.

Quid ſit Vnio Subſtantialis, & quomodo ab Vnitis ſit diſtincta?

1 NOn quærimus de Vnione, quatenus eſt Vnitio, ſeu dependentia ab Agente, Vniente vnum extremum cum alio: nam ſic Vnio eſſentialiter eſt Accidens de Prędicamento Actionis: nec minus eſt quæſtio de Vnione, quatenus eſt reſpectus Vnibilium, nam ſic eſſentialiter etiam eſt Accidens de Prædicamento Relationis: ſed tantum procedit dubitatio de Vnione, quatenus eſt terminus formalis Actionis vnitiuæ; ſeu quatenus eſt fundamētum proximum Relationis vnionis, & dicitur Vnio modalis, quia eſt modus realis ſuperadditus eſſentię Vnitorum. de hoc ergo Modo Vnionis, ſeu de hac Vnione modali quęrimus in præſenti, quid ſit? & ſenſus eſt, An Vnio quatenus eſt modus realis ſuperadditus eſſentiæ Materiæ, & Formæ, ſit ſubſtantia, vel Accidens? & ſi Accidens, an abſolutum, vel Relatiuum? & ſi Relatiuum, quomodo diſtinguatur ab vnitis? Multa cōgerunt Doctores circa hoc dubium, prę ſertim ex Recentioribus Maſtrius, & Bellutus Diſput. 5. q. 9 Ruuius Tract. 2. de Forma q. 6. numer. 60. & Amicus Tractat. 11. dub. 2. art. 1. 2. & 3. Sed breuiter prætermiſſis tot dicendi modis, integro quæſito ſequentibus concluſionibus ſatisfaciendum eſt.

Explicatus ſenſus quæſtionis.

2 Prima concluſio. Modus Vnionis, ſeu vnio modalis inter Materiam, & Formam ſecundum totū id; quod eſt, reductiuè pertinet ad idem prædicamentum ſubſtantiæ, ad quod reducitur ipſa Materia, & Forma. Hæc concluſio quamuis non ſit expreſſa in ſcriptis AEgidij, illā tamē exiſtimo, euidentiſſimè poſſe deduci ex eiuſdem Principijs: Nam modus rei non addit, nec dicit diuerſam eſſētiam, diſtinctam à re, cuius eſt modus: ſed Modus in Accidente eſſentialiter eſt Accidens, & in ſubſtantia ſimiliter eſt ſubſtantia. Hoc in nulla ſentētia negari poteſt: Sed Vnio Materiæ cum Forma eſt modus quidam, qui vel recipitur in Materia tantum,

Prima Cōcluſio.

Vnio inter Materiam, & formam ſecundum eſſe eſt ſubſtātialis.

tum, (vt putant aliqui) vel etiam recipitur in forma, vt rectius moſtrabitur in dubitatione ſequenti, ergo Vnio Materiæ cum forma non dicit eſſentiã diſtinctam vel ab eſſentia Materiæ, vel ab eſſentia Formæ: ſed quatenus eadem Vnio eſt modus Materiæ, eſſentialiter eſt ipſa Materia, & pertinet ad idem prędicamentum ſubſtantiæ, ad quod reducitur ipſa Materia, & quatenus ipſamet vnio eſt modus Formæ, eſſentialiter eſt ipſa forma, & pertinet ſimiliter ad Prædicamentum ſubſtantiæ, ad quod reducitur ipſamet Forma, & propterea vnio inter Materiam, & Formam dicitur Modus ſubſtãtialis, quia ſecundũ ſe nihil aliud eſt niſi ſubſtantia Materiæ ſub Forma, & eſſentia Formæ in Materia; non quod Vnio nihil prorſus addat ſupra ſubſtantiam, & eſſentiam Materiæ, & Formæ: ſed quia Vnio non dicit eſſentiã diſtinctam, & ſuperadditam eſſẽtiæ Materiæ, & Formæ.

3 Secunda Concluſio. Vnio inter Materiam, & Formã, quatenus eſt quid ſuperadditũm eſſentiæ vtriuſque etiam eſt accidens cauſaliter. conſequitur hæc concluſio AEgidiana principia, & probatur; quia ſicut Modus Accidentis poteſt cauſaliter dici ſubſtantialis, quatenus ſcilicet cauſatur à ſubſtantia, vt Modus, quem acquirit Accidens, cum coniungitur ſubiecto; ita modus ſubſtantiæ poteſt cauſaliter dici accidẽs, quatenus nempe cauſatur ab Accidente, vt modus, quem acquirit ſubſtantia, quando coniungitur Accidenti. Vnio igitur inter Materiam, & Formam quãuis formaliter ſit ſubſtãtialis, quia non dicit diſtinctam eſſẽtiã a Materia, & forma, quę ſunt propriè de Genere ſubſtantiæ: tamen cauſaliter poteſt etiam dici accidentalis, quia pendet, & cauſatur ab Actione Vnitiua Agentis, quæ eſt propriè de genere Accidentis. Et hoc tantum poſſunt probare omnia illa argumenta, quæ videntur oſtendere, Vnionem inter Materiam, & Formam vel eſſe ſubſtantialem, vel eſſe accidentalem; intelliges eſſe ſubſtantialem formaliter, quatenus eſt modus rei ſubſtantialis; eſſe vero accidentalem cauſaliter, quatenus dependet ab accidentibus.

4 Tertia concluſio. Vnio Materiæ, & Formæ non eſt accidentalis cauſaliter, quia forte aliquam dependentiã habeat ab accidentibus abſolutis: nam Vnio inter Materiam,

Vnio inter materiam; & formã cauſaliter eſt accidẽtalis.

Secũda Concluſio.

Tertia Cõcluſio.

Vnio materiæ & formæ ſolū cauſatur ab accidēte ſub aliquo reſpectu.

teriam, & Formam nec dependet à Quantitate, nec minus à Qualitate, vt de ſe patet: ſed eſt accidentalis cauſaliter, quia ſolum dependet ab Accidente ſub aliquo reſpectu: etenim Vnio modalis ſeu modus vnionis ſuperadditus eſsētię Materię, & Formę cauſatur ſolum ab Vnitione, ſeu ab actione vnitiua, quæ propriiſſimè eſt Accidens ſub aliquo reſpectu.

Quarta Concluſio.

§ Quarta Concluſio. Modus Vnionis inter Materiā, & Formam realiter diſtingui tur ab eſſentia Vtriuſque, probatur; quia idem modus Vnionis realiter de nouo aduenit, & poteſt realiter ſeparari tum ab eſſentia Materię, tùm etiam ab entitate Formę.

DVBITATIO TERTIA.

V. Vnio modalis ſit vna tantū, quæ ſolum recipiatur in Materia, vel Duplex, ita vt vna ſit in Materia, & alia in Forma?

Suarez. Vaſqu. Ruuius Auerſa. Defendunt vnā eſſe vnionē.

1 Quod Vnio inter Materiam, & Formam ſit vna tantum, quæ recipiatur in Materia, vt in ſubiecto; & adhęreat Formę vt termino; docent ferè omnes Recētiores, vt Suarez in Methap. diſput. 13. ſect. 9. Vaſq. 3. p. diſput. 19. Ruuius in 1. phiſic. Tract. 2. q. 6. num. 66. Auerſa q. 18. ſect. 6. & alij plures, quos refert Amicus Tract. 2. q. 10. dubit. 3 art. 2. 3 & 4 Et probatur multipliciter, primo ex propria natura vnionis, quæ cum ſit nexus, & vinculum plurium, ſufficit, ſit vna pro duobus extremis. ſecundo, quia ſi plures ponantur vniones; neutra poterit vocari vnio, quia non poteſt aliquid vnire extrema, niſi ea attingat: ſed ſi pro ſingulis vnitis ponantur ſingulæ vniones, tunc neutra attinget illud extremum, in quo non eſt; ſed tātum proprium, in quo eſt, ergo neutra poterit vocari vnio. Tertio In vnione Hypoſtatica Humanitatis cū Verbo vna tantum eſt vnio, recepta in Humanitate, & non duplex; ita vt vna ſit in Humanitate, & alia in Verbo. ergo in Vnione Materiæ, & Formæ vna etiam erit vnio, quæ recipiatur in Materia, & non duplex, ita vt vna ſit in Materia, & alia in Forma. Antecedens eſt manifeſtum; & conſequentia ſequitur à paritate rationis, quia ſicut Anima rationalis, & caro vnus eſt Homo, ita Deus, & Homo vnus eſt Chriſtus.

Rationes pro hac sētentia.

Quarto.

Quarto. Informatio, & receptio non ſunt diuerſæ vniones, aliàs vna ſaltem per Dei potentiam poſſet ab alia ſeparari, quod eſt impoſſibile; nam ſi Materia recipit, & informatur, eo ipſo Forma informat, & recipitur, ergo informatio actiua, & paſſiua, ſeu informatio, & materializzatio ſunt vna Vnio, quæ in Materia eſt vt in ſubiecto; & in Forma tanquã in Termino.

2 Sed quod Vnio inter Materiam, & Formã ſit duplex, ita vt vna ſit in Materia, & alia in Forma, videtur doceri à non paucis Authoribus præſertim à Scoto in 2. ſent. diſt. p. q. 5. & 8. Methap. q. 4. & in 3. Sent. diſt. p. q. p. & cenſetur comunis Sententia Scotiſtarum, vt videri poteſt apud Maſtriũ, & Bellutum Diſp. 3. q. 10. & extra Subtiles defenditur hoc idẽ ab Hurtad. Diſput. quinta Phiſic. Sect. 7. ab Amico 2. Phiſic. Tract. 2 q. 10. dubit. 4. art 2. & alijs; probatur autẽ hęc Opinio his rationibus. Primo, quia cauſalitas formalis, & Materialis ſunt diuerſę, ſicuti diuerſa ſunt ipſamet Genera cauſarum: ergo diuerſa erit Vnio inter vtramque Cauſam. Secundo. Vnio inter Materiam, & formam eſt fundamentum proximum Relationis, qua eadem referuntur ad inuicẽ; ſed fundamentum Relationis, qua Materia, & forma ad inuicem referuntur, eſt diſtinctum in vtroq; extremo, ergo diſtincta etiam erit vnio ex parte Materię, & formæ, vt poſſit fundare diuerſas relationes vtriuſque; minor probari poteſt à ſimili, quia fundamentum ſimilitudinis, qua duo alba dicuntur ſimilia, eſt realiter diſtinctum in vtroque extremo; ergo fundamẽtum Relationis Vnionis, qua aliqua duo referuntur vnita, erit ſimiliter realiter diſtinctum ab extremis vnitis. Tertio. In partibus conſtituentibus Hominem, nempe in corpore, & Anima non ſufficit vna tantum Vnio, nam vel illa ponitur corporea, & ſic non attinget Animam, vel ponitur ſpiritualis, & ſic non poterit attingere Corpus, erit ergo duplex Vnio, vna materialis in Corpore, & alia Spiritualis in Anima.

Scotus. Hurtad Amicus Docent vnionẽ Inter materiã, & formam eſſe duppliciter.

Rationes pro ſecunda ſentẽtia.

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO.

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

3 VTraque tamen Sententia ſine vlla difficultate poterit problematicè ſubſtineri, ſi cum Magno AEgidio ſupponatur, dari duplex Genus Vnionis. Nam alia eſt Vnio Secundum eſſe Simpliciter: & alia eſt Vnio Secundum modum. Vnio Secundum eſſe Simpliciter eſt illa, quę Simpliciter eſt quędam res, & Simpliciter dicit eſſentiā diſtinctam, & ſuperadditam rei, quæ vnitur. Vnio vero Secundum modum non eſt Simpliciter res, ſed realiter eſt modus rei: nec Simpliciter dicit eſſentiam diſtinctá à re, quę vnitur, ſed eſt quędā participatio Vnionis, ſeu eſt quędam vnio participata, vel vnio modalis. Neque hæc diſtinctio de re Secundum eſſe, & de re Secūdum modū cenſenda eſt chimerica, vel à nobis inuenta: Sed eſt Primum, & Vniuerſale principium Doctoris AEgidij, de quo multis in locis, ſed preſertim in quolib. 4. q. 8. & in 3. Sent. diſt. 5. q. p. art. p. & nos cum illo in Methaphiſica tum in Prædicamento Quantitatis art. p. Dubit. 6. tum etiam in Prædicamēto Relationis Dubit. 6. & alibi: ſicut ergo datur duplex Subſtantia, alia Secundum eſſe, vt omnis Subſtantia prædicamentalis, & alia Secundum dici, ſeu Secundum modum, vt omne Accidens, quatenus dependet à Subſtantia, & ſicut datur duplex Extenſio, alia Secundum eſſe, vt eſt ſola eſsētia Quantitatis, & alia Secūdum modum, vt omne aliud prædicamentum, quatenus comparatur ad Quantitatē: ſicut denique datur duplex Relatio, altera Secundum eſſe, vt ſola Relatio prædicamentalis, & alia Secūdum dici, vt omne abſolutum, quatenus participat de Relatione; ſic datur duplex Vnio, & alia eſt Vnio Secundum eſſe, quæ eſſentialiter eſt accidens, vel de Genere Actionis, vel de Genere Relationis, alia eſt Vnio Secundum modum, vt quodlibet Vnibile, cum actu participat de Vnione.

Vniuerſale prīcipium Ægidij.

4 Nunc ad propoſitum. Vnio inter Materiam, & formam ſi ſumatur Secundum eſſe Simpliciter, quatenus dicit eſſentiam, ſuperadditā Entitatibus Vnitorum, ſic eſt vna tantum, & Subiectiuè eſt in ſola Materia, & terminatiuè

Explicātur quo modo vnio inter Materiam, Formā ſit vna?

natiuè in Forma, ſed inhęſiuè eſt in toto compoſito: nã propriè, & in rigore loquendo non agitur, nec fit ſola Materia, vel ſola Forma, ſed totum compoſitum: Vnio ergo Secundum eſſe, vt dicit eſſentialiter Actionem vnitiuam, eſt vna tantum, quæ Simpliciter recipitur in toto compoſito, & dici poteſt, quod ſit Subiectiuè in Materia, & Terminatiuè in Forma, quatenus Materia vnitur per modum potẽtiæ, ſeu per modum Subiecti, & Forma per modum actus, ſeu per modum termini, & in hoc Senſu eſt vera prima Sententia; contra quam in eodem Senſu argumẽta Secundę nõ concludunt.

5 Si verò Vnio inter Materiam, & Formam ſumatur Secundum modum, quatenus Scilicet non dicit eſſentiam diſtinctam ab vnitis, ſed quatenus eſt participatio vnionis, ſic Vnio inter Materiam, & Formam eſt duplex, vna quę eſt modus Materiæ, & altera, quæ eſt modus Formæ: neque hoc mirum videri debet: nam ſi vna, & eadem res per aliam, & aliam comparationem poteſt induere diuerſos modos: vnde eadem Qualitas quatenus radicatur in Quantitate, acquirit modum Quantitatiuum, quatenus verò dicit reſpectum ad aliud, induit modum Relatiuum: multo magis duæ res realiter diſtinctæ, & diuerſimodè comparatę, poſſunt acquirere diuerſos modos: Materia igitur quando actu coniungitur, & vnitur cum Forma, tunc participat de Vnione, atque àdeò acquirit quemdã modum vnionis, ſeu quandam Vnionẽ modalem, quæ licet eſsẽtialiter nõ ſit aliud, quam Materia; quia modus rei nunquam dicit eſſentiam diſtinctã à re, cuius eſt modus: diſtinguitur tamẽ realiter ab eadem Materia, quia talis modus aduenit de nouo Materiæ, & poteſt à Materia realiter ſeparari; Et forma Similiter cum vnitur cũ Materia, tunc participat de illa vnione, quę eſt talis per eſſentiam, atque àdeò etiam acquirit quemdam modum vnionis, quæ ſimiliter, & ſi non diſtinguatur eſſentialiter à Forma, cum ſit modus Formæ; diſtinguitur tamen realiter, quia poteſt ab illa realiter ſeparari, & in hoc Senſu eſt vera Secunda Sententia, cui Secundum hanc explicationem nullum argũmentum primę Sentẽtię aduerſatur.

Vnio ſecundũ modũ duplex eſt inter materiam & formã.

RESPONDETVR IN FORma Argumentis *Vtriuſque Sententiæ.*

Explicãtur argumẽta primæ ſententiæ.

6 ET ad primum Reſpõdetur, quod Secundũ conuincit, vnionem modalem non eſſe propriè vnionem Secundum eſſe, quod verum eſt: tertium argumentũ concludit, quod in Vnione hypoſtatica vna tãtum eſt Vnio etiam modalis, quia ibi vnum tantum extremum eſt mutabile, nã aliud extremum Scilicet Verbum eſt incapax omnis mutationis realis. vltimum ſupponit falſum, quod Scilicet cauſalitas Materiæ, & Formæ ſint vna cauſalitas, cum potius oppoſitum ſit dicendũ; & quamuis Materia non poſſit acquirere ſuam Vnionem modalem abſque eo, quod etiam Forma acquirat ſuum modum vnionis, non propterea modus vnionis in Materia eſt idem realiter cum modo vnionis in Forma; nã Relatio Paternitatis non poteſt eſſe, nec minus intelligi ſine Relatione Filiationis: & tamen vna relatio realiter diſtinguitur ab alia.

7 Vnio igitur inter Materiam, & Formam ſi ſumatur Secundum eſſe Simpliciter, eſt vna; ſi vero ſumatur Secundum modum, eſt duplex.

DVBITATIO QVARTA.

V. Materia, & Forma ſimul vnitæ diſtinguantur realiter à Toto cõpoſito?

1 HAEc Dubitatio eſt controuerſa non parum inter Angelicos, & ſubtiles: eſtque defenſio eorũdẽ adnotanda valde, quia per hanc nunc magis intendimus illuſtrare, quod docuimus in Methaphiſica, dum tractaremus de diſtinctione inter Relationem, & Fundamentum, inter eſſentiam, & Exiſtentiã; & an inter diſtinctionem Realem, & Rationis detur diſtinctio media?

Non eſt quæſtio de toto Logico vel methaphiſico.

2 In Propoſita ergo difficultate non eſt quæſtio de toto Logico, quale eſt omne Vniuerſale reſpectu ſuorum inferiorum: neque de Toto Methaphiſico, vt eſt Natura Specifica ex gradu Generico, & Differentiali; ſed de cõpoſito Phiſico tã eſſentiali, quod conſtat ex Materia, & Forma, quam integrali, quod conſtat ex partibus integrantibus, ſiue homogeneis, ſiue etherogeneis: nec dubiũ pro-

procedit de partibus ſeorſim ſumptis: ſic enim omnes concedunt; quodlibet Compoſitum á ſingulis partibus per ſe ſumptis realiter diſtingui, quia compoſitum præter vnam partem, aliam includit, á priori realiter diſtinctam: nec demum eſt Dubitatio de partibus ſimul ſūptis, & non vnitis; nā in hoc etiam ſenſu omnes affirmāt, quodlibet compoſitum realiter diſtingui á partibus ſimul ſumptis, & non vnitis, cum Totum pręter partes ſimul ſumptas, & non vnitas, includat etiam Vnionē Subſtantialem, quæ eſt aliquid ſuperadditum entitatib. Vnitorum. Reſtat igitur ſolummodo dubium de partibus ſimul ſumptis, & vnitis, & Senſus eſt, an Totum ſit idē realiter cum ipſis partibus ſimul vnitis; an vero dicat Tertiam Entitatem, á partibus vnitis realiter diſtinctam?

Dubiū eſt de partib. ſimul ſumptis & vnitis.

3 Et Thomiſtæ omnes aſſerunt, Materiam, & Formā ſimul vnitas nullo modo diſtingui realiter á Toto, nec Totum addere Tertiam entitatatem ſupra partes ſimul ſumptas, & vnitas, ſed ad ſummum inter totum, & partes vnitas ſolum intercedere diſtinctionem rationis ratiocinatæ, ſeu cum fundamento in re. Ita pręter Thomiſtas ferè omnes Recētiores, vt Suarez in Methapiſica diſp. 36. ſect. 3. Ruuius in 1. Phiſic. cap. 3. q. 1. Amicus Tract. 2. queſt. vlt. dubit. 4. & Tract. 14. q. 4. dubit. 3. Auerſa q. 19. ſect. 8. Hurtad. in Phiſica diſp. 6. ſect. 1. Alph. á vera Cruce ſpecul. 7. cōcl. 1. & alij plures.

Thomiſtæ inter totū & partes ſimul vnitas non concedunt niſi diſtinctionē rationis ratiocinatæ.

Et probatur hæc ſententia primo; quia vnitum nihil prorſus addit ſupra vnionem, & partes vnitas: nā partes denominātur vnitę ab vnione, quæ in illis recipitur: Sed vnitū eſt idem re, & ratione ac compoſitū; ergo cōpoſitū nihil prorſus addit ſupra vnionē, & partes vnitas; probatur minor, quia vnitū dicit partes ſimul ſumptas cum vnione: ſed hoc formaliſſimè eſt compoſitum, quia compoſitio eſt ſimul poſitio, vel coniunctio plurium rerum, ergo vnitum idem eſt ac compoſitū. 2. omne abſolutum, quod eſt res, poteſt eſſe ſine eo, á quo realiter diſtinguitur: ſed totum nequit eſſe ſine partibus vnitis nec è contra: ergo totum nō diſtinguitur á partibus vnitis; nec è contra. Dices; maiorem eſſe veram, de eo, quod eſt prius, & quando nō adeſt eſſentialis depēdentia vnius ab alio, procedens ab intrinſeco, quod non interuenit

Rationes pro Thomiſtis.

in caſu: nam totum eſſentialiter pendet à partibus, & eſt poſterius illis. Sed contra. ergo ſaltē partes vnitæ quia non dependent à toto, nec ſunt priores toto, poterunt ſeparari, & ſic vnitæ exiſtere ſine toto; ſed hoc etiam eſt impoſſibile, ergo ſignum eſt inter totum, & partes vnitas nullam eſſe diſtinctionem.

Tertia Ratio.

Tertio partes ſimul vnitæ nec per intellectum concipi poſſunt ſine toto, nec è contra, ergo &c.

Quarta Ratio.

quarto; totum non diſtinguitur realiter à partibus ſimul vnitis tanquam omnino diuerſum ab illis: nam totum includit omnes partes vnitas: nec diſtinguitur tanquā includens ab incluſo. nam peto, quid eſt hoc aliud, quod includit compoſitum, & non includitur in partibus ſimul vnitis? ſi enim mente ſeparetur totum à partibus vnitis, nihil prorſus erit in toto, quod non ſit ipſę partes vnitę: Dices; eſſe tertiam entitatem realiter diſtinctam.

Quinta Ratio. impugnat tertiam entitatem

Sed contra, & ſit Quinta ratio; hæc tertia entitas vel eſt Subſtantia, vel eſt accidens? non accidens, quia totum Phiſicum eſſentialiter non eſt accidēs, nec minus hæc tertia entitas poteſt eſſe Subſtantia, quia non eſt Materia, nec Forma, vt patet, nec minus eſt compoſitum; aliàs daretur proceſſus in infinitum, quia ſi totū addit ſupra partes vnitas tertiam entitatem, & hęc tertia entitas eſt compoſitū, iterum peto, hæc tertia entitas; quæ eſt compoſitum, quid addit ſupra ſuas partes vnitas? ſi nihil, habetur intentum, ſi aliquod, ergo ibitur in infinitum.

Seſta Ratio.

Seſto nulla datur neceſſitas ponendi in compoſito tertiam entitatem, ergo &c.

Septim. Ratio.

probatur antecedens: vel ponitur tertia entitas ad producendū effectum compoſiti: vel ad veritatem loquutionum? non primum, nam iſte effectus vel eſt materialis, vel eſt formalis, vel eſt Materialis, & Formalis ſimul? ſed quicquid dicatur, ſemper erit à Materia, & Forma vnitis, ergo fruſtra ponitur ad hoc tertia entitas: nec Secundum, quia per ſolam diſtinctionem rationis ratiocinatæ poſſunt verificari aliquà prædicata de toto, quę partibus etiam vnitis non conueniunt; nulla igitur eſt ratio ponēdi diſtinctionem realem inter totū & partes ſimul vnitas. Multa alia ſolent pro hac Thomiſtica Sententia adduci, ſed iam allata ſunt potiora.

Scotiſtæ autem totum oppoſitum ſentiunt ex diametro, dicunt enim, Mate-

riam,

Scotiſtę concedũt diſtinctionem realẽ inter totũ, & partes etiã vnitas.

riam, & Formam ſimul vnitas realiter diſtingui à Toto Compoſito, & hoc addere ſupra partes ſimul ſumptas, & vnitas quandam tertiam entitatem realem, quæ cauſatur, & reſultat ex Materia, & Forma vnitis. Ita expreſsè Scotus 5. Meth q. 4. & in 3. diſt. 2. q. 2. Argent. in 2. diſt. 15. q. p. art. 4. & præter Scotiſtas multi alij apud Maſtrium, & Bellutum Diſp. 5. q. 13. art. p. Probatur hæc Sententia primo authoritate Philoſophi, qui 5. Methap. cap. 14. ait. *Sex non eſſe bis tria, ſed ſemel ſex.* & lib. 7. meth. tex. vltimo inquit, *ſyllaba non eſt ipſa elementa, nec idem, quod B, & A; nec caro Ignis, & Terra? diſſolutis namque, hæc amplius non ſunt vt caro, & ſyllaba; elementa vero Ignis & Terra ſunt: eſt ergo ſyllaba aliquid, non ſolum elementa vocalis, & muta, ſed etiam aliquid aliud; & caro non ſolum Ignis, & Terra, aut calidum, & frigidum, ſed etiã aliquid aliud.*

Prima ratio ꝓ hac ſententia ex authoritate Philoſophi

Secũda Ratio.

2. hæc eadem ſententia probatur ratione. Multa realiter conueniunt toti compoſito, quæ nullo modo partibus etiam vnitis poſſunt realiter conuenire; ergo totum aliquid addit ſupra partes ſimul vnitas: conſequentia ſequitur; nam ſi eſſent omnino idem, quicquid realiter conuenit toti, poſſet etiam tribui partibus; probatur antecedens. Nam totum eſt illud, quod per ſe realiter generatur, & corrumpitur; partes autem etiã vnitę nec generantur per ſe, nec per ſe realiter corrumpuntur. tertio. inter cauſam, & effectum eſt realis diſtinctio: ſed partes componentes etiam vt vnitę, ſunt cauſa totius, ergo inter totum, & partes etiam vnitas eſt realis diſtinctio: maior eſt certa, quia inter cauſam, & effectum datur Relatio realis, ergo etiam diſtinctio realis; probatur minor, partes nõ componunt totum niſi mediа vnione: nec totum reſultat niſi à Materia, & Forma vnitis: ergo Materia, & Forma etiam vt vnitæ, ſunt cauſa totius. quarto; id idem probatur argumento Theologico, quia in Triduo mortis Chriſti Diuinitas erat vnita cum partibus Humanitatis Scilicet cum Anima, & corpore Chriſti, & tamen tunc non erat Humanitas, cum Anima fuerit ſeparata à corpore, ergo partes Humanitatis Chriſti diſtinguebantur ab ipſa Humanitate, quæ erat totum; probatur conſequentia, quia quando aliqua ſunt eadem, quicquid com-

Tertia Ratio.

Quarta Ratio theologica.

competit vni, competit alteri; ergo ſi tunc Humanitas Chriſti,& partes ipſam componentes fuiſſent vnum, & idem, diſſoluta Humanitate Chriſti in triduo, etiam fuiſſet diſſoluta vnio Diuinitatis cum Partibus Humanitatis. Hæc & alia plura habent Scotiſtæ.

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO.

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

5 IN hac perdifficili controuerſia duo præcipua ſunt declaranda diligenter, quibus exiſtimo, poterit adequatè defēdi omnis alia difficultas, quæ in ſimili Materia vertitur inter Angelicos, & Subtiles. Primum eſt, an aliqua Duo poſſint ſimul diſtingui realiter, & ratione ratiocinata? ſeu an vna, & eadem diſtinctio poſſit ſimul dici realis, & rationis? Secundum, quod eſt declarandum, eſt, V. aliquid poſſit realiter differre à ſe ipſo abſque eo, quod dicat rem aliam, ſed per ſolam habitudinem aliam, ſeu per ſolum modum eſſendi?

Proponuntur duo explicāda valde neceſſaria.

6 Et quantum ad Primum videantur, quę dicta ſunt in reſponſione Apologetica ad Magiſtrum Frācium oppoſ. 4. num. 6. & 7. pag. 25. quæ non oportet amplius hic repetere, & ſufficit aduertiſſe, quod Inter diſtinctionem realem in tota ſua latitudine Sumptam, & diſtinctionē rationis etiam in tota ſua amplitudine acceptam, nulla datur diſtinctio media: ſed omnis diſtinctio vel eſt realis in tota ſua latitudine; vel in tota ſua amplitudine eſt rationis; quo modo loqūtur Thomiſtæ, cum negant diſtinctionem mediam inter realem, & rationis. Cum hoc tamen etiam ſtat, quod inter diſtinctionem realē Simpliciter, & diſtinctionem Simpliciter rationis datur diſtinctio media, eſtque illa, quæ nec Simpliciter eſt realis, nec Simpliciter eſt rationis: Vnde diſtinctio inter duas res vnius Prædicamenti, vel inter rem, & modum dici poteſt diſtinctio media, quia illa nec eſt Simpliciter realis, cū non ſit inter duas res diuerſorum prædicamētorum, nec Simpliciter eſt rationis, cū non careat fundamento à parte rei: ſic etiā diſtinctio inter duas Formalitates, vel vnius, & eiuſdem rei, vel etiam diuerſarum rerum, quæ communiter ſolet dici diſtinctio rationis ratiocinatę, dici poteſt diſtinctio me-

Inter diſtinctionē realē in tota ſua amplitudine, & rōnis in tota ſua latitudine nulla datur diſtinctio media.

Inter diſtinctionē realē ſimpliciter, & ſimpliciter rationis datur diſtīctio media.

media, quia illa non eſt ſimpliciter rationis, cum habeat Fundamentum à parte rei, nec Simpliciter eſt realis, cũ complementum habeat ab Anima, erit ergo media inter realẽ Simpliciter, & Simpliciter rationis.

Inter relationẽ, & fũdamentũ inter eſſentiam et ex ſtẽ tiam inter totũ, & partes vnitas eſt diſtinctio media.

7. Atque adeò inter relationem, & fundamentum, inter eſſentiam, & exiſtentiã: inter Materiam, & Formam; (idemque dici poteſt inter totum, & partes ſimul vnitas;) cum non ſit diſtinctio ſimpliciter rationis; quia à parte rei eſt fundamentum talis diſtinctionis: nec ſit diſtinctio ſimpliciter realis; quia prędicta vel non ſunt duę res abſolutę, vt Relatio, & exiſtentia; vel non ſunt duę res diuerſorum prędicamentorum, vt materia, & forma: Totum, & partes vnitę; ideo inter prędicta erit diſtinctio media, quę ratione fundamenti, quod eſt à parte rei, poteſt dici realis, & ratione cõplementi, quod eſt ab Anima, poteſt dici rationis. & hoc quantũ ad primum, quod propoſuimus declarandum.

Explicatur quomodo aliquid poſſit realiter differre.

8. Quantum vero ad ſecundũ, an ſcilicet poſſit aliquid realiter differre à ſe ipſo, abſque eo, quod dicat aliam rem, per hoc ſolum quod dicat modum rei, eſſent hic repetenda, quę docuimus in Methaphiſica Tract. 3. Diſ. p. q. 2. art. 2. Dubit. 5. & in explicatione immediatè ſequenti illorum ſex dubiorũ, ad Quantitatis eſſentiã pertinentiũ: ſed breuitatis gratia adnotare ſequentia, quę docet AEgidius cum in Quęſtionibus de Eſſe, & eſſentia q. 8. tum in Quolib. 5. q. 14. ſub his Verbis. *Redeamus ergo, & dicamus, quod Materia exiſtens ſub Forma non differt à ſe ipſa, vt eſt priuata Forma, Secundum eſſẽtiam, ſed Secundum eſſe, quod eſſe non dicit eſſentiam Formæ, nec dicit eſſentiam Materiæ, nec rem aliam tertiam, differentem ab eſſentia Materiæ, & Formę: ſed dicit ipſam terminationem Materiæ, vel dicit quandam habitudinem, & quemdam modum exiſtendi, quem habet Materia, vt eſt ſub Forma.* Et poſtea ibi, dẽm aliquibus interiectis, ſic proſequitur. *Cum ergo quaritur, quomodo differt Materia ſub actu à ſe ipſa ſine actu, dicemus, quod differt Secundum eſſe: & ſi quęratur, quod eſt hoc eſſe? dicemus, quod eſt terminatio Materię, vel participatio Formæ, vel modus eſſendi realis, quem habet Materia ſub Forma: Secundum quem modum differt Materia, vt eſt participans*

á ſeipſo abſque eo quod dicat rem aliam.

Locus in ſignis Ægidij ad propoſitum.

pans Formam, & vt habet hunc modum eſſendi, à ſe ipſa, vt eſt priuata Forma. Hęc AEgidius.

10 Qua Doctrina nil pulcrius, & doctius: Pro faciliori tamen applicatione ipſius ad propoſitum, quod intendimus, breuiter adiungimus, quod quando Materia eſt vnita Formæ: tunc inter Materiam, & Formam vnitas ex vna parte, & compoſitum ex alia, non eſt diſtinctio eſſentialis, quia compoſitum ſupra partes vnitas non addit tertiam eſſentiam diſtinctam: nec eſt diſtinctio realis Simpliciter, qualis ſolet eſſe inter duas res diuerſorum prędicamentorum: nam ſiuè Materia ſit actu ſub Forma, ſiuè ſit priuata Forma, nunquam ſunt ibi duę res diuerſorum Prædicamentorum: cum id, quod addit totum ſupra partes ſimul vnitas, nō ſit ſimpliciter res diuerſi prędicamenti: nec tandem inter Totum, & partes ſimul vnitas eſt diſtinctio rationis Simpliciter, qualis eſt diſtinctio inter idem, & ſe ipſum, & vocari ſolet diſtinctio rationis ratiocinantis: nam à parte rei eſt aliquod fundamentum, ad hoc vt totum diſtinguatur à partibus ſimul vnitis, reſtat igitur, quod inter Totum, & partes ſimul vnitas eſt diſtinctio media, qualis ſolet eſſe inter rem, & modum: nam Totum cōpoſitum ſupra partes ſimul vnitas addit modum eſſendi, qui modus nec eſt ipſa Materia, nec eſt ipſa Forma, ſed eſt vel terminatio Materiæ, vel participatio Formæ, vel quædam Tertia entitas, ſeu quoddam eſſe, quod acquirit Materia ſub Forma, ſeu ipſa Forma, dum recipitur in Materia: Sed de hac re iterū Sermo redibit in Diſp. ſequenti, acturi de diſtinctione motus à Termino.

Explicatur quid ſit illud quod addit totū ſupra partes ſimul vnitas.

11 Quibus ſic notatis, dicēdum eſt, quod Partes ſimul Sumptæ, & vnitæ dupliciter poſſunt conſiderari, primo quatenus ſunt in potentia ad Formam totius, quomodo à Recentioribus vocantur partes ſimul vnitæ diſtributiuè; Secūdo quatenus realiter ſunt actuatæ per Formā Totius, quomodo dicuntur partes vnitæ collæctiuè: vel (& clarius) partes ſimul vnitę poſſunt conſiderari primo Secundum eſſentiam, ſeu Secundum eſſe obiectiuum, eo modo, quo eſt eſſentia compoſita ex Materia, & Forma, quando eſt in potentia ad ſuū exiſtere reale; Secundo poſſunt conſiderari partes vnitæ Secundum eſſentiam, & eſſe reale quatenus realiter

ſunt

Explicatur ſenſus Scotiſtarum.

ſunt informatæ à Formà totius; priori modo totum realiter diſtinguitur à partibus etiam vnitis nõ realiter ſimpliciter, ſed realiter Secundum quid, quia Forma Totius addit eſſe reale ſupra partes vnitas, ſicuti Forma partis realiter diſtinguitur à Materia, vt eſt in potentia ad Formam, & eſſentia composita realiter quoque diſtinguitur ab exiſtentia, quia tam Forma partis, quam Forma totius, & etiam exiſtentia dicunt quoddam eſſe ſuperadditũ eſſentię, & partibus vnitis, & ſic eſt intelligenda Sentẽtia Scoti; diſtinguitur etiam totum prædicto modo ſumptum ratione ratiocinata, quia hęc diſtinctio eadẽ eſt cum diſtinctione media, & in hoc ſenſu loquitur S. Thomas.

12. Aſt poſteriori modo, quatenus Scilicet partes vnitæ ſunt realiter actuatæ per Formam Totius; ſic nulla eſt diſtinctio nec realis, nec rationis ratiocinatę inter Totum, & partes vnitas, quia in hoc ſenſu totũ nihil prorſus addit ſupra partes vnitas; & ſic intelligendi ſunt, qui dicunt, Totum à partibus ſimul vnitis diſtingui ratione ratiocinante. Nec inconuenit, quod id, quod vno modo non eſt de ratione alicuius, ſit dẽ ratione illius alio modo, vt benè docuit AEgidius tum in quæſtionibus de reſurrectione mortuorum dub. 2. tum in quæſtionibus de eſſe, & eſſentia, & in libris de Generatione;

RESPONDETVR IN FORma Argumentis

Vtriuſque Sententię.

AD D. Thomam dicim⁹, eius argumenta conuincere de diſtinctione reali Simpliciter, ita vt ſit ſenſus, quod inter Totum, & partes ſimul vnitas non ſit diſtinctio realis Simpliciter, rurſus eadem argumenta cõcludunt, Totum non addere ſupra partes ſimul vnitas aliquam entitatem, quę ſit res, vel tertia eſſentia, non tamen conuincunt, non diſtingui diſtinctione media inter realem Simpliciter, & Simpliciter rationis, nec addere Tertiam entitatem, quæ ſit quidam modus eſſendi.

Ad primum Reſpondetur, licet totum non addat ſupra partes vnitas Tertiam eſſentiam, vel aliquam rem, addit tamen aliquem modum: Ad Secundum Reſpondetur, quod maior eſt vera in his, quæ diſtinguuntur realiter Simpliciter, i. tan-

quam duæ res, quod non eſt in noſtro caſu. Ad Tertium diſtinguendum eſt antecedens; partes vnitæ nec per intellectum poſſunt concipi ſine toto, ita vt vnum non dicat eſſentiam diſtinctam ſupra aliud, verum eſt antecedens; ita vt vnum nec dicat diſtinctum modum eſſendi, falſum eſt, & ſic Reſpondetur ad Quartum, & generaliter ad ſequentia dicendum eſt, Tertiam entitatem, quam addit Totum ſupra partes, non eſſe rem, nec eſſentiam diſtinctam; ſed quemdam modum, qui eſſentialiter identificatur cum re, cuius eſt modus.

Ad Scotum dicimus concludere de diſtinctione reali non Simpliciter, ſed Secundum quid, & de Tertia entitate, quæ non ſit eſſentia, nec res, ſed modus eſſendi.

DE TERTIO PRINcipio Philoſophico, quod eſt Priuatio.

DVBITATIONES SEX.

Dubitatio Prima. An Tertiũ principium Naturæ, quod ab Ariſtotile vocatur Priuatio, Rectius à D. Auguſtino dicatur Ratio Seminalis?

Dubitatio Secunda. An ſit, & quid ſit Priuatio, ſeu Ratio Seminalis?

Dubitatio Tertia. An Ratio Seminalis, ſeu Priuatio diſtinguatur realiter à Materia, ita vt faciat compoſitionem realem cum illa?

Dubitatio Quarta. Quotuplex ſit Priuatio, an vna tantũ pro omnibus Formis; vel multiplex iuxta diuerſitatem Formarum?

Dubitatio Quinta. An Priuatio, ſeu Ratio Seminalis ſit principiũ Generationis per ſe, vel per accidens?

Dubitatio Sexta. An Priuatio, vel Ratio Seminalis principiũ dicatur, quando eſt, vel quando non eſt?

DVBITATIO PRIMA.

An Tertium Principium Naturæ, quod ab Ariſtotele vocitatur Priuatio, Rectius à D. Auguſtino dicatur Ratio Seminalis?

1 SVb eiſdem terminis mouetur hęc Dubit. ab Ægidio in 2. Sent. diſt. 18. q. 2. art. 2. Dubio [illegible] & reſoluęr ab eodē. Reſpondetur ibidem, quod Ter- Tertiũ principiũ rectius dicitur Ratio ſeminalis, quã Priuatio.

Tertium Principium naturæ rectius à D. Auguſtino ſignificatur nomine Rationis Seminalis, quàm nomine Priuationis ab Ariſtotele: idque quãuis probetur triplici ratione, vna tamen illarum eſt omnium potiſſima, quæ ſic pôt efformari. Priuatio, & Ratio Seminalis duo dicunt, nempè carentiam Formæ in Subiecto, & aptitudine Subiecti ad Formam: ſed cum hoc diſcrimine, quia Priuatio ex vi nominis primo dicit carentiam Formæ, & ex conſequenti dicit aptitudinem Subiecti ad Formã: Ratio vero Seminalis totum è contra, primo ex vi nominis dicit aptitudinem Subiecti ad Formam, & ex conſequenti importat carentiam Formæ in Subiecto: Sed Carentia Secundũ quod huiuſmodi non importat rationẽ principij: aptitudo vero de ſe videtur, importare rationem principij, ergo magis congruè, & magis conueniẽter Tertium Principium naturæ ſignificatur ab Auguſtino nomine Rationis Seminalis, quę primo dicit aptitudinem, & deinde carentiam Formæ: quam nomine Priuationis, quæ primo dicit carentiam, & ex conſequenti aptitudinem Subiecti ad Formam: An autem ſit, & quid ſit Ratio Seminalis, ſeu Priuatio? in ſequenti Dubitatione videbitur.

Priuatio primo dicit carentiam deinde, aptitudinem.

Sed ratio ſeminalis totum eſt contra primo dicit aptitudinẽ deinde carẽtiam.

DVBITATIO SECVNDA.

An ſit, & quid ſit Ratio Seminalis, ſeu Priuatio?

1 QVãtum ad quæſtionem an ſit è facilis eſt Reſolutio: vnde dicimus cum omnibus Philoſophis, nemine excepto, Rationes Seminales, ſeu Priuationes eſſe in rebus indepẽdẽter ab omni opere Intellectus; probatur; quia antecedẽter ad omnem operationem Intellectus realiter in rebus naturalibus datur carentia Formæ in Subiecto, vt carentia viſus in Homine, & aptitudo Subiecti ad talem Formam, vt aptitudo Hominis ad habendum viſum, ergo datur à parte rei, in rebus naturalibus Ratio Seminalis, ſeu Priuatio, conſequentia ſequitur, quia in hoc conſiſtit Priuatio, ſeu Ratio Seminalis ſcilicet in carentia Formæ in Subiecto, & in aptitudine Subiecti ad Formam. antecedens autem eſt manifeſtum, quia antecedẽter ad omnem Intellectum Homo realiter caret viſu, habetque

Priuatio, & ratio ſeminalis eſt à parte rei.

que aptitudinē ad illum habendum.

2 Quantum vero ad Secūdum: in quo Scilicet conſiſtat Priuatio, & Ratiō Seminalis? eſt aliqua diſſētio apud Doctores: Nā Scotiſtæ apud Maſtrium, & Bellutum diſp. 4. q. 1. art. 1. & 2. Priuationē pro formali dicunt, non eſſe purum ens rationis; nec minus eſſe ens reale, ſed puram Negationem realitatis. idque probant, quia cum Philoſophus Priuationem diffinit in 5. Methap. tex. 27. inquit, Priuationem eſſe Negationem Formæ in Subiecto apto, vbi negatio, ſeu Carentia ponitur in recto, & ad hoc tendunt omnes aliæ rationes pro Scoto.

Scotiſtę volunt priuationem formaliter conſiſtere in pura negatione realitatis.

3 Sed alij pro oppoſito ſētiunt, Priuationem formaliter, & in recto eſſe ens reale, quia à parte rei ante opus Intellectus de Priuatione prædicatur Verbum eſt, vt patet ex Geneſi, cum dicitur, quod Tenebrę erant ſuper faciem abiſſi. Deinde multa attributa conueniunt Priuationi, quæ arguunt in illa aliquam entitatem, dicitur enim de Priuatione, quod fit de nouo; quod maleficium in Materia operetur, quod ſit principiū mutationis realis, & ſimilia ergo &c.

Alij ſentiūt Priuationē formaliter eſſe ens reale.

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO.

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

4 AEgidius in loco Dubitatione precedēti citato Vtramque ſententiam ſic defendit. Tertium principium naturæ ſi cum Ariſtotele ſignificetur nomine Priuationis, illud quidem primo, & per ſe dicit formaliter puram negationem Formæ in ſubiecto; ex conſequenti vero dicit aptitudinem, & realitatem negatiuam ad Formam. in hoc ſenſu loquuntur Scotiſtæ. Aſt ſi idem tertium Principium naturæ ſignificetur cū D. Auguſtino nomine Rationis ſeminalis, illud quidem primo; & per ſe dicit realiter aptitudinem ſubiecti ad formam; & ex conſequenti dicit negationem eiuſdem Formæ in ſubiecto. Sic alij Authores ſecundæ ſententiæ.

5 Petes. quid eſt Tertium Principiū naturæ, pro vt eſt Ratio ſeminalis? Reſpondetur cum AEgidio loco vbi ſupra, dub. 4. Latet, quod Ratio ſeminalis non eſt Materia, nec eſt Forma: ſed eſt quædam hab.litas, per quam Materia eſt apta nata transmutari ad Formā, & ex parte

Ratio ſeminalis non eſt materia, nec forma.

Sed eſt habilitas per quā materia tráſmutatur ad Formā.

te Agentium eſt quædam habilitas, per quam eadem Agentia ſunt apta nata tranſmutare Materiam ad Formam: quæ Habilitates, quāuis vt ſunt priuationes formarum, cędant in Materia, aduenientibus Formis: vt ſunt tamen habilitates, ſtant ſimul cum Forma.

Rationes ſeminales sūt Relationes ſecūdū dici.

6 Petes iterum. An huiuſmodi Rationes ſeminales, ſeu habilitates ſint de Genere Relatiuorum, vel de Genere abſolutorum? & ſi de Genere Relatiuorum, an ſint Relationes Prædicamētales, & ſecundum eſſe: an vero Relationes tranſcendentales, & ſecundum dici? Reſpondet AEgidius in eodem loco ſupra citat. dub. 5. Later. eſſe Relationes non prædicamentales, quæ fundentur in Accidente: ſed traſcendentales, & Secundum dici, quatenus ſunt habitudines fundatæ immediatè in Subſtantia: An autem huiuſmodi habitudines, ſeu habilitates diſtinguātur realiter à Materia, & faciāt cum illa compoſitionē realem? in ſequenti Dubitatione declarabitur.

DVBITATIO TERTIA.

V. Ratio Seminalis, ſeu Priuatio realiter diſtinguatur à Materia, faciatque cum illa compoſitionem realem?

1 IN hac Dubitatione aliter Reſpondendum eſt, loquendo de priuatione, & aliter loquendo de Ratione Seminali: loquēdo enim de Priuatione, dicendum eſt, Priuationem Secundum id, quod formaliter dicit in recto, quatenus Scilicet eſt negatio Formæ, realiter diſtingui à Materia, non diſtinctione reali poſitiua, qualis ſolet eſſe inter duo extrema realia poſitiua, ſed diſtinctione reali priuatiua. Concluſio eſt omnibus certa, & probatur; quia quęcunque ita ſe habent, quod vno manente, reliquum nō manet, illa realiter diſtinguntur, vel ſaltem non ſunt idem realiter: ſed Materia manet, priuatio autem cædit: ergo Materia, & priuatio realiter diſtinguntur, nō quidem diſtinctione reali poſitiua, quæ verſatur inter extrema poſitiua: ſed diſtinctione reali negatiua: qualis eſſe ſolet inter ens, & non ens; minor conſtat, probatur

Priuatio ſecū dum id, quod dicit in recto, diſtinguitur realiter à materia

maior:

maior: quia quæ ita ſe habent, vt vnum ſinè alio realiter exiſtat, illa realiter ſunt diſtincta, vel ſaltem realiter non ſunt idem.

Obijcitur multipliciter, quod priuatio non diſtinguatur à materia.

2 Sed contra hāc Aſſertionem Obijcies. Ariſt. p. Phiſicorum tex. 79. ait, Priuationem eſſe vnū numero cū Materia, ergo &c. Secundo. Materia non poteſt nec per Dei potentiam à Priuatione ſeparari; nam Materia ligni verbi gratia eſt priuata infinitis formis, quę nō poſſunt ſimul, & ſemel in Materia introduci, cum ſint incompoſſibiles, ergo Materia idē tificat ſibi priuationem: tertio; ſi priuatio diſtinguitur à Materia, ita vt accederet, & recederet ab illa, nō ſecus quam Forma; ſequeretur, quod ſicut datur Priuatio Formæ, ita etiam daretur Priuatio priuationis, atque adeò dum Subiectum ammitteret vnam priuationem, ſtatim acquireret priuationis priuationem, eſſetque in priuationib' proceſſus in infinitum.

Soluuntur obiectiones.

3 Reſpōdetur ad Primum; duppliciter aliqua poſſe dici vnum numero, primo ita vt vna hæcceitate induiduentur; Secundo, quatenus ſunt in eodem Subiecto, quo ſenſu albedo, & dulcedo in lactè dicuntur vnum numero, quia ſunt in eodem Subiecto; modo Materia, & priuatio ſunt vnum numero, non primo modo, ſed Secundo. vel dicendum, quod Priuatio eſt vnà numero cum Materia negatiuè, quatenus negatio non addit ſupra Materiam entitatem poſitiuam. Ad Secundum Reſpondetur, quod licet Materia non poſſit denudari omnibus Priuationibus collectiuè, poteſt tamen omnibus denudari diſtributiuè, ideſt modo hac, modo illa, quod ſufficit ad inferēdām diſtinctionem realem Priuationis à Materia. Ad tertium neganda eſt ſequela, quia ſicut abſentiæ non eſt abſentia, nec datur præſentia præſentiæ, ita non datur Priuatio priuationis: ſed priuatio Priuationis poteſt dici formaliter, & immediatè illa Forma, quam Priuatio negat, in quo ſenſu poſſumus dicere, quod Materia, recedente priuatione, acquirit priuationē priuationis, quia acquirit Formam, quæ eſt oppoſita priuationis ex quo non ſequitur proceſſus in infinitum.

Non datur priuatio priuationis

Ratio ſeminalis diſtiguitur à ma eria diſtinctionem media.

4 Loquendo vero de Tertio Principio naturæ, quatenus dicitur Ratio Seminalis, dicendum eſt, quod illud non diſtinguitur à Materia diſtinctione reali negatiua,

ua, qualis ſolet eſſe inter ens, & non ens, quia Ratio Seminalis primo, & per ſe, & in recto non dicit negationem: ſed potius habitudinem, ſeu habilitatem rei. Nec diſtinguitur diſtinctione reali poſitiua Simpliciter, qualis ſolet eſſe inter duas res: nam ratio Seminalis Simpliciter non eſt res, ſed eſt habitudo rei. Diſtinguitur ergo ratio Seminalis à Materia diſtinctione media, & in aliquo ſenſu diſtinctione reali, qualis ſolet eſſe inter rem, & habitudinem rei: nam Materia Secundum ſuam eſſentiam eſt quid abſolutum de Genere Subſtantiæ: Ratio vero Seminalis eſt quædam habitudo, & Relatio Secundum dici, & poſſumus etiam dicere, quod inter Materiam, & Rationem Seminalem eſt diſtinctio rationis ratiocinatæ, ſicut ſolet eſſe inter Relationem, & fundamentum modo explicato in præcedenti dubitatione vltima num. Septimo, & Octauo.

Rationes ſeminales quomodo faciāt vel non faciāt cōpoſitionē realē cum materia

5 Dicendum vltimo, Tertium Principium naturæ ſiuè nominetur Priuatio, ſiue Ratio Seminalis, nunquam Secundum ſe facit cum Materia compoſitionem realē, licet indirectè, & pro vt Materia comparatur ad fieri, & tranſmutari, faciat compoſitionem realem; ita quoad vtramque partem Ægidius in 2. Sent. diſt. 18. q. 2. art. 3. Dub. 3. later. vbi inter alia hæc habet. *Sicut ergo Relatio non facit compoſitionem cum eo, in quo eſt, ſic iſtæ rationes Seminales ſiue dicantur Priuationes, vt nominat eas Philoſophus, ſiue habilitates, vt nos eas nominamus, directè, & Secundum ſe non faciunt compoſitionem cum Materia, quia ſunt quædam Relationes, & ideo verè dictæ ſunt Rationes, quia Relatio, & ſi reſpectu oppoſiti poteſt dici res, tamen reſpectu fundamenti ſemper eſt ratio: & nullam compoſitionem Secundum rem facit vltra fundamētum: ſed ſolum Secundum rationem. Directè igitur iſtæ rationes ſeminales nō faciunt compoſitionem realem cum Materia: ſed indirectè, & potiſſimè pro vt comparatur Materia ad fieri, id eſt, ad trāſmutari, oportet, quod compoſitionem faciant, quia Materia Secundum ſuam eſſentiam nudam nulli tranſmutationi Agentis naturalis eſt Subiecta, ſed oportet, quod ſit Quanta, & qualis, vt poſſit naturalem tranſmutationem ſuſcipere, cum ergo Quantitas, & qualitas faciant compoſitionem cū Materia, ideo Rationes Seminales ſaltem in di-*

Ægid. declarat, & probat vtramq; partem, vltimi dicti.

indirectè,pro vt comparantur ad tranſmutari,faciunt compoſitionem cum Materia. Hęc AEgidius, quibus nihil doctius, & clarius.

DVBITATIO QVARTA.

Quotuplex ſit Priuatio, an vna tantū pro omnibus Formis, vel multiplex iuxta diuerſitatē formarū?

1 DVbitationis Titul' clarus eſt, habetque magnam affinitatem cum illa quęſtione; an Relatio multiplicetur numero ad multiplicationem numericam terminorum? de qua nos in Methaphiſica in Prædicamēto Relationis art. 3. Dubit. 2.

Priuatio ſpecificatiuè eſt multiplex,in diuidualiter eſt vna,

2 Et Relictis omnibus dicendi modis, nobis dicendum eſt, quod ſicut Relatio primo, & per ſe Specificationem ſumit à Termino, & ex conſequenti àfundamento: Indiuiduationē vero primo, & per ſe à Fundamento, & ex conſequenti à Termino, ita Priuatio, ſeu Ratio Seminalis, quæ eſt quędam Relatio ſaltem Secundum dici; Specificatiuè eſt multiplex iuxta diuerſitatem Formarū: Indiuidualiter vero eſt vna iuxta vnitatem Subiecti, in quo eſt; Vtraque pars colligi poteſt ex dictis vbi ſupra: Nam ſicuti Relatio, qua Pater v.g. reſpicit decem filios, primo, & per ſe eſt vna quātum ad eſſe, propter vnitatē fundamenti, & ex conſequēti eſt multiplex propter pluralitatem Terminorum: ita Ratio Seminalis, & Priuatio quo ad Vnitatem numericā eſt vna propter vnitatē Materię, in qua eſt; licet ex cōſequenti ſit multiplex etiam numero propter multiplicitatem Formarum: quantum vero ad vnitatem Specificā Priuatio eſt multiplex primo, & per ſe, quia plures, & diuerſæ ſunt Formæ, quarū ipſa Priuatio eſt carentia formaliter, licet ex conſequēti ſit vna etiam Specie ratione Materię, in qua eſt.

DVBITATIO QVINTA.

V. Priuatio, ſeu Ratio Seminalis ſit Principium Generationis per ſe, vel per accidens?

Priuatio eſt principium per accidens reſpectu Generationis in facto eſſe.

1 QVod Priuatio ſit Prīcipium per Accidens rei Genitæ, ſeu Generationis in facto eſſe, eſt communis

munis Senſus omnium Philoſophorum, & Ratio eſt, quia res genita, ſeu Generatio in facto eſſe non habet niſi duo Principia intrinſeca ſcilicet Materiam, & Formam, & ſic eſt Philoſophus intelligendus, cum in textu 75. huius primi libri inquit, Priuationem eſſe principium per accidẽs. Dubium tamen eſt, an priuatio ſit etiam Principium per accidens reſpectu Generationis in fieri, vel aliquo modo ſit principium per ſe?

Videtur quod priuatio ſit principiũper accidẽs etiã generationis in fieri.

2 Et videtur, quod nullo modo Priuatio ſit Principiũ per ſe nec quidem Generationis in fieri, ſed ſemper ſit principium per accidẽs; primo, quia Philoſophus tria docet de Priuatione in hoc libro, primo, quod ſit non ens. Secundo, quod ſit contraria Formæ, tertio, quod machinetur interitũ rei naturalis: ſed hęc tria pugnant cum ratione Principij, quia non ens non poteſt eſſe principium Entis, & quod machinatur interitum rei, non poteſt dici principium eius, ſed potius erit deſtructio principiorum eiuſdem, ergo &c. Secundo, Principium Subſtantiæ debet eſſe Subſtantia; vnde Philoſophus inquit, ex non Subſtantijs non fit Subſtantia: ſed priuatio non eſt Subſtantia, cum non ſit ens per ſe, nec vllam habeat entitatem, ergo &c.

Priuatio & ratio ſeminalis eſt principium per ſe generationis in fieri ſed diuerſo modo.

3 Cæterum attenta Ægidij Doctrina, quam Idem doctor habet in 2. Sent. diſt. 18. q. 1. art. 2. Dubit. p. litter. & nos cum illo in Dubitatione Prima, & 2. præcedenti facilè erit reſoluere Dubitationem præſentem. Dicimus ergo, quod tam Ratio Seminalis, quàm Priuatio eſt Principiũ per ſe Generationis in fieri, ſed diuerſo modo: nam Ratio Seminalis eſt principium per ſe quantum ad id, quod dicit in recto, Scilicet quantum ad habilitatẽ, eſt autem principium per accidens, quantum ad id, quod dicit ex conſequenti, nimirum quantum ad carentiam Formæ. Priuatio vero totum è contra quantũ ad id, quod dicit in recto, quod eſt carentia Formæ, eſt principiũ per accidens etiam Generationis in fieri, ſed quantum ad id, quod dicit ex conſequenti, quod eſt aptitudo Subiecti ad Formã, eſt principium per ſe eiuſdem Generationis in fieri. Vtraque pars huius dicti patere poteſt ex iam adnotatis vbi ſupra: Nam tota Ratio, quare Priuatio, ſeu ratio Seminalis videtur eſſe Principium per accidens, eſt quia vtraque dicit

cit carentiam entitatis rea-
lis; & vtraque aliquo modo
eſt non ens; ergo cum Priua-
tio dicat carentiam in recto,
& Ratio Seminalis eandem
carentiam dicat in obliquo;
& è contra cum Ratio Se-
minalis dicat habilitatem Su
biecti in recto, & Priuatio
eandem Subiecti aptitudinē
dicat in obliquo, ſequitur,
quod Priuatio quantum ad
id, quod dicit in recto, eſt
principium per accidēs Ge-
nerationis, licet quantum
ad id, quod dicit ex conſe-
quenti, ſit principium per ſe:
Ratio vero ſeminalis eſt prin
cipium per ſe quantum ad
id, quod dicit in recto, licet
quantum ad id, quod dicit
in obliquo ſit etiam princi-
pium per accidens.

4 Et per hæc patere poteſt
Solutio ad oppoſitas ratio-
nes.

DVBITATIO SEXTA.

*An Priuatio ſeu Ratio Semi-
nalis principiare dica-
tur, quando eſt, vel
quando non
eſt?*

1 PRo vna parte videtur,
quod Priuatio prin
cipiat generationē
quando nō eſt, quia tunc Pri-
uatio principiat mutationē
quādo actu eſt ipſa mutatio,
ſed quando eſt actu muta-
tio, tunc Priuatio non eſt,
ergo Priuatio principiat, quā
do ipſa non eſt; maior patet,
quia actu principiare, & actu
principiari ſunt correlatiua,
nec vnum pro vllo ſigno eſ-
ſe poteſt ſine alio, probatur
minor; Quando eſt muta-
tio, eſt etiam Forma, quæ
per mutationem acquiritur,
nam mutari Subiectum, eſt
aliter ſe habere nunc, quam
antea ſe habebat, quod eſſe
non poteſt, niſi per nouā For
mam: ſed quando eſt Forma,
non eſt eius priuatio, alio-
quin eadem res ſimul eſſet, &
non eſſet, ergo quando eſt
actu mutatio, tunc Priuatio
non eſt. Ita Scotiſtæ apud
Maſtrium, & Bellutum Diſ-
put. 4. quæſt. 4.

Scotiſtę ſentiunt priuationē principiare quando ipſa non eſt.

2 Ex alia vero parte vide-
tur, Priuationem principia-
re quando ipſa eſt, quia Pri-
uatio principiat per ſuum
eſſe, & non per ſuum non
eſſe: ergo principiat, quan-
do eſt, & non quando non
eſt. Præterquam quod ſi Pri-
uatio principiaret, quando
non eſt, ſequeretur etiam,
quod Mutatio poſſet prin-
cipiari, quando non eſt: cum
non ſit maior ratio de Vno,
quam de alio; ſed quando
Mutatio non eſt, non poteſt
à Priuatione principiari, er-
go nec Priuatio poteſt prin-

Ex oppoſito videtur quod priuatio nō principiat quando non eſt ſed quando eſt.

cipiare,

cipiare, quando ipſa non eſt.

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

3 IN Schola Ægidij facilis eſt conciliatio vtriuſque Sententiæ. Priuatio, & Ratio Seminalis duo dicit, vnum in recto, & aliud in obliquo. Sed cum hoc diſcrimine, quod Priuatio in recto primo, & per ſe dicit non eſſe, ſeu carentiam Formæ, & per hoc non eſt principium per ſe Generationis, ſed per accidens, vt in Dubitatione præcedenti concluſimus, in obliquo vero, & ex conſequenti dicit aptitudinem Subiecti ad Formã; Secundum quod poteſt dici principium per ſe, & nõ per accidens. Ratio autem Seminalis è contra, quia in recto, primo, & per ſe dicit habilitatem Subiecti ad Formam, per quam habilitatem dici poteſt principium per ſe non per accidens, ex conſequẽti vero, & in obliquo dicit carentiam Formę, Secundum quam rationem non eſt Principium per ſe; ſed per accidens.

Priuatio, & ratio ſeminalis principiat, quando eſt quãdo non eſt, diuerſo modo.

4 Nunc dicimus, Priuationem Secundum id, quod dicit in recto, principiare, quãdo non eſt: Secundum id vero, quod dicit in obliquo, principiare, quando eſt, Rationem autem Seminalem è cõtra Secundũ id, quod dicit, in recto, principiare, quãdo eſt, ſed Secundũ id, quod dicit ex conſequenti, principiare, quando non eſt; ſingulæ partes patent ex dictis præſertim in Dubitatione præcedenti; nam tunc Ratio Seminalis, & Priuatio dicitur Principiare, quando tam Priuatio, quam ratio Seminalis eſt principium per ſe, & non quando eſt principium per accidens: cum igitur ratio Seminalis Secundũ id, quod dicit in recto, ſit principium per ſe, & Secundum id, quod dicit in obliquo, ſit principium per accidens: Priuatio vero Secũdum id, quod dicit in recto, ſit principium per accidens, & Secundum id, quod dicit in obliquo, ſit principium per ſe, hinc eſt, quod Priuatio primo, & directè principiat, quando non eſt, ex conſequenti vero quãdo eſt, Sed Ratio Seminalis è cõtra Secundum id, quod dicit in recto, principiat, quando eſt, Secũdũ id vero, quod dicit in obliquo, principiat, quãdo non eſt, & hæc de Principijs Corporis mobilis, & 1. lib. Phiſ.

DISPVTATIO SECVNDA

DE NATVRA, ET CAVSIS CORPORIS Mobilis, de quibus in Secundo Libro Phiſicorum.

EGimus In Diſputatione præcedenti cum de Principijs ſub Ratione communi: tũ etiam de Materia, Forma, & Priuatione ſub ratione particulari: Nunc interũ Philoſophi eſt agere de Cauſis nõ ſolum intrinſeqis, vt ſunt Materia, & Forma, ſed etiam extrinſecis, vt ſunt Efficiens, & Finis: ſed quia Materia, & Forma ſunt etiam quædam naturæ: ideo in præſenti Diſputatione Primo agemus de Natura, Secundo de Cauſis.

DE NATVRA Secundum ſe.

DVBITATIO VNICA.

V. Diffinitio Naturæ ab Ariſtotele tradita ſit perfecta?

1 DIffinitio Naturę ſic ab Ariſtot. traditur Secundo Phiſicorum cap. 3. *Eſt Principium, & cauſa motus, & quietis eius, in quo eſt, primo, & per ſe, & non Secundum Accidens*: Ponitur ly principium loco Generis, quia eſt vniuerſalius natura: ponitur (Cauſa) ad differentiam Priuationis, quæ eſt Principium, ſed nõ cauſa, ponitur ly motus, & quietis, quia vtrumq; à natura cauſatur, ponitur ly eius in quo eſt, ad excludẽdas à ratione Naturæ cauſas extrinſecas Scilicet efficientem, & finalem, ponitur ly primo, ad excludendas cauſas Secundarias, & minus principales, vt ſunt

v. g. Grauitas in lapide, leuitas in Igne &c. nam lapis monetur deorsũ primo per Formam, & Secundario per grauitatem, propter quod grauitas illa non dicitur natura, ſed ens Secundum naturam, ponitur ly per ſe, ad differentiam accidentium, quę ſunt cauſa per accidens, ponitur tandem ly (& non Secundum accidens) vt à ratione Naturæ excludantur Artes, quę ſunt cauſa per accidens motus: vt Medicina eſt cauſa per accidens Sanitatis.

2. Sic autem declarata diffinitione Naturę, quęſtio eſt, an illa ſit ſufficiens, & perfecta? & videtur ex multis capitibus, quod deficiat; primo propter illas particulas (*Principium, & cauſa.*) Nam abſolutum non debet diffiniri per reſpectiuum; ſed Natura eſt quid abſolutum, Principium, & cauſa ſunt quid reſpectiuum, ergo non rectè dictum eſt, quod Natura ſit principium, & cauſa. Secundo propter illas particulas ſequentes Scilicet (*Motus, & quietis,*) Nam dantur aliqua entia naturalia, quæ nõ ſunt Mobilia, vt Cælum Empireum eſt Compoſitum ex Materia, & Forma, & tamen non eſt mobile præſertim ex AEgid, in 2, Sent. diſt. 2. q. 2. in reſolutione art. 2. partes etiam centrales Terræ non ſunt mobiles. Rurſus dantur aliqua entia naturalia, quæ nunquam quieſcunt, vt Corpora cæleſtia ſub Empirco, ergo non rectè dictum eſt, quod natura ſit principium motus, & quietis. Tertio; Idẽ in quantum idem non poteſt eſſe cauſa oppoſitorum: Sed motus, & Quies ſunt oppoſita, ergo non benè dictum eſt, quod Natura ſit principium motus, & quietis. Quarto; poſitiuum non poteſt eſſe cauſa priuatiui: ſed Natura eſt quid poſitiuũ, quies vero eſt quid priuatiuum, (quies enim eſt negatio motus) ergo &c. quinto Natura rei eſt Subſtantia: ſed principium motus non eſt Subſtantia, ergo &c. probatur minor, quia nulla Subſtantia creata eſt per ſe, & immediatè operatiua, ſed operatur per potentias ſuperadditas, quæ ſunt Accidentia. Sexto data diffinitio Naturæ competit Arti, ergo &c. & ſi dicatur, arte facta non moueri vt arte facta, ſed vt corpora naturalia; Contra, quia Nauis in medio mari non mouetur motu naturali, aliàs omne lignum haberet illum motum, ergo mouetur motu artificiali, ergo non ſolum Natura eſt principium mot', ſed

Obijcitur multipliciter contra diffinitionẽ naturæ.

ſed etiã Ars. Idem dici poteſt de Horologio &c.

3 Nihilhominus his non obſtantibus, Veritas philoſophica eſt, quod Naturę diffinitio tradita ab Ariſtot. optima eſt, & vndequaque perfecta, & probatur, quia explicat eſſentiam diffiniti, & non eſt ſuperflua, neque diminuta, vt ex ſolutionib. argumentorum in oppoſitũ patebit.

Concluſio.

4 Ad Primum Reſpondendum eſt, quod abſolutum non poteſt, nec debet diffiniri per Relatiuum Secundũ eſſe, ſeu prędicamentale, poteſt autem diffiniri per relatiuum Secundum dici, ſeu Secundum modum, quod aliquando eſt Subſtantia, & quia ordo, quem dicit Natura ad motum, non eſt Secũdum eſſe, & prædicamentalis, quia non fundatur in Accidente, ſed eſt Secundum dici, fundatus in Subſtantia, ideo bene dictum eſt, quod Natura ſit principium &c. Ad Secundum Reſpõdetur; Adnotando prius cum AEgidio in loco citato in argumẽto, quod Naturale multipliciter poteſt ſumi, primo vt diſtinguitur contra ens in Anima, & ſic naturale tantũ dicitur illud, quod eſt in rerum natura, ſecundo pro vt diuiditur contra ens Diuinum, vnde 6. Methap. ſolet diſtingui triplex modus eſſentialis Philoſophiæ Scilicet Naturalis, Mathematicus, & Diuinus in quo ſenſu illa dicuntur naturalia, quæ ſunt coniuncta motui Secundum eſſe, & Secundum diffinitionem, illa vero dicuntur Mathematica, quæ ſunt coniuncta motui ſecundum eſſe, ſed non ſecundum diffinitionem, illa tãdem dicuntur Diuina, quæ ſunt abſtracta ab omni motu non ſolum ſecundum rationem, ſed etiam ſecundum eſſe, ſecundum quem modũ Cælum Empireum eſt quid Diuinum, quia etiam ſecundum eſſe eſt Immobile, cum ergo dicitur, quod Natura eſt principium eius, in quo eſt &c. intelligendum eſt de corporibus naturalibus, quę ſunt de conſideratione Artificis naturalis, ſecundum quem modum Cęlum Empireum ſubterfugit huiuſmodi conſideratione, quia Cælum Empireum abſtrahit à motu.

Soluuntur obiectiones contra diffinitionẽ naturæ.

Naturale multipliciter ſumitur.

Cælum Empireum eſt ens naturale.

5 Ad illam partem eiuſdẽ argumenti, quod ſcilicet partes Terrę non mouentur, & alij Cæli ſub Empireo non quieſcunt; dupliciter reſpõderi poteſt, primo illam particulam (&) accipiendam eſſe diſiunctiuè, ita vt ſit ſenſus; Natura eſt principium

vel

vel motus, vel quietis, ideſt in aliquibus eſt principium motus, & in aliquibus eſt principium quietis. Vel Reſpondetur Secundo, & rectius, quod Cælum, & Terra habent principium mot', & quietis radicale, ideſt habent Materiam, & Formam, per quam poſſunt moueri, & quieſcere, licet actu non moueantur, vt partes Terræ, vel actu non quieſcant, vt corpora cæleſtia. Ad tertium diſtinguēda eſt maior; Idem in quantum idem non poteſt eſſe cauſa oppoſitorũ ſimul, vera eſt maior, ſucceſſiuè, negatur maior, quia ergo motus ordinatur ad quietem, quia lapis v.g. mouetur in centro, vt quieſcat, ideo Natura benè poteſt eſſe cauſa motus, & quietis. Ad quartum; Reſpondetur; quod quies licet vt eſt coniuncta motui, ſit quid priuatiuum, vt dicit tamen quandam permanentiam in proprio loco, non eſt priuatio, ſed perfectio rei: modo in diffinitione Naturæ quies non accipitur primo modo, ſed ſecundo. Ad Quintum diſtinguenda eſt minor; principium motus radicale non eſt Subſtãtia, negatur minor, principium proximum ſeu formale, conceditur; modo in diffinitione Naturæ principium ſumitur radicaliter, non formaliter. Ad vltimum benè ibi reſponſum eſt, ad replicam vero dicimus, Nauim in medio Mari moueri naturaliter, modo tamen modificato ab Arte, & ſi omne lignum modificaretur tali modo ab Arte, etiam tali modo moueretur, quia tamen talis modificatio eſt ab extrinſeco, & Ars eſt principium extrinſecum talis motus, omnino non poteſt illi competere diffinitio Naturæ, quæ eſt principiũ motus intrinſecum.

DE HIS, QVIBVS conuenit ratio naturæ.

DVBITATIONES QVATVOR.

Dubitatio Prima. V. Materia ſit Natura?

Dubitatio Secunda. V. Ratio naturæ conueniat Forma tam materiali, quam Spirituali; tam Subſtantiali, quam Accidentali?

Dubitatio Tertia. V. Priuatio ſit Natura?

Dubitatio Quarta. Quomodo Natura dicatur de Materia, & Forma?

DV-

DVBITATIO PRIMA.

V. Materia ſit Natura?

1 Senſus eſt, an ratio Naturę verè, & propriè conueniat Materiæ? & Reſpondendum eſt affirmatiuè; ita Ariſt. hoc loco, & cum eo omnes Philoſophi; probatur, quia Natura eſt principium motus: ſed Materia eſt principiũ motus, ergo Materia eſt Natura. Maior patet ex diffinitione Naturæ: minor vero probatur dupliciter, primo, quia Materia eſt principium Generationis, cum ſit primum ſubiectum omnis transmutationis: ſed Generatio eſt quidã motus, ſumpto motu in lata ſignificatione; ergo &c. ſecũdo Formæ Materiales educuntur de potentia Materiæ, vt oſtendimus in Diſput. præcedenti q. 3. art. 2. Dub. 2. ſed eductio eſt quidam motus; ergo &c.

Concluſio affirmatiua.

2 Sed contra poſitam aſſertionem Obijcies primò. Ariſt. Secundo Methaphiſicæ cap. 4. ait, omnem ſubſtantiam Methaphoricè dici Naturam idest per ſimilitudinem ad Formam: ſed Materia eſt ſubſtantia, ergo &c. ſecundo Idẽ Philoſophus ait, ridiculum eſſet probare, dari Naturã; ſed idem Philoſophus probat, dari Materiã, ergo Materia nõ eſt Natura. 3. ratione; quia Natura eſt principiũ motus ſaltem paſſiuum: ſed Materia non eſt nec principium paſſiuum motus, ergo &c. probatur minor; quia motus non recipitur in Materia, ſed in toto compoſito. 4. quia eadem eſt Materia, quæ reperitur in Aqua, vt eſt ſubiectum calefactionis, & refrigerationis: ſed refrigeratio dicitur naturalis Materiæ ratione Formæ, & calefactio dicitur violenta eidem Materiæ etiam ratione Formæ, ergo quod mot⁹ ſit naturalis, vel violentus, tantũ eſt ratione Formæ, & non ratione Materiæ.

Obiectiones contra concluſionem,

3 Reſpõdetur ad primum, ibi Ariſtotilem fuiſſe loquutum de Forma totius, quæ eſt ſubſtantia completa, quę includens Materiam, eſt perfectiſſimè Natura, & reſpectu illius Materia eſt Natura per ſimilitudinem, non quod in Materia non ſit ratio Naturæ: ſed quia ratio Naturæ magis eſt in Forma, quam in Materia, & ſimpliciter in ſubſtãtia completa, quam in ſubſtantia incompleta. Ad ſecũdum dicimus, ridiculum eſſe, probare Naturam in comuni, ſed non eſt ridiculum probare hanc, vel illam Naturam in particulari.

Soluuntur obiectiones.

culari. Ad tertium; Reſpondetur, negando minorem, ad cuius probationem dicimus, quod ſicut Forma eſt principium quo agendi, & Compoſitum eſt principium quod, ita Materia eſt principium quo patiendi, & hoc ſufficit, ad ſaluandam in Materia rationē Naturæ; adiungitur etiam, quod Materia eſt primum Subiectum Generationis, & corruptionis. AdQuartum negatur minor, ad cuius probationem dicimus, quod Materiæ Secundum ſe conſideratę eſt naturalis non ſolum calefactio, ſed etiam refrigeratio, quod autem aliquis motus ſit Materiæ violentus, hoc tantū eſt ratione Formę; vel Reſpōdetur Secundo, quod Materia de ſe præſcindēdo à Forma, non eſt principium actiuum motus naturalis, ſed paſſiuum, & quia remanet eadem Materia ſub quacunque Forma, ideo Materiæ Secundum ſe, & vt eſt præciſa ab omni Forma, omnis motus eſt naturalis, quod autem aliquis motus ſit illi violentus, hoc tantum conuenit Materię pro diuerſitate Formarum.

Aliæ obiectiones contra poſitam aſſertionē

4 Obijcies iterum contra eandem aſſertionem. Quod eſt in potentia ad Naturam, non eſt Natura, ſicuti quod eſt in potētia Animal, non eſt Animal: ſed Materia eſt in potentia ad Formam; quę eſt Natura, ergo &c. tum Secundo; nomen Naturæ dicit perfectionem, quia ſignificat eſſentiam, quę eſt omniū perfectiſſima in re: ſed Materia eſtens imperfectiſſimum; ergo &c. tū tertio, quia vnius rei vnica eſt natura: ſed forma eſt Natura; vt in ſequenti Dubitatione reſoluetur, ergo Materia nō eſt Natura.

Soluūtur obiectiones.

5 Reſpōdetur ad primum, maiorem eſſe veram de eo, quod eſt in potentia ad omnem Naturam, Materia autem eſt ſolum in potentia ad Naturam, quæ eſt actus Formalis, & determinatus, quo modo Materia non eſt Natura, niſi denominatiuè; vel dicas, quod Materia non eſt in potentia ad Naturam, quæ eſt Analogum, ſed ad Naturam, quæ eſt vniuocum: ſicuti Materia non eſt in potētia ad Subſtantiam, quæ eſt analogum, ſed ad Subſtantiam, quæ eſt Vniuocum. Ad Secundū Reſpondetur; quod Natura ſi ſumatur, vt eſt principium cōſtitutiuum rei naturalis, ſic etiam Materia dicit ſuam perfectionē, quia etiam Materia eſt conſtitutiua compoſiti naturalis: ſi vero Natura ſumatur, vt eſt principium operationis, ſic na-

tura, quæ eſt principium actiuum, dicit perfectionem: Natura vero: quæ eſt principium paſſiuũ, nec dicit perfectionem, nec imperfectionem: ſed ex ſe eſt quid indeterminatum. Ad tertium dicimus, quod vna eſt Natura totalis, ſed duplex partialis. Aliæ obiectiones, quæ ſolent fieri contra hanc poſitionẽ, in ſequenti dubitatione 4. reſoluentur.

DVBITATIO SECVNDA.

V. Ratio Naturæ conueniat omni Formæ tam materiali, quam ſpirituali, & tum ſubſtantiali, tum etiam Accidentali?

Prima concluſio probatur.

1 INtegro quæſito ſequẽtibus concluſionibus reſpondẽdum eſt. Prima concluſio. Omnis Forma ſubſtantialis ſiue ſit materialis, ſiue ſpiritualis, vt Anima Rationalis, propriè, & verè eſt Natura. Probatur tũ primo ex Ariſt. 1. phiſic. cap. 1. dicente, Ens naturale componi ex Naturis: ſed ens naturale eſt compoſitũ ex Materia, & Forma, ergo &c. tũ Secundo, quia in Diffinitione Naturæ nulla eſt particula, per quam Forma Subſtantialis etiam includendo Animam Rationalem, debeat excludi à ratione Naturæ; tũ 3. quia omnis Forma nõ minus intrinſecè conſtituit ens naturale, quam Materia; tum 4. quia ſi Materia eſt Natura, ex eo quod eſt principium receptiuũ motus naturalis, Forma quoque etiam Spiritualis eſt dicenda Natura, quia Forma nõ ſolum eſt ratio recipiendi motum in cõpoſito, ſed etiam eſt ratio agendi eundem motum, & per ipſam compoſitum habet determinatam inclinationem, & à cæteris entibus præſertim naturalibus differt.

Ratio ſpecialis de Anima rationali.

3 Adiungitur ratio Specialis de Anima rationali, quia hæc Forma etiã vt Spiritualis eſt, eſt vera, & realis Forma corporis cõſtituens cum eo compoſitum naturale, quod vocatur Homo, ergo Anima Rationalis eſt verè, & propriè Natura: antecedens eſt ita certum, vt oppoſitum eſſet incidere in Opinionem Platonis, aſſerentis Animam Rationalem ſolum aſſiſtere corpori, ſicut Gubernator Naui, quod eſt Erroneum in Philoſophia; probatur cõſequentia, quia Natura ex Ariſt. propriè dicitur de Materia, & Forma tanquam de partibus integræ Naturæ ex vtriſque compoſitæ, ſed Ani-

ma Rationalis eſt propriè forma cõſtituens compoſitum, quod eſt Homo, ergo &c. adiungitur demum, quia Natura eſt principium motus; ſed Anima Rationalis non ſolum Secundum gradus vegetandi, & ſenſiendi eſt principiũ motus Nutritionis, Augmẽtationis, ac Senſationis, ſed etiam Secundum gradus Rationalitatis eſt principium admirationis, actus ridendi, flendi, & etiam eſt principiũ Intellectionis dependentis à Phãtaſmate, qui omnes motus procedunt ab Homine, vt Homo eſt, & conſequenter ab Anima, vt Rationalis eſt, ergo &c. Anima rationalis ſaltem pro ſtatu, quo eſt cõiuncta corpori, eſt propriſſimè Natura; Et hinc eſt, quod libri de Anima sũt pręcipua pars Philoſophiæ naturalis, An autem Anima rationalis etiam pro ſtatu, quo eſt à corpore ſeparata, poſſit dici Natura, eiuſque conſideratio pro eodem ſtatu pertineat potius ad Methaphiſicum quam ad Philoſophum Naturalem? in 4. Tractatu acturi de Anima reſoluetur.

Solutio

4 Sed Obijcies primo, quod nulla forma Materialis ſit natura. Forma Materialis vel eſt viuentium, vel non viuentium: ſed neutra eſt Natura, ergo &c. probatur minor, & primo de Forma non viuentium; omnis Natura vel eſt actiua, vel eſt paſſiua: ſed Forma non viuentium nec eſt actiua, nec eſt paſſiua; ergo &c. probatur minor, nõ eſt paſſiua, quia hæc eſt tãtum Materia: nec eſt actiua, quia non viuentia ex Ariſt. non mouentur à ſe ipſis; ſed ab extrinſeco Generante, ergo forma non viuentium nõ eſt Natura: probatur modo, quod nec forma viuentium ſit Natura. Natura eſt determinata ad vnum motum: ſed Forma viuẽtium non eſt determinata ad vnum motum, ergo illa nõ eſt natura; maior eſt certa, probatur minor, quia viuentia mouentur motu Surſum, deorſum, retro, ante &c. Reſpondetur, & cõceſſa maiori, negãda eſt minor, ad cuius probationem conceditur ſimiliter, quod omnis natura vel ſit actiua, vel paſſiua, ſed negatur minor, quod Forma non viuẽtium nec ſit actiua, nec paſſiua: nam Ariſt. non negat abſolutè, non viuentia moueri à ſe: ſed inquit, nõ moueri à ſe ex impedimẽto extrinſeco, non ex defectu Formæ, eſt igitur in non viuentibus ſublunaribus principium motus actiuum, etiam ſi moueantur à Generante

Obiectio.

cum hoc tamen diſcrimine, quod ſi non viuentia moueãtur à Generante, tunc Forma, & Grauitas ſolum erunt Principia actiua inſtrumẽtalia motus: ſi vero mouẽãtur à ſe, tunc Forma non viuentium eſt principium actiuum principale; Grauitas vero eſt principium actiuum inſtrumentale: ſed de hac re iterum erit Sermo ſuo loco.

5 Obijcies 2. ad probandum, quod Anima Rationalis non ſit natura. Ariſt. lib. 4. de partibus animal. cap. p. plures Animas excludit à ratione Naturæ ſub his verbis. *Conſtat igitur non de Anima diſſerere omni oportere; quando quidem non omnis Anima eſt natura, ſed aliqua eius pars vna, aut etiam plures.* Deinde omnis Forma naturalis id habet intrinſecè, vt æducatus de potentia Materiæ, & ab ea intrinſecè dependeat, vt etiam ſit terminus Generationis, & quaſi finis eius; ſed Anima Rationalis nihil horum habet: nam nõ æducitur de potentia Materiæ: ſed ex nihilo creatur à Deo: vnde non eſt materialis, ſed purè Spiritualis, nec dependet à Materia in eſſe, neque in præcipuis operationibus; vt ſunt Intelligere, & Velle; nec tandem eſt terminus Generationis, ſed creationis, ergo &c. adiungitur demum, quod Anima Rationalis, vt rationalis eſt, non eſt principium motus, ergo ſaltem vt rationalis non eſt Natura. probatur antecedens, quia vt Rationalis eſt, ſolũ eſt principium intelligendi, & volẽdi, quæ non ſunt motus, ſed operationes purè Spirituales; & confirmatur, quia naturale diſtinguitur à voluntario: ſed voluntarium eſt ab Anima, quatenus hæc eſt Rationalis, ergo Anima vt rationalis non eſt Natura.

Aliæ obiectiones.

6 Reſpondetur authoritatem philoſophi intelligendã eſſe de Anima rationali pro ſtatu, quo illa eſt à corpore ſeparata. Vel dicas, ibi Philoſophum ſumere Animã pro quacunque Subſtãtia viuente, quo modo etiam intelligentia eſt Anima, & hęc non eſt Natura. Ad primam rationem dicimus, falſum eſſe, quod ea omnia, quæ enunciantur in argumento, pertineant ad rationem Formæ Phiſicæ, vt talis eſt, ſed potius ſunt imperfectiones eius, à quibus concedimus, Animã rationalem liberam eſſe, ex hoc tamen nõ ſequitur, eam non eſſe Naturam, ſed quod potius ſit perfectiſſimè Natura, habens quæcumque pertinent ad rationem Formæ. Quod vero non ſit terminus

Soluuntur obiectiones.

Generationis, diſtinguendũ eſt, Secundum eſſe, concedimus, Secundum informationem, vel vnionem ad Corpus, negatur, nam vt ſic verè terminat Generationem, & in eam ordinatur tãquam ad finẽ. Ad Secundã Reſpondetur, quod duobus modis Anima eſt principium intelligendi, & volẽdi; primo, quatenus Forma informans Materiã, ſeu dependenter à ſenſibus; Secundo quatenus Forma abſtracta, & ſeperata à corpore: primo modo eſt propriè Natura: ſed Secundo modo non tam pertinet ad Philoſophum naturalem, quam ad Methaphiſicum; Ad confirmationem Reſpondetur; admittendo, quod Naturale à Voluntario diſtinguitur: ſed Anima quatenus eſt principium electionis, ſeu voluntarij, non eſt natura, vel electio ipſa non eſt Natura, licet principium eius, quatenus eſt Forma informans, ſit Natura.

Forma accidẽtalis nõ eſt natura.

7 Secunda conclusio. Forma accidentalis non eſt Natura, nec illi conuenit diffinitio Naturæ; probatur tum quia Ariſt. hic text. 4. ait, Naturam eſſe Subſtantiam, & text. 7. inquit, principia eſſe Subſtantiam: tum etiam quia 2. Phiſic. in principio diuidit entia in ea, quæ ſunt à natura, vt compoſita, in ea, quæ ſunt naturæ, vt Materia, & Forma, & in ea, quę ſunt Secundum naturam, vt ſunt Accidentia. Addi poteſt, quod Natura ex eius diffinitione eſt primum principium motus: ſed Accidentia non ſunt principium primum, ſed proximum, ergo &c.

Obiectiones cõtra ſecũdam concluſionem.

8 Sed Obijcies contra; primo, quia Natura dicitur à naſcentia, ſed naſcentia eſt accidens, ergo &c. tum Secundo, quia accidentia ſunt principium actiuum, & principale reſpectu aliquarum actionum, ergo &c. tum tertio, quia natura ex Ariſt. tex. 4. dicitur eſſe in Subiecto, eſt accidens, ergo &c. Reſpondetur ad primum, quod nomen Naturæ licet dictum ſit à naſcentia Viuentium, in quibus vis actiua eſt conuincta cum Materia: ſemper tamen ſignificat principium Subſtãtiale: ſicuti hoc nomẽ lapis dictum eſt à læſione pedum, & eſt nomen Subſtantiale. Ad Secundum Reſpondetur, quod ly primum, ſeu principium in Diffinitione naturę ſumendum eſt non ſolum pro vt dicit primitatem principalitatis, & prout diſtinguitur ab inſtrumento, ſed etiam pro vt dicit primitatem indepẽdentiæ,

dentiæ, nam hoc ſolum eſt principium radicale, & conſtitutiuũ entis naturalis. Ad Tertium Reſpondetur; diſtinguendo maiorem. Natura eſt in Subiecto, inhæſiuè, negatur, eſt in alio vt in ſuppoſito, conceditur: Accidens autem eſt in Subiecto inhęſiuè, & ideo non eſt Natura.

DVBITATIO TERTIA.

V. Priuatio ſit Natura.

1 MVlti ex antiquioribus pręſertim Pererius lib. 7. de Natura, & ex Recentioribus Amicus Tract. S. 9. 11. Dubit. p. num. 3. negant, tum primo, quia Priuatio licet aliquo modo ſit principium motus Generationis; tamen nullo modo eſt cauſa, cum nullum habeat influxum in ſuum effectũ, nec poteſt eſſe principium quietis; cum deſinat eſſe permutationem, cuius ipſa priuatio eſt principium; tum Secundo, quia Rerum Natura eſt Subſtantia earũ: ſed priuatio non eſt Subſtantia, imo nec habet entitatem poſitiuam, ſed eſt per ſe, & Simpliciter non ens; ergo &c.

Opinio negans.

2 Alij vero, vt Simplicius, Albertus Magnus, & Conimbricenſes cap. præſenti affirmant, Priuationem eſſe naturam, & id probant primo ex Ariſt. qui in fine huius capitis poſt quam probauit, Formam eſſe perfectiorem naturam, quam Materiam, ſubiunxit, Priuationem eſſe etiam Naturam, cũ ſit quodammodo Forma, cuius verba ſunt hæc. *Forma itaque Natura eſt, ſed Forma, & natura dupliciter dicitur, etenim Priuatio Forma quodammodo eſt.* Secundo id idẽ probatur ratione, quia Priuatio eſt principium per ſe Generationis: ſed Generatio eſt motus, & eſt à Natura, ergo Priuatio eſt Natura: nec officit, quod Priuatio non ſit cauſa: nam hoc ſolum impedit, quin Priuatio ſit Natura per omnem modum.

Sentẽtia affirmãs

3 Sed Reſolutio Dubitationis præſentis facilis eſt, & conſequitur ex his, quæ diximus Diſp. præced. q. vltima; agentes de Priuatione: nam eo modo, quo Priuatio eſt Principium Generationis, eodem modo eſt natura: ſicut ergo Priuatio Secũdum id, quod dicit in recto, eſt principium per accidens, & Secundum id, quod dicit ex conſequenti, eſt principium per ſe; ita eodem modo Secundum id, quod Priuatio dicit in recto, non eſt natura,

Reſoluitur dubitatio.

ra,

ra, quia vt ſic dicit Formaliter carentiam Formæ: Aſt Secundum id, quod dicit in obliquo, & ex conſequenti, eſt Natura, quia vt ſic, & eſt principium per ſe, & dicit aptitudinem Subiecti ad Formam. Et per hæc patere poteſt ſolutio ad rationes vtriuſque partis.

DVBITATIO QVARTA.

Quomodo Natura dicatur de Materia, & Forma?

Aſſertio ſubſtinenda.

1 SEnſus eſt, an dicatur vniuocè, vel analogicè? & breuiter dicimus, rationē Naturę analogicè conuenire Materię, & Formæ, ita Doctores vtriuſque Scholæ, & Ægid. in pluribus locis præſertim in 2. Sent. diſt. 24. q. p. art. 4. §. prima via; vbi hęc habet. *Nā licet Natura dicatur de Materia, & Forma, tamen hoc nomen Natura magis competit Formę, quam Materiæ, imo non competit Materiæ niſi per Formam, propter quod Comment. in 5. Meth. vult, quod natura Simpliciter dicitur de Forma.* Probatur autem aſſertio ea ratione communi, quia ratio ſignificata per nomen Naturæ Secundum rem Simpliciter eſt in Forma, & Secundum quid eſt in Materia, vt docet Ariſt. 2. Phiſ. & 5. Methap. cap. 5. ergo ratio Naturæ quamuis ſecundum conceptum poſſit dici vniuoca Materiæ, & formæ, ſicuti Secundum conceptum vniuoca eſt reſpectu vtriuſque ratio principij, tamen Secundum rem eadem ratio Naturæ eſt analoga.

2 Sed Obijcies ad probandū, quod ratio Naturæ magis dicatur de Materia: Hæc eſt principiū omnis motus, nec eſt aliquis motus naturalis, cuius Materia non ſit principium: Forma vero eſt principium motus determinati, eſt que aliquis motus naturalis, cuius Forma non eſt principium, vt in cælo, ergo ratio Naturæ magis dicitur de Materia, quam de Forma; & Confirmatur, quia illud eſt magis Natura, Secūdum quod Naturalia magis habent eſſe naturale, vt patet ex primo munere naturę, quod eſt conſtituere compoſitum: Sed Materia dat rei magis eſſe naturale, quam Forma, quia res in Materia habent eſſe æternum, cum ipſa ſit æterna, à Forma vero habent eſſe temporaneum: ergo Materia eſt magis natura, quam Forma. Reſpondetur, quod ly magis ſi dicit vniuerſalitatem, ſic Materia eſt ma-

magis natura, quam Forma; quia Materia eſt vniuerſalior natura, quam Forma, ideſt, Materia in omnibus habentibus eam, eſt principium paſſiuũ alicuius motus: forma autem non eſt natura ita vniuerſaliter, ſicut Materia quia Forma non in omnibus habentibus eam, eſt principium alicuius motus, & in hoc Senſu rectè voluit Scot', quod Principium in Diffinitione naturæ magis dicitur de paſſiuo, quam de actiuo, intellige ly magis, ideſt vniuerſalius: ſi vero ly magis dicat perfectioné, ſic ratio naturæ magis conuenit Formę, quam Materię, quia Forma dat perfectius eſſe, & operari; quam Materia, & motus naturalis Principalius denominatur à Forma; quã à Materia.

Ad Confirmationem negãda eſt minor, quia res per Materiam habent eſſe in potentia, per Formã vero eſſe in actu: modo Simpliciter loquendo perfectius eſt eſſe actuale etiam temporaneum, quam eſſe potentiale æternum: pręter quam quod etiã ſi Materia in ſe ſit æterna, nõ tamen dat compoſito eſſe æternum: imo cum Materia ſit radix corruptionis, dat compoſito eſſe temporaneũ.

DE DIFFERENTIBUS à Natura.

DVBITATIONES DVAE.

Dubitatio Prima. In quo Ars differat à Natura?

Dubitatio Secunda. An Ars poſſit efficere opera Naturæ?

DVBITATIO PRIMA.

Quomodo Ars differat à Natura?

1 NOn Sumimus hic Artem, pro vt cõprehendit omnes Scientias, & facultates, nec pro omni cognitione practica; ſed vel pro vno ex illis quinque habitibus intellectus, qui ſolet diffiniri, quod ſit habitus cum recta ratione factiuus, vt Ars ſtatuaria, Pittoria &c. vel pro Forma introducta in Materia ab Articifice, vt Forma ſtatuæ in Marmore, Forma domus in lapidibus &c. & de Arte ſic ſumpta quęrimus in præſenti, quomodo, & in quo differat à Natura?

2 Cui quæſito hac duplici cõcluſione Reſpondetur. Prima concluſio. Ars vt eſt vnus ex quinque habitibus, & cõuenit in aliquibus cum Natura, & cum eadem differt in mul- In quibus natura cõ uenit cũ arte.

multis. Prima pars quo ad Conuenientiam ſic probatur: nam vtraque præſupponit Materiam, in quam agitur, vtraque ab imperfectioribus ad perfectiora procedit; vtra que non caſu, & temerè, ſed quaſi quibuſdam preceptis operatur: vtraque quantum poteſt, efficit opera ſimilia, Natura quidem in eſſendo, & Ars in repræſentãdo, vtraque eſt imitatrix, Etenim Natura imitatur Artem Diuinam Scilicet Idæam operis exequendi, vnde quo magis Natura aſſimilatur Arti Diuinæ, eo magis opera Naturæ dicuntur perfectiora: Ars vero imitatur Naturam: vnde eo magis extimantur arte facta, quo melius imitantur naturam.

Differẽtiæ inter artẽ & naturam.

3 Probatur modo altera pars cõcluſionis quo ad differẽtiam Artis cum Natura: nã in primis Natura eſt ſubſtãtia; Ars vero eſt accidens: Natura conuenit cum re naturaliter producta in eſſe reali, ſed Ars conuenit cum re Artificiali tãtum in eſſe obiectiuo; Rurſus Natura eſt Principium Phiſicum, & reale rerum naturalium, ſed Ars eſt principium ſolum per directionem, non per veram efficientiam, vt in ſequenti Dubitatione latius oſtendetur, idque alij explicant, quod Natura eſt principiũ Actionis naturalis quo ad Subſtantiam: Ars vero quo ad modum, actiones modificando, non quod Ars effectiuè concurrat ad illum modum: ſed tantum directiuè.

4 Secunda concluſio: Ars pro forma introducta ab Artifice in Materia; in quo ſenſu dicitur opus artefactum, differt à Natura, & rebus naturalibus, primo, quia naturalia vt ſic habẽt in ſe internum principium motus, nõ item artificialia: nam Forma artificialis non eſt principiũ per ſe motus, ſed per accidens; Secũdo, quia Formę artificiales sũt in ſuperficie tãtum: Naturales vero ſunt intimę, & intrinſecę; tertio, quia Materia prima naturaliter inclinatur ad Formas naturales: ſed Materia artis vel violenter, vel neutraliter ſe habet ad Formas artificiales; 4. Materia naturalium eſt eſſẽtialiter ens incompletum: ſed Materia artificialium eſt ens eſſentialiter completũ; Quinto. Materia, & Forma naturalium faciũt vnum per ſe, quia ſe habent vt per ſe actus, & potentia, non ſic Materia, & Forma artificialium.

5 Ex quibus inferri poteſt, quod ſi naturalia comparã-

tur cum artificialibus, quatenus hæc includunt tam Materiam, quę ſũt res naturales, quam Formam artificioſam; ſic naturalia Secundum quid ſunt imperfectiora artificialibus, quia ſicut Subſtantia perficitur, & ornatur accidentibus, ita natura perficitur per Artem: Aſt ſi Naturalia, & Artificialia comparãtur ad inuicem, quatenus non ſe includunt, ſed quatenus ſunt diſparata, & diuerſi ordinis: ſic Naturalia ſunt ſimpliciter perfectiora Artificialibus, quia naturalia ſunt Subſtantiæ, artificialia vero accidentia, & hæc ordinantur ad illa tãquam ad finem.

DVBITATIO SECVNDA.

V. Ars poſſit efficere opera Naturę?

1 QVod per Artẽ poſſit fieri opus naturę, videtur poſſe probari multipliciter, tum primo, quia per Artem poteſt fieri Vitrũ, ergo pari ratione poteſt fieri Aurum: ſed Vitrũ, & Aurum eſt ens naturale, ergo &c. tum Secundo, per Artem magicã poſſunt fieri Serpentes, & plura Animalia, quæ ſint verè, & realiter ſenſitiũa, ergo per Artẽ poteſt fieri opus Naturæ: antecedens eſt notum, quia Magi Pharaonis fecerũt veros Serpentes, probatur conſeqentia, quia Forma Senſitiua eſt nobilior, quam forma inanimata.

2 Veritas tamen nobis probanda, & Subſtinenda cum omnibus vtriuſque Scholæ doctoribus eſt, Artem nullo modo poſſe attingere opera Naturæ, nec ea efficere propria virtute, aut tanquã cauſam per ſe, ſed ſolum tanquam conditionem ſine qua non, applicando actiua paſſiuis; itaquo ad vtramque partem Ægidius in Quolib. 3. q. 8. & probatur prima pars primo expreſsè à philoſopho cap. præſenti, vbi docet, artificialia non habere in ſe principium motus intrinſecum; imo neque vllam agendi virtutem, intellige autem de Artificialibus formaliter, & vt ſunt diſtincta à Naturalibus: nam ſi Artificialia ſumantur, vt includunt Naturalia, vtique poſſunt efficere opera Naturæ, hoc tamen non erit ratione ſui, nec propria virtute, ſed ratione, & virtute eorumdem naturalium; probatur ſecundo eadem prima pars ratione, adnotando prius, quod omnia Naturalia procedunt ex determinatis

Concluſio ſubſtinẽda.

Probatur cõcluſio ratione

terminatis principijs: & quãto magis aliqua naturalia ſunt perfectiora, tanto magis determinant ſibi propria principia, vt Animalia perfecta determinant ſibi non ſolum principium actiuum, & principium paſſiuum, ſed etiam proprium locum ſuæ Generationis: vnde AEquus determinat ſibi proprium principium actiuum, quia naturaliter non fit ęquus niſi ab ęquo, determinat etiam ſibi principium Materiale, quia AEquus non fit niſi ex Meſtruo AEquæ: Rurſus determinat etiam ſibi propriũ locum Generationis, videlicet Matricem æquę, extra quam nunquam naturaliter fit æquus, alia autem etiam naturalia, quæ non ſunt ita perfecta, non determinant ſibi totprincipia, vt Animalia, quæ fiunt ex putrefactione, non determinant ſibi proprium locum Generationis, ſed fortè determinant ſibi Materiã putręſcibilem; vt Apes generantur ex carnibus bouinis, Veſpæ ex carnibus æquinis, Muſciliones ex Vino corrupto &c. Alia autem etiam naturalia determinant ſibi locum, vt vinum determinat ſibi ventrem vitis, & huiuſmodi locum Generationis potiſſimè determinant ſibi entia naturalia, quæ ſunt perfecta in aliquo genere, vnde quæ ſunt perfectiora in Genere Animalium, determinant ſibi matricem, & proprium Generationis locum, Ignis etiã qui eſt perfectior in Genere elementorum, non habet eſſe niſi in concauo Lunæ, ſic etiã metalla perfecta determinãt ſibi proprium locum Generationis, vt ventrem Terræ, vel venas Terræ, extra quem locum non poteſt naturaliter eſſe Generatio huiuſmodi metallorum perfectorum, nempè Verum Aurum, vel verum Argentũ, & licet aliquando in metallis poſſit fieri pmutatio quãtum ad colorem, vel quantũ ad aliqua accidentia, quantum tamen ad Speciẽ, & quãtum ad Formas Subſtantiales non poſſunt permutari metalla, nec fieri niſi in proprio loco Generationis:

Entia naturalia procedunt ex determinatis principijs.

3 Hac adnotatione pręmiſſa, probatur prima pars poſitæ aſſertionis, quia artificialia vt diſtincta à naturalibus, non ſunt Subſtantiæ, ſed accidentia, ergo Artificialia quatenus talia non habent virtutem, per quam poſſint efficere opera naturæ, nec minus principium motus intrinſecum; probatur conſequentia, quia Opera naturæ ſunt perfectiora artificiali-

bus, ergô hæc non poſſunt attingere illa propria virtu te, alioquin effectus erit perfectior propria cauſa, nec mi nus in virtute Subſtantiæ, quia cum artificialia á Subſtantia non procedant, eius inſtrumenta eſſe non poſſunt.

Diſcrimen inter vitrũ, & aurum.

4 Probatur modo ſecunda pars, quod Scilicet artificialia poſſint attingere naturalia, applicando actiua paſſiuis: nam Diuus Auguſtinus 10. lib. de ciuit. Dei cap. 11. aſſerit, Demonum induſtria aliquando fieri plures naturales effectus, & aliquando præter comunẽ curſum naturæ, cuius rei redens rationem, inquit, quia cum per Scientiam naturalem, quam habent perfectiſſimam, euidenter cognoſcant virtutes rerum naturalium, ſciunt quoque ſic applicare actiua paſſiuis, vt ſic applicata tales vel tales effectus poſſint producere, Idque videmus experientia in arte Medicinæ, per quam ita benè applicantur virtutes naturales lapidum, herbarum, & radicum humanis corporibus, vt non ſolum ſanitatem naturalem eis conferant, ſed aliquo modo mirabilem, & quæ videntur quaſi præter comunẽ curſum naturæ inducta, & in rebus familiaribus videmus Generationem pullorũ fieri per ſolam applicationẽ Gallinæ, cuius calore quaſi fouetur virtus Sementiua exiſtens in ouis, & pulli ædun tur; quotiescunque ergo effectus naturales vidẽtur procedere ab arte vel Demonũ, vel Hominum, tunc huiuſmodi á virtute rerum naturalium, quæ ad illas applicantur, procedunt tanquam à cauſa per ſe, ab Arte vero ſolum vt á cauſa applicante.

5 Nunc Reſpondetur rationibus in oppoſitum. Ad primam, dicẽdum eſt, non eſſe eandem rationem de Vitro, & auro: nam vitrum reſpectu metallorum ſe habet ſicut animal ex putrefactionẽ reſpectu naturaliũ perfectorum: ſicut ergo inter animalia Senſitiua illa, quæ fiunt ex putrefactione, poſſunt fieri per artem, quia talia non exigunt proprium, & determinatum locum Generationis: alia vero Animalia perfectiora non poſſunt fieri per Artem, quia talia determinant ſibi locum proprium Generationis, ita quamuis Vitrum, quod nõ determinat ſibi locum, poſſit fieri per artem: Aurum tamen, vel aliud metallum perfectum nõ poteſt fieri per Artem.

6 Quod vt melius explicetur, not. eſt cum AEgid. vbi ſu-

ſupra, quod aliqua ſunt à Natura, aliqua ab Arte, & aliqua partim à Natura, & partim ab Arte, Sanitas enim partim eſt à Natura, & partim ab Arte medicinæ: nam medicus coniungendo actiua paſſiuis, & dando infirmo calefacto Scirupum infrigidatiuum, reducit ipſum ad temperamentum, & ſanat eum: ipſa ergo coniunctio actiuorum, & paſſiuorum eſt ab Arte: ſed actio actiuorum in paſſiuo eſt à Natura, propter quod ex tali actione poteſt induci naturalis Forma, artifex igitur coniungendo debita actiua debitis paſſiuis, poteſt facere Vitrum, ſed nō poteſt facere verum Aurum; quia hoc determinat ſibi vētrem Terrę.

7 Ad Secundum conceſſo antecedente, quod per Artem poſſint fieri aliqua naturalia ſenſitiua, neganda eſt conſequentia, quod etiam per Artem poſſint fieri opera Naturæ, ad cuius probationem dicimus, quod ſi per Alchimiam non poteſt fieri verum Aurum, & per artem poſſunt fieri Serpentes, Apes &c. id non prouenit, quia Forma metalli ſit perfectior, & nobilior, quam Forma ſenſitiua: ſed quia inter metalla, quæ ſunt perfectiora, vēdicant ſibi determinatum locum Generationis, Animalia vero ex putrefactione proprium locum Generationis ſibi non determinant.

QVÆSTIO SECVNDA

DE CAVSIS.

HÆc eſt altera in præſenti Diſputatione Quæſtio principalis: agitque Philoſophus de Cauſis à textu 27. huius 2. libri vſque ad finem: quia tamen cauſæ vel ſunt per ſe, vel per accidens, & de Cauſis per ſe poteſt eſſe tractatio vel in comuni, vel in particulari, ideo primo agemus de cauſis per ſe in comuni. Poſtea de cauſa Materiali, & Formali; tertio loco de Cauſa efficiente. Quarto loco de Cauſa finali; deinde de cauſis inter ſe earumque effectibus ſibi inuicem comparatis; vltimo de Cauſis per accidens.

DE CAVSIS PER ſe in Comuni.

DVBITATIONES TRES.

Dubitatio Prima. Quid ſit cau-

cauſa phiſica in comuni?

Dubitatio Secunda. In quo conſiſtat cauſalitas cauſæ Phiſicæ in comuni?

Dubitatio Tertia. quotuplex ſit cauſa Phiſica?

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit Cauſa Phiſica in Comuni?

1 VAria ſunt Doctorũ placita, in aſſignãda ratione quidditatiua cauſæ in comuni: relicta tamen omni inutili multiplicatione Verborum, nobis dicendum eſt cum comuni conſenſu Sapientiorum. *Cauſam eſſe id, ad cuius eſſe, ſequitur aliud.* Ita D. Thom. 2. Phiſic. Lect. 10. D. Bonauent. in p. diſt. 12. q. 2. art. 2. & noſter AEgid. lib. de cauſis: probatur autem bonitas huius diffinitionis ex explicatione eiuſdem: nam dicitur (Id) ideſt principium; quod ſtat loco Generis reſpectu omnis cauſæ, dicitur (ad cuius eſſe) abſtrahendo ab eſſe reali, vel intentionali, propter finem, & propter eandem particulam excluditur à ratione cauſæ non ſolum Priuatio, quę formaliter non dicit eſſe, ſed tãtum carentiam entitatis: ſed etiam ratio ſeminalis, quæ non habet eſſe Simpliciter, ſed eſt modus eſſendi; dicitur ly (ſequitur) per dependentiam realem, & per ſe, quod arguit diſtinctionem realem inter eſſe cauſæ, & eſſe effectus, propter quod in Diuinis nulla eſt ratio cauſę, quia ibi nec ſunt plura eſſe diuerſa: ſed vnicum Simpliciſſimum. nec eſſe vnius Perſonæ Diuinæ ſequitur ad eſſe alterius; excluditur etiam per eandem particulam à ratione cauſæ Relatiuum formaliter Sumptum pręſertim prædicamentale, quia hoc licet habeat eſſe diuerſum ab eſſe ſui correlatiui, & termini, vnum tamẽ non ſequitur ex alio: ſed ambo ſequũtur ſimul ex eſſe fundamenti, & termini; dicitur tandẽ ly (aliud) vt Intelligamus, effectum ſemper debere eſſe diſtinctum Secundum ſuum eſſe à ſua cauſa, & propter hãc eandem particulam negatur in Diuinis ratio cauſę; quia in Diuinis eſſe vnius Perſonæ non eſt aliud ab eſſe alterius.

Explicã tur ſingulę particulæ diffinitionis.

2 Sed Contra hanc diffinitionem cauſæ ſic explicatam Obijcies. ex Effectibus ſequitur, eſſe cauſas: imo magis ad eſſe effectus ſequitur cauſa, quam è contra, nam ſine additione alterius, ex poſitione effectus ſtatim ſequitur

tur poſitio cauſæ : aſt ex poſitione cauſæ non ſtatim ſequitur effectus, niſi vel applicatis cęteris cauſis, vel remotis impedimentis. Reſpondetur; quod per ly, *Sequitur*, intelligitur realis, & naturalis dependentia; quam dependentiam nō habet cauſa ab effectu, ſed potius è contra: ex effectibus igitur ſequitur cauſa ſolum quo ad illationem, & cognitionem, nō autem quo ad dependentiam. Secūdum eſſe reale, & propterea data diffinitio cauſæ non conuenit Relatiuis: nam ad eſſe vnius relati nō ſequitur eſſe relati cōſequutione Phiſica, ſeu per realem dependentiā, & quantum ad eſſe reale, ſed ſolum conſequutione Logica, ideſt per illationem, quatenus ſibi inuicem inferuntur.

Solutio

DVBITATIO SECVNDA.

Quid ſit, & in quo conſiſtat cauſalitas cauſę Phiſicę in Comuni?

1. THomiſtæ aſſerūt, vel cauſalitatem in actu Secundo nihil prorſus addere ſupra entitatem abſolutam cauſæ, & effectus, ſed ſolum dicere virtutem cauſatiuam cauſęcum connotatione exiſtentiæ effectus; vel ſi cauſalitas dicit aliquid ſuperadditum entitatibus cauſæ, & effectus, tale ſuperadditum non eſt Relatio. Probant primum, quia ſi cauſalitas eſſet aliquid ſuperadditum entitati cauſæ, & effectus, vel eſſet, quid abſolutum, & hoc non, quia cauſalitas non poteſt concipi ſine ordine ad cauſatum: vel eſt quid relatiuū, & hoc neque, quia cauſalitas præcedit effectū: Relatio autem conſequitur, ad hūc poſita cauſalitate, & effectu; Secundo non apparet in quo Subiecto ſit huiusmodi cauſalitas: nam non eſt in ipſo principio cauſante; quia tecipiendo illam, cauſaretur; ſicut enim Actio infert paſſionem in Subiecto, in quo eſt, ita & cæteræ cauſalitates: nec eſt in ipſo cauſato; tum quia cauſalitas eſt prior natura, quam terminus, cum etiam quia denominaret illum cauſantē; tertio, ſi cauſalitas eſt aliquid de nouo aduenięns ſupra entitatem cauſæ: cum talis cauſalitas ſit effectus, indigebit alia noua cauſalitate diſtincta, vel certè ſi cauſalitas ſe ipſa pēdet à cauſa ſine alia cauſalitate ſuperaddita, idē prorſus dici poterit de effectu, ipſum Scilicet non eſſe à cau-

ſa per cauſalitatem diſtinctã ab eſſentia cauſæ. Quarto; Omnis creatura ita procedit à Deo, vt nulla cauſalitas realiter diſtincta mediet inter Deum, & Creaturam, ergo idem dicendum de omnibus alijs cauſis.

2 Deinde probant Secundum, quia cauſalitas actualis eſt quædam via, qua acquiritur effectus, & ipſa mediante, dicitur cauſari effectus: ſed Relatio non eſt de Genere actiuorum, nec eſt prior effectu cauſato; ergo cauſalitas cauſę actualis non poteſt cõſiſtere in relatione. Deinde cauſalitas actualis cauſæ eſt ratio fundandi illã relationem, quę cõſequitur, poſito effectu; etenim cauſa ideo refertur ad effectum, quia in ipſum influit eſſe, ergo cauſalitas non poteſt cõſiſtere in illa relatione, ſed potius in præuio influxu. Tertio; cauſalitas cauſæ efficientis non eſt Relatio, ſed potius eſt actio, ſupra quam fundatur relatio efficientis, ergo idem dicendum de omni alia cauſa, cum ſit eadem ratio; quarto cauſa in actu ſecundo vel nihil addit ſupra actum primum, vel aliquid? ſi primum, habetur intentũ, ſi Secũdum, ſic arguitur; illud ſuperadditum antecedenter ad omnem relationẽ nequit eſſe relatio, vt patet, nec eſſe poteſt effectus, quia effectus non eſt actualis operatio cauſæ, ſed potius terminus talis operationis, cauſalitas ergo erit quidam influxus medius inter cauſam, & effectum.

3 Sed Scotiſtę apud Maſtriũ, & bellutum Diſput. 5. q. 2. docent, cauſalitatem formaliter ſumptam eſſe aliquid ſuperadditum entitatibus abſolutis cauſæ, & effectus, quod ſuperadditum dicunt, non eſſe aliquid præcedens ordine naturæ entitatem effectus, nec aliquid medians inter effectum, & cauſam; ſed ſolam relationem cauſæ ad effectum, ac proinde eſſe natura poſteriorem effectu; probant hoc primo, quia cauſa, vt cauſa formaliter eſt concretum relatiuum reſpiciens effectum pro termino, ergo conſtituitur in tali eſſe per relationem cauſalitatis. Secũdo; quia effectus formaliter ſumptus nihil aliud dicit niſi relationem effectus ad Cauſam, quæ eſt quædã dependentia paſſiua, ergo cauſa formaliter nihil aliud dicit niſi relationem cauſæ ad effectum. tertio, Deus dicitur cauſa rerum omnium ad extra per terminationem eſſentialis dependentiæ rerum omnium ad ipſum, cũ Deus

non ſit capax mutuę Relationis correſpondentis, ergo in cauſis creatis capacibus relationum cauſalitas Formaliter non conſiſtit in alio niſi in relatione cauſę ad effectũ. Quarto, aliud eſt inquirere, per quid cauſa cauſet, aliud per quid denominetur, formaliter cauſa, quamuis ergo cauſa non cauſet per relationem tanquam per rationem agendi, quia relatio non eſt de Genere actiuorũ, ad huc tamen poteſt, & debet per eam denominari formaliter cauſans, & influens.

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

4 Cauſalitas actualis, cauſæ Secundum id, quod eſt, ſeu fundamentaliter eſt ipsũ eſſe cauſę comunicatum effectui, ſeu ipſum eſſe cauſæ participatum ab effectu: formaliter tamen eſt Relatio Secundum dici, quia includit quemdam modum reſpectiuũ ad Cauſatum. Sic non parua ingenij mei difficultate deduxi ex AEgidio in Quolib. 6. q. 4. idque ſic declaratur: nam cauſalitas actualis cauſæ eſt actus Secundus, de nouo adueniens ipſi cauſę; & potens ab ea realiter ſeparari: imo cauſalitas, in actu Secundo facit compoſitionẽ cum ipſa cauſa in actu primo, quia omnis actus aduenienſ ſuæ potentiæ, facit compoſitionem cum illa: eſt igitur compoſitior cauſa actualiter cauſans ſeipſa, non actu cauſante, & quia omnis compoſitio vel eſt ex Materia, & Forma, vel ex Subiecto, & Accidente, vel ex eſſentia, & eſſe, videndum eſt, quam compoſitionem faciat cauſalitas, quæ eſt actus Secundus, cum ſua cauſa, quæ eſt in potentia ad talem actum, & certum eſt, non facere cõpoſitionem ex Materia, & Forma, quia hæc eſt compoſitio Specialis, quæ ſolum fit à Natura in rebus materialibus: nec facit compoſitionẽ ex Subſtantia, & Accidente, quia hæc compoſitio fit ſolum ab Arte, quæ cum non inducat in Materia niſi Formas artificiales, quæ ſunt accidentia, & nullo modo poſſit inducere in Materia Formas Subſtantiales, non facit niſi compoſitionem ex Subſtantia, & Accidente, reſtat igitur, quod cauſalitas, quæ eſt actus Secundus, cum ſua cauſa, quæ eſt in potentia ad talem actum, facit cõpoſitionem ex potentia, &

Cauſalitas fundamentaliter eſt ipsũ eſſe cauſę communicatũ effectuj.

actu, ſeu ex eſſentia, & eſſe, ita vt ipſa cauſa nō actu cauſans ſe habeat reſpectu cauſalitatis, vt eſſentia, ſeu vt potentia, cauſalitas vero reſpectu cauſæ ſe habeat vt actus, & ipſum eſſe.

Eſſe eſt actus eſſentiæ.

5 Quod ſi petes, quid ſit hoc eſſe? dicimus, quod ſicut forma eſt actus, adueniēs Materiæ, & perficiens Materiam, potenſque à Materia realiter ſeparari: ſic ipſum eſſe eſt Actus eſſentiæ de nouo adueniens illi, eamque realiter perficiens, & potens ab ea realiter ſeparari.

Eſſe reducitur ad genus eſſentiæ.

6 Et ſi iterū petes, an hoc eſſe ſit Subſtantia, vel Accidens? dicimus, quod eſſe Simpliciter non dicit eſſentiam diſtinctam, & ſuperadditam Eſſentiæ, cui aduenit, ſed reducitur ad Genus ſuæ eſſentiæ, in qua ipſum eſſe recipitur, & ſic eſſe nec Simpliciter eſt Subſtantia, nec directè eſt Accidens, ſed ſi eſſe recipitur in eſſentia, quę pertineat ad Prædicamentū Subſtantiæ: tunc reducitur ad Genus Subſtantiæ tanquā actus Subſtantiæ: & ſi eſſe recipiatur in eſſentia, quæ directè pertineat ad prædicamentum accidentis: tunc ipſum eſſe reducitur etiam ad Genus accidentis: ſicut ergo punctus nec Simpliciter eſt Quantitas, nec Simpliciter eſt aliud prędicamētum: ſed eſt aliquid pertinens ad Genus Quantitatis tanquam eius terminus, ſic eſſe nec propriè eſt Subſtantia, nec propriè eſt accidens, ſed reducitur ad Subſtantiam, tanquam actus Subſtantiæ.

7 Quod autem Cauſalitas actualis cauſę formaliter sūpta ſit relatio Secuudum dici, ex eo conſtare poteſt, quia cauſalitas actualis cauſæ eſt quidam ordo cauſæ ad Cauſatum, hic autem ordo non eſt prædicamentalis, & Secundum eſſe, cum Relatio prędicamentalis Solum fundetur in Accidente, & cauſalitas actualis cauſæ aliquādo fundetur in Subſtantia, vt patet de Creatione reſpectu Creatoris, & vniuerſaliter de omni cauſalitate cauſæ Subſtātialis; erit igitur actualis cauſæ Relatio Secundum dici: & ſic Secundū id, quod eſt, eſt ipſum eſſe cauſæ communicatum effectui, quod eſſe includit quendam modum reſpectiuum ad Cauſatum.

Cauſalitas formaliter eſt relatio ſecū dū dici.

8 Cauſalitas ergo actualis cauſæ Secundum id, quod eſt, non dicit, nec addit eſſentiam diſtinctam vel ſupra eſſentiam cauſæ, vel ſupra eſſentiam effectus: ſed ſolum Secundum ſe eſt ipſum eſſe

cau-

cauſę comunicatum effectui, & quia eſſe rei Secundum ſe, ſicuti nō eſt propriè Subſtātia, nec propriè eſt Accidēs, ita nec propriè eſt quid abſolutum, nec propriè eſt quid reſpectiuum, ſed eſt actus eſſentiæ; in qua recipitur, ideo cauſalitas cauſæ, quæ conſiſtit in ipſo eſſe cauſæ, pro vt actu comunicatur effectui, Simpliciter non addit eſſentiam ſupra virtutē cauſatiuam, nec eſt Simpliciter quid abſolutum, vel Simpliciter quid relatiuum: ſed Secundum ſe eſt aliquid ſuperadditū, & ſuperueniens cauſę, potenſque à cauſa realiter ſeparari, quod eſt fundamentum Relationis cauſę ad Cauſatum, & hoc tantum volunt Thomiſtæ.

9 Cum hoc tamen etiam ſtat, quod Cauſalitas cauſæ Formaliter ſumpta, eſt quidam reſpectus, ſeu quędam relatio non Secundum eſſe, ſeu prędicamentalis, ſed tātum Secundum dici, quia cauſalitas actualis Formaliter ſumpta dicit ipſum eſſe cauſę nō quomodocumque, ſed comunicatum effectui, ſeu participatum ab effectu, & ſic cum aliquo reſpectu ad aliud, & ita explicanda eſt Sententia Scotiſtarum.

RESPONDETVR IN FORma Argumentis

Vtriuſque Sententię.

10 AD Thomiſtas dicēdum eſt, cauſalitatem in actu Secundo non addere eſſentiam ſupra entitatem abſolutam cauſę, & effectus, ſed addere eſſe, quatenus comunicatum effectui, quod eſſe includit quemdam reſpectum ad Cauſatum, & ad primum in Forma Reſpondetur, quod illud eſſe, quod addit cauſalitas actualis ſuper ētitatem cauſę, nec Simpliciter eſt quid abſolutum, nec minus eſt Simpliciter reſpectiuum; ſed Secundum ſe reducitur ad Genus ipſius cauſę: benè verum eſt, quod tale eſſe ſuperadditum entitati cauſæ includit quemdam reſpectum ad cauſatum, & eſt fundamentum Relationis Secūdum dici, modo iam explicato. Ad Secundum Reſpondetur, quod actualis cauſalitas cum non ſit propriè accidens, non eſt in alio tanquam in Subiecto, ſed dicit quoddam eſſe, quod recipitur in eſſentia cauſæ, habetque quemdam modū reſpectiuum ad cauſatum. Ad tertiū Reſpondetur, quod cauſalitas non eſt id, quod ſit,

ſed id, quo, ſeu eſt ratio agẽdi, & ſic propriè non eſt effectus, nec indiget noua alia cauſalitate diſtincta, ad hoc vt fiat, ſed ſe ipſa pendet à cauſa ſine alia cauſalitate ſuperaddita, effectus autem eſt id, quod fit, & propterea indiget diſtincta cauſalitate ſuperaddita. Ad Quartum dicimus, non eſſe eandem rationem de cauſalitate primę cauſę, & cauſarum Secundarum: nam Relatio primę cauſę eſt Relatio modo menſurę, quę in ipſa prima cauſa eſt Rationis, & non fundatur in eſſe realiter ſuperaddito eſſentię, ſed in eſſe, quod eſt ipſamet eſſentia prout comunicatur creaturis: aſt Relatio cauſarum Secundarum eſt relatio realis modo potentię, quę fundatur in eſſe reali realiter ſuperaddito virtuti cauſatiuę ipſius cauſę.

Alia argumenta, quę adducuntur pro Secunda parte aſſertionis, tantum probant, cauſalitatem actualem non eſſe Relationem Secundum eſſe, ſeu prędicamentalem, quę pręſupponit effectum cauſatum, quod verum eſt: non probant tamen, non eſſe relationem Secundum dici, id que clarius patere poteſt ex tertio argumento; nam cum dicitur, cauſalitas cauſæ efficientis nõ eſt relatio, ſed Actio: diſtinguendum eſt; non eſt Relatio Secundum eſſe, conceditur, non eſt relatio Secundum dici, negatur, nam Actio nec eſt res purè abſoluta, nec eſt relatio tantum, ſed eſt res ſub ordine; videãtur, quæ diximus in priori Tomo cap. de Actione.

11 Ad Scotiſtas vniuerſaliter dicendum eſt, cauſalitatem Formaliter Sumptam eſſe aliquod reſpectiuum ſuperadditum entitatibus abſolutis cauſę, & effectus, quia cauſalitas actualis ad huc formaliter duo dicit nempè ipſum eſſe cauſæ, & quemdam reſpectum ad Cauſatum, ex quibus formalior eſt cauſalitati actuali ipſe reſpectus ad cauſatum, quam ipſum eſſe: ſicuti Actio formaliter duo dicit nempè ipſam rem, & reſpectum ad Agens, ex quibus ipſa res eſt veluti materialitas Actionis, reſpectus vero ad Agẽs eſt formalitas: ita ad propoſitum: nam Relatio, quam dicit cauſalitas actualis, non eſt relatio prędicamentalis, & Secundum eſſe, ſed tantum Secundum dici, & ſic dicit ipſum eſſe cauſæ cum reſpectu ad Cauſatum, & ita ſatisfaciendum eſt ſingulis argumentis, ita vt concludant, cauſalitatem

actualem eſſe quidē relationem, non prædicamentalē, & Secundum eſſe, ſed traſcendentalem, & Secundum dici.

DVBITATIO TERTIA.

Quotuplex ſit cauſa Phiſica per ſe?

1 CAuſa per ſe vel eſt Prima, vel eſt Secunda; Prima alia eſt prima Simpliciter, vt De⁹, alia eſt prima in ſuo Genere, vt Materia in genere Materiæ, & Forma in Genere Formæ &c. cauſa Secunda adhuc eſt duplex, altera eſt vniuerſalis, vt cælū, alia eſt particuralis, vt ſublunaria, & cauſa particularis adhuc eſt duplex, Scilicet vel eſt totalis, vt ea, à qua pendet effectus ſine adiutorio alterius, vel eſt partialis, vt illa, quæ producit effectum adiuta ab alia cauſa particulari; Rurſus totalis vel eſt vniuoca, vt illa, quæ producit effectum ſibi ſimilem in ſpecie, vel eſt æquiuoca, vt illa, quæ non producit effectum ſibi ſimilem in ſpecie, vt ſol generans Hominem. Vlterius cauſa totalis vel eſt ſubordinata alteri cauſæ totali, ſiue eſſentialiter, vt omnes cauſæ ſecundæ, quæ eſſentialiter dependent à prima: ſiue accidentaliter, vt cauſæ ejuſdem generis, quarum vna non poteſt ſine altera operari; vel non eſt alteri ſubordinata, vt omnes cauſæ diſparatæ. Demum vel cauſa eſt principalis, vt eſt illa, quę agit virtute propria; v. g. Ignis comburens lignū, vel eſt inſtrumentalis, vt illa, quę agit in virtute principalis Agentis, vt Securis, ſerra &c. Nunc quęſtio eſt, ad quot Genera reducātur omnes huiuſmodi Cauſę?

2 Cui quęſito, ommiſſis omnibus dicendi modis, nobis cū Principe Philoſophorum Ariſt. hac vna concluſione ſatisfaciēdum eſt. Omnia Genera cauſarum per ſe non ſunt plura, nec pauciora quam Quatuor, nimirum Materialis, Formalis, Efficiens, & Finalis; Nec alia quęuis poteſt aſſignari cauſa, quę ad vnam ex quatuor prędictis non reducatur; ita omnis cōſenſus Philoſophorum, & probatur hac facili ratione: Nam omne, quod incipit eſſe in rerum natura, fit ab alio, ergo habet cauſam efficiētem, & quia quod incipit eſſe naturaliter, non fit ex nihilo, quia ex nihilo nihil fit ab Agente naturali, & omnis cauſa naturalis agit ex præſuppoſito ſubiecto, ſit, Concluſio principalis.

quod

quod id, quod incipit eſſe, habet cauſam Materialem, Rurſus quia efficiens dum verſatur circa Materiam, tranſmutat illam, & ex eius potentia educit Formã, hinc eſt, quod id, quod incipit eſſe naturaliter, habet cauſã Formalem. Tandem quia Agens naturale non operatur à caſu; ſed propter Finẽ, ſequitur; quod detur etiam cauſa finalis: quatuor igitur, & non plura, nec pauciora ſunt Genera Cauſarum Scilicet Materialis, Formalis, Efficiens, & Finalis.

3 Sed Obijcies Primo, quod vna tantũ ſit cauſa, Scilicet Efficiens: D. Auguſtinus lib. 83. queſtionum queſt. 2. ſic loquitur. *Qui quærit quare voluerit Deus, Mundum facere, cauſam quærit voluntatis Dei: ſed omnis cauſa efficiens eſt; omne autem efficiens maius eſt, quã id, quod efficitur, nihil autem maius eſt voluntate Dei, non ergo cauſa eius quærenda eſt*. Adiungi poteſt Ratio, quia cauſa vt cauſa refertur ad effectum, nam cauſare eſt aliquod efficere: ſed effectus non dicitur niſi ſolum de cauſa efficiente, vt patet, ergo ſola efficiens eſt cauſa.

Obijcitur, ꝙ ſola efficiens ſit cauſa.

4 Reſpõdetur cum AEgid. in 1. Sent. diſt. 29. q. p. litt. h. quod Secundum Commentatorem in p. Phiſic. ſicut elemẽtum per prius dicitur de Materia, & natura magis dicitur de Forma, & principiũ magis de Efficiente, ſic Cauſa quaſi per Antonomaſiam dicitur de Fine; Auguſt. ergo in illo loco dum dicit nõ eſſe quærendam cauſam, cur Deus voluerit creare Mundum, quia eſſet quærere cauſam Voluntatis Diuinæ, negat in Deo cauſam Finalem, ita vt fuerit Senſus, non eſſe quęrendum in Deo finem, cur voluerit creare Mundũ, & quia Finis quamuis formaliter diſtinguatur ab efficiẽte, tamen per concomitantiã poteſt dici Efficiens, quatenus Finis non poteſt habere locũ, niſi vbi eſt efficiẽs; ideo ait Auguſtinus, omnem cauſam eſſe Efficientem, intellige vbi non eſt Finis, vt contingit in Deo.

Explicatur quędam authoritas Auguſt.

5 Ad rationem dicimus, ꝙ in cauſa efficiente, tria poſſumus conſiderare Scilicet rationem principij, quatenus eſt id, à quo aliud, item rationem cauſę, quatenus eſt id, ad cuius eſſe ſequitur aliud, & tertio rationem efficientis, quatenus efficit, vel facit aliud, à ſuo eſſe diſtinctum ſic etiã effectus cauſæ efficientis poteſt tripliciter conſiderari, primo quatenus eſt id, quod ab alio, & ſic

Satisfit ad rationem.

ſic eſt correlatiuũ ſolius principij: Secundo, quatenus eſt id, cuius eſſe ſequitur ab alio, & ſic eſt correlatiuum cuiuslibet cauſæ, tertio, poteſt cõſiderari quatenus eſt factus, ſeu effectus, & ſic eſt correlatiuum ſolius efficientis.

9 Obijcies Secundo, quod nec Materia, nec Forma, nec Finis ſint cauſæ: Materia nõ poteſt dare aliquod eſſe effectui, cum ipſa ſit pura potentia, & effectus ſit in actu, ergo Materia non eſt cauſa. Similiter Forma nec dat alicui aliquod eſſe, quia non dat eſſe Materiæ, cum hæc præexiſtat Formæ, nec dat eſſe Compoſito, cum hoc prius, & principalius fiat: potius ergo Forma accipiet eſſe à compoſito, quã è contra, Neque Finis poteſt dici cauſa; tũ quia cauſa eſt principium, quod opponitur fini, tum quia Finis non exiſtit realiter, ſed tantũ Intẽtionaliter: Reſpondetur; ad illud de Materia, & Forma patebit in ſequentibus; cum declarabitur cauſalitas vtriuſque. Ad illud de Fine dicimus, quod Finis non opponitur principio abſolutè, ſed principio, vnde motus, quod eſt efficiens. quomodo autem Finis cauſet, non exiſtens realiter, ſed tantũ intẽtionaliter? in ſequentibus

Obijcitur, ꝙ materia & forma, & finis nõ ſint cauſæ

cum agemus de cauſa finali, declarabitur.

7 Obijcies 3. Obiectum potentiæ eſt cauſa actus eiuſdẽ potentiæ: ſed non apparet, ad quod Genus cauſę ex quatuor enumeratis poſſit reduci, ergo plura ſunt genera cauſarum quã quatuor. Reſpondetur; Obiectum reſpectu potentiæ, & actus poſſe dupliciter cõſiderari, primo in ratione motiui; & tũc reducitur ad Genus cauſę efficientis; Secundo in ratione terminãtis, & hoc modo vel reducitur ad Formã extrinſecam, quatenus ſpecificat potentiam, & actum, vel rectius dicas, ſic non eſſe cauſam, ſed purum Terminum ſpecificantem ſine vllo influxu, ſeu ſine comunicatione alicuius eſſe, ſed per ſolã habitudinem alterius ad ipſum, vt dici ſolet de Termino Relationis, & de ſuppoſito reſpectu naturæ.

8 Obijcies 4. Ariſt. 5. Methap. text. p. ait; tot modis dici cauſam, quot principiũ: ſed inter principia numeratur Priuatio, & hanc idem Philoſophus 12. Meth. text. 12. vocat cauſam, ergo &c. & confirmatur, quia 4. Methap. text. 3. cauſa, & principium reciprocantur, ſicut ens, & vnum, ergo &c. Reſpondetur: ad principale ly

(tot

(tot modis) ſumendum eſſe negatiuè, ideſt non pluribus modis, idque ex eo deducitur, quia omnis cauſa eſt principium, Ad Confirmationem dicimus ibi nomen Cauſæ non ſumi philoſophicè, ſed in latiſſima Significatione, quo modo etiam occaſio, & conditio ſine qua non, ſolet dici cauſa, & hac ratione in 12. Methap. Priuatio vocatur cauſa, & in Diuinis Græci vtuntur nomine Cauſæ.

9 Aliæ obiectiones, quæ poſſent augere, vel minuere numerum cauſarum, ex dicendis in ſequentibus diſſoluentur.

DE CAVSA MATERIALI, & Formali.

DVBITATIO VNICA.

In quo conſiſtat cauſalitas cauſa Materialis, & Formalis, tam quoad ſe inuicem, quam reſpectu compoſiti, & quotuplex ſit effectus vtriuſque cauſæ?

1 SVppoſitis his, quę diximus in pręcedentibus Dubit. 2. & Diſput. de cauſa Materiali, & Formali q. 3. per totam, facilè nunc ſatisfaciemus ſingulis partibus quæſiti præſentis per duas ſequentes concluſiones.

2 Concluſio Prima. Sicut Materia, & Forma vniuntur ſeipſis abſq; eo, quod inter vtramque mediet Tertia eſſentia diſtincta, & vniuntur etiam mediatè per aliquem modum ſuperadditum entitatibus vtriuſque, ita cauſalitas actualis vtriuſque cauſę tam quo ad ſe inuicem, quã reſpectu compoſiti non eſt aliqua eſsẽtia diſtincta, & ſuperaddita entitatibꝰ vtriuſque, ſed eſt ipſum eſſe vnius cujuſque cauſæ, pro vt habet reſpectum ad Cauſatum: vnde cauſalitas Materię, & Formæ tam quo ad ſe inuicem, quam reſpectu compoſiti eſt ipſum eſſe Materię, pro vt eſt ſub Forma, & ipſum eſſe Formæ, pro vt eſt in Materia, ſeu (quod idem eſt) Vnio Materiæ cum Forma, & Vnio Formæ cũ Materia ſunt cauſalitates actuales, & Speciales Materię, & Formæ tam quo ad ſe inuicem, quam etiã reſpectu compoſiti: quę ambæ vniones, ſeu cauſalitates ſolent aliter explicari, ita vt cauſalitas Materiæ erga formam, & compoſitum ſit paſſiua receptio Formæ, cauſalitas

litas vero Formæ erga Materiam, & compoſitum eſt actiua informatio Materię, ſeu eſſe Formæ comunicatum Materię: Nec indiget hęc cõcluſio explicatione, & probatione maiori: cum ex dictis in locis ſupracitatis ſatis liqueat.

3 Sed Obijcies; ergo cauſa Materialis, & Formalis non diſtinguitur à cauſis extrinſecis; probatur cõſequentia; quia etiam cauſalitas cauſarum extrinſecarũ eſt aliquod ſuperadditum entitatibus earumdem cauſarum: Reſpondetur; diſcrimen inter cauſas intrinſecas, & extrinſecas eſſe in hoc, quod cauſalitas cauſarum Intrinſecarũ eſt aliquid in ipſis cauſis: cauſalitas vero cauſarum extrinſecarum eſt aliquod in cauſatis.

4 Secunda concluſio. Quãuis cauſalitas actualis Materiæ tam reſpectu Formę, quã reſpectu compoſiti realiter diſtinguatur à cauſalitate Formæ tam reſpectu Materię, quam reſpectu Compoſiti; tamen cauſalitas Materiæ reſpectu Formæ non diſtinguitur realiter à cauſalitate eiuſdem Materiæ reſpectu compoſiti; nec minus cauſalitas Formæ reſpectu Materię diſtinguitur realiter à cauſalitate eiuſdem Formę reſpectu compoſiti. Prima pars huius aſſertionis probatur ex eo, quia cauſalitas Materiæ tam erga Formam, quam erga compoſitum eſt vnio Materiæ cum Forma, ſeu eſſe Materiæ communicatum Formę: cauſalitas vero Formæ tam reſpectu Materię, quam reſpectu compoſiti eſt vnio Formæ cum Materia, ſeu eſſe Formæ comunicatum Materiæ; ſed eſſe Materiæ comunicatum Formæ diſtinguitur realiter ab eſſe Formæ, quod comunicatũ Materiæ, ſicuti vnio Materiæ cum Forma diſtinguitur realiter ab vnione Formæ cum Materia, ergo cauſalitas Materiæ tam reſpectu Formæ, quam reſpectu compoſiti realiter diſtinguitur à cauſalitate Formæ tam reſpectu Materiæ, quam reſpectu compoſiti.

Cauſalitas materiæ diſtinguitur à cauſalitate Formę.

5 Probatur modo altera pars, quod ſcilicet cauſalitas Materiæ erga Formam non diſtinguatur realiter à cauſalitate eiuſdem Materię erga compoſitum, & quod cauſalitas Formæ erga Materiã nec realiter diſtinguatur à cauſalitate eiuſdẽ Formæ erga compoſitum, quia eo ipſo quod Materia comunicat actu ſuum eſſe Formæ, & fit ſub Forma, & Forma actu comunicat ſuum eſſe Materiæ, & recipitur in Materia,

teria, ſtatim per neceſſariam conſequētiam reſultat compoſitū, quod nihil aliud eſt, niſi eſſe Materiam actu ſub Forma, & Formam actu in Materia, ergo nec cauſalitas Materiæ erga Formam diſtinguitur realiter à cauſalitate eiuſdem Materiæ erga compoſitum, nec cauſalitas Formæ erga Materiam realiter diſtinguitur à cauſalitate ejuſdem Formæ erga compoſitum.

DE CAVSA EFFICIENTE.

DVBITATIONES NOVEM.

Dubitatio Prima. Quid, & Quotuplex ſit Cauſa efficiens?

Dubitatio Secunda. An Subſtantia Creata ſit immediatè operatiua alicuius effectus?

Dubitatio Tertia. In quo conſiſtat cauſalitas cauſæ efficientis in actu ſecundo?

Dubitatio Quarta. An Cauſæ Secundæ habeant veram efficientiam in productione effectuum, vel ſolus Deus totum efficiat ad præſentiam cauſarum Secundarum?

Dubitatio Quinta. An Accidens poſſit attingere productionem Subſtantiæ, ſeu an Inſtrumentum poſſit attingere effectū principalis Agentis?

Dubitatio Sexta. An Accidentia concurrant ad productionem aliorum Accidentiū vt cauſæ principales, vel vt inſtrumenta?

Dubitatio Septima. An Deus concurrat immediatè, & per ſe ipſum cum Secundis cauſis ad omnes effectus earum?

Dubitatio Octaua. An Idea, & exemplar reducantur ad Genus cauſæ efficientis, vel ad Genus alterius cauſæ?

DVBITATIO PRIMA.

Quid, & Quotuplex ſit Cauſa Efficiens?

1. SVpponimus, cauſam efficientem eſſe; nam experientia conſtat multa habere eſſe poſt non eſſe: neceſſariò deduci debere ab aliquo efficiente, cuius reſpectiuo eſſe quæ ponuntur in eſſe, cum nulla res ex ſe ipſa accipiat eſſe, ſuppoſita quæ non exiſtentia cauſæ efficientis. Duo ſub vno titulo in præſenti Dubitatione quæruntur. Primum eſt quid ſit cauſa, idest quid ſit cauſa efficiens. Secundum eſt quotuplex ſit eadem cauſa, & quæ

que parti duplici ſequēti cō-cluſione Reſpondetur.

2 Prima concluſio. Cauſa efficiens eſt Principium Primum, vnde Motus, aut Quies Ita Ariſt. 5. Methap. cap. 2. & 2. Phiſic. cap. 3. & cum eo omnes Philoſophi; dicitur (Primum principium) loco Generis, in quo conueniunt omnes cauſæ; & ly primum non ſumitur primitate Simpliciter, quomodo Deus tātum dicitur cauſa *Prima*, & diſtinguitur contra Secundā Neque dicitur primum primitate immobilitatis, quaſi illud ſolum ſit efficiēs, quod mouet immotum, nam etiā mouētia mota ſunt vere cauſæ efficientes; nec dicitur Primum primitate principalitatis, quaſi quod ſola cauſa principalis ſit efficiens, & nō cauſa inſtrumentalis: ſed dicitur ly *Primum* Primitate ordinis in ordine ad effectū; nam omnis cauſa debet eſſe prior ſuo effectu prioritate ordinis, vt alibi dictum eſt dicitur (*vnde*) vt à ratione cauſæ efficientis excludantur omnes aliæ cauſæ: nam nec Materia, nec Forma, nec Finis eſt principiū, vnde motus: ſed Materia eſt principium, ex quo motus: Forma eſt principium, in quod tēdit motus, finis tandē eſt principium, cuius gratia fit motus.

Explicatur diffinitio cauſę efficiētis.

3 Sed Contra hanc diffinitionē cauſæ efficientis obijcies primo; talis diffinitio cōuenit etiam Naturæ, nam hæc quoque eſt primū principium motus, & quietis ergo &c. Reſpondetur; Naturā excludi à ratione cauſæ efficientis per illam particulam (*vnde*) etenim Natura non eſt principium, vnde motus, ſed indeffinitè eſt principiū motus; & jam annuimus, quod ſi Natura accipiatur pro Materia, eſt principium, ex quo motus; ſi vero pro Forma, eſt principium, in quod terminatur motus.

Natura non eſt cauſa efficiēs.

4 Obijcies Secundo; Priuatio non eſt cauſa, & tamen eſt principium motus, ergo &c. Reſpondetur; Priuationē excludi à ratione cauſæ efficientis per illam particulam (*vnde*): nam Priuatio propriè, & in rigore nō eſt principium, vnde motus; ſed tātum eſt principium, à quo motus; eſt que latum diſcrimen inter eſſe id, à quo, & eſſe id, vnde, quia ly *à quo*, poteſt competere principio, non habenti eſſe, & rectè dici poteſt, nihil eſt id, à quo incipit creatio: aſt ly *vnde* non poteſt appropriari principio, non habenti aliquod eſſe; quia non rectè dicere-mus, Nihil eſt id, vnde incipit generatio.

Priuatio non eſt cauſa efficiens.

5 Obijcies tertio; Data diſfinitio de cauſa efficiente, conuenit etiam Fini: nã hic eſt principium, vnde incipit motus; ergo &c. Reſpondetur primitatem finis eſſe quo ad intentionem: ſed primitatem efficientis eſſe quo ad exequutionem: vnde Finis non eſt principium, vnde incipit motus: ſed eſt id, propter quod, ſeu in gratiam cuius incipit motus.

Finis diſtinguitur ab efficiente.

6 Obijcies 4. Omnis conditio ſine qua non, ſaltem illa, quæ nec à Deo poteſt ſuppleri, eſt id, vnde incipit motus: & tamen nulla conditio ſine qua nõ eſt propriè cauſa efficiens; ergo &c. Reſpondetur omnem conditionem (quæcunque ſit illa) excludi à ratione cauſæ efficientis per ly (*Primũ principium*) nam conditio requiſita ad motum, ſemper ſupponit principipium, vnde incipit motus.

Cõditio excluditur à ratione efficientis

7 Secunda concluſio. Cauſa efficiens multiplex eſt & primo diuiditur in cauſam per ſe, vt ſtatuarius, à quo per ſe procedit ſtatua, & in cauſam per accidens, vt Muſica, à qua per accidens procedit ſtatua. Secũdo, diuiditur cauſa per ſe in Phiſicam, & moralem, & Phiſica eſt illa, quæ habet realem influxum in effectum, vel neceſſario, vt Ignis in Ignem, vel liberè, vt Deus in creaturam; vel etiã Homo reſpectu aliquarum operationum. Moralis vero eſt illa, quæ licet vt talis non influat in effectum; in ordine tamen ad mores ita ſe habet, ac ſi realiter influeret, vt conſulentes, præcipientes, & non impedientes, cũ poſſint, & debeant. Tertio; prætermiſſa cauſa morali, diuiditur cauſa Phiſica in principalem, quę agit propria ſua virtute, & in inſtrumentalem, quæ non attingit effectum niſi in virtute principalis agentis. quarto cauſa Principalis diuiditur in primam, quæ eſt ſolus Deus, & in Secundã, quæ eſt quęlibet creatura. Rurſus diuiditur cauſa principalis in Æquiuocam, & Vniuocam; Æquiuoca eſt illa, quæ producit effectum diuerſę Speciei, vt Deus, cauſans ſolem, vel ſol generans Hominem: cauſa vero Vniuoca eſt illa, quæ producit effectum eiuſdem Speciei, vt Homo generans Hominem. vltimo diuiditur cauſa Inſtrumentalis in coniunctam, & Separatam. Inſtrumentum coniunctum vocatur illud, quod eſt coniunctum cauſæ principali vt calor in Igne. Inſtrumẽtum vero ſeparatũ dicitur illud, quod ſeparatum eſt à cauſa prin-

principali, vt Serra, Malleus &c.

DVBITATIO SECVNDA.

V. Subſtantia Creata ſit immediatè operatiua alicuius effectus?

Diuerſi modi proponēdi difficultatē

1 HAEc Dubitatio eſt controuerſa non parum inter Angelicos, & Subtiles, & ſub alijs terminis ſic ſolet proponi, An Cauſa efficiens conſtituatur in actu primo per formam Subſtantialem, an vero per accidentia ſuperaddita, vel aliter. An Secundæ cauſæ ſolum operentur effectus per virtutes, & potentias accidentales; an vero immediatè per proprias Formas Subſtantiales? Vel tandem, vt clarius totum aperiamus, id, quod quæritur in præſenti, eſt, An Agens creatum denudatum omni prorſus Accidente, ſit per ſuam Subſtātiam principium operatiuum vel alterius Subſtātiæ, vel ſaltem alicuius accidentis?

2 D. THOMAS p. p. q. 54. art. 3. & q. 77. art. p. quem ſequuntur omnes Thomiſtæ, infra citandi, docet, nullam Subſtantiam creatam eſſe immediatè operatiuam per ſuam eſſentiam: ſed omnem actionē elici immediatè per aliquam potentiam accidētalem ſiue ſit in proprio Subiecto, ſiuè in alieno, ſiuè per dimanationem, ſiuè per propriam actionem. Ita ex Auguſtinenſibus Argentina in p. Sent. diſt. 3. q. 2. art. 2 Toletanus in 2. de Anima q. 3. art. p. Brunus in quolib. q. de quidditate Gratię Diſput. 4. cap. 2. §. 4. Ita etiam ex Recentioribus ſubſtinere videtur Amicus Tractatione 12. q. 10. Dubit. p. art. 3. & Rubius lib. 2. Phis. Tract. 4. q. 6. num. 55. probatur autem aſſertio; primo, quia debet ſeruari proportio inter potentiam, & actū: ſed omnis actio cauſæ efficientis pertinet ad prędicamentum Accidentale, ergo ſimiliter potentia, per quam agens creatum cōſtituitur in actu primo potens agere, eſt de numero accidentium. Minor eſt euidens; maior autem probatur; quia potentia per ſe ordinatur ad actum. Secūdo in hoc diſtinguitur Subſtantia creata ab increata, quod Subſtantia increata non completur per accidentia, ſed ſuum complementum habet per ſuam eſſentiam, & Subſtantiam, creata vero cum nō ſit ſuum eſſe, non habet ſuum complemētum

plementum per ſuam eſſentiam, ſed indiget accidentibus, vt patet experientia: ſed non indiget accidentib⁹, vt compleatur quo ad ſuum eſſe in ſe, quia hoc totum habet per ſuam Subſtãtiam; non enim quo ad ſuum eſſe Subſtantiale compleri poteſt per accidentia, alias non eſſet vnum per ſe; ergo debet compleri quo ad eſſe Agens, atque adeo non erit actiua per Formam Subſtantialem, ſed potius per accidẽtia; tertio Materia non eſt receptiua Formæ Subſtantialis immediatè per ſuam eſſentiam, ita vt forma ſubſtantialis immediatè recipiatur in Materia denudata prorſus omni accidente; ſed ſemper Materia recipit Formam Subſtantialem mediante Quantitate ſaltem interminata, ergo Forma Subſtantialis nõ eſt immediatè actiua per ſuã eſſentiam, ſed erit actiua medijs accidentibus.

3 SCOTVS in 2. Sent. diſt. 16. & in 4. diſt. 12. q. 3. apud Maſtrium, & Bellutum Diſp. 7. in libris Phiſic. q. 6. art. 3. vbi citãtur plures alij; ſubſtinet, Subſtantiam immediatè eſſe operatiuam, & proximè efficere aliqua accidentia; fundamenta huius Sententiæ ſunt; primo, quia vel actiuitas proxima, & immediata negatur Subſtãtię, quia fortè ponit imperfectionem in illa, & hoc non, quia actiuitas proxima, & immediata conuenit Deo, ergo quãtum eſt ex ſe, non dicit imperfectionem: vel actiuitas proxima negatur de Subſtãtia, quia dicit perfectionem excedentem naturam Subſtantiæ creatę, & hoc neque, quia actiuitas immediata, & proxima conuenit accidentibus non ſolum instrumentaliter, vt cum Accidens in virtute principalis Agentis attingit Subſtantiam; ſed etiam principaliter, vt cum accidens agit in Accidens; ſed accidẽs eſt imperfectius quam Subſtantia, ergo eadẽ actiuitas proxima, & immediata, quæ tribuitur accidẽtibus, benè etiam poteſt tribui Subſtantię. Secundo Materia prima Secundum ſe, & Secundum eſſentiam ſuam eſt immediatè receptiua non ſolum formę Subſtantialis ſed etiã Accidentalis, ergo Forma Subſtantialis erit etiam immediatè non ſolum informatiua: ſed etiam actiua; Nec dicatur, Formam Subſtantialem Secundum ſuam eſſentiam eſſe actiuam radicaliter & remotè, ſed proximè eſſe actiuam per accidentia: nam Materia etiam proximè, & immediatè eſt receptiua Formarum

mactiuitatem Subſtantialium, tum etiam accidentalium, ergo Forma Subſtantialis nõ ſolum remotè, ſed etiam proximè, & immediatè erit actiua ſubſtantiarum, & accidentium. tertio; Agens creatum per ſuam Formam Subſtantialem immediatè habet virtutem generandi Subſtantiam, ergo multo magis habeo virtutem immediatam producendi accidentia; probatur cõſequentia, quia hoc exigit minorem perfectionem quam illud. quarto; non poteſt negari in ſubſtãtijs creatis immediata actiuitas reſpectu propriarum paſſionũ, ergo nec minus poteſt negari eiſdem Subſtantijs immediata actiuitas reſpectu eorũ accidentium, quæ ſunt per paſſiones.

4. AEGIDIVS de hac re agit multis in locis ſuæ Doctrinæ, & aliquando videtur eſſe pro D. Thoma, aliquando pro Scoto, proferamus ad verbum eius dicta, & primo quæ faciunt ad fauorem D. Thomæ. In examen. pp. capi. 11. verſus finem ait: *Nullam actionem immediatè poſſe egredi à Forma Subſtantiali.* Et in Secunda part. Examen. cap. 33. clarius inquit: *Nullum Agens creatum poſſe immediatè agere per ſuam ſubſtantiam.* Rurſus in 2. Sent.

Loca Ægidij pro ſententia D. Thomæ.

diſt. 1. q. 2. art. 4. §. prima via ſic ait: *Agens naturale agit per Virtutem additam ſuæ eſſentiæ, id eſt agit per virtutem, quæ eſt accidens; agit enim per virtutem, quæ eſt naturalis potentia, ſiue quæ eſt Qualitas; Deus autem agit immediatè per ſuã eſſentiam, quia ſua eſſentia eſt ſua virtus.* Et inſuper in 2. Sent. diſt. 18. q. 2. art. 2. Dub. 3. Lateral. in fine §. aduertendum; ſic ait: *Nunquam eſſentia agentis naturalis immediatè attingit ſuum effectum; & ideo vult author de cauſis, quod Agentia Secunda ſemper habent mediatorē, et quia non poſſunt immediatè agere per ſuam Subſtantiam, ſed per habent virtutem aliquam, vel potentiam, per quam agunt, quæ ſemper eſt media inter Subſtantiam, & effectum.* Similia habet Ægidius in 2. diſt. 19. q. 1. §. venia &c. tum etiam in Quolib. 3. q. 2. & in Theorem. de Corp. Domini prop. 48. in quibus omnibus locis videtur apertè, ſtare Ægidium pro Sententia D. Thomæ, & in Quolib. 3. q. 10. tradit hoc Fundamentum pro tuenda Opinione Thomiſtica. Quia in eſſentialiter ordinatis non eſt tranſitus de extremo ad extremo niſi per mediũ; ſed hæc tria ſe habent per ordi-

Locus Ægidij pro Scoto.

dipem Scilicet Ens per ſe ſtans, Accidens permanens, & Accidens fluens, ergo impoſſibile eſt, tranſire ab ente per ſe ſtante ad Accidens fluens, niſi per accidens manens, quod eſt medium inter illa; Sed Forma Subſtantialis eſt ens per ſe ſtans, & operatio eſt accidens fluens, ergo Forma Subſtantialis nõ poteſt agere nec operari niſi mediante Accidente permanente. hæc ÆEgidius pro D. Thoma.

Locus Ægidij pro Scoto.

5 Nunc accipite, quid ipſemet ÆEgidius dicat pro Scoto. In 2. Sent. diſt. 19. q. 1. art. 2. Dubio 3. Later. 6. Secundo poteſt, ſic ait. *Et ſic quantum ad Formam accidẽtalẽ poteſt agens creatum immediatè inducere illam, quia poteſt aliquod Agens inducere in paſſum immediatè, non inducendo aliquod aliud, vt Ignis poteſt immediatè cauſare calorem in paſſo, quia hoc non facit mediante aliquo alio inducto in paſſo, ſed primum, quod inducit in paſſū, eſt ipſe calor.*

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO.

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

6 HÆc controuerſia magnam habet affinitatem cum illa alia in libris de Anima agitanda, an Scilicet Potentiæ Animæ realiter diſtinguantur ab Anima? Si enim ponatur realis diſtinctio inter Subſtantiam Animæ, eiuſque potentias, vt vult D. Thomas, dicendum eſt cum eodem, quod Forma Subſtantialis non eſt proxima, & immediata ratio operandi, ſed ad Summum eſt principium quo radicale, & potentiæ erũt principia proxima agendi; ſi vero dicatur cum Scoto, quod Potentiæ Animæ realiter identificãtur cum Anima; tunc non poterit negari, quod Forma Subſtantialis ſit etiam proxima, & immediata ratio operandi; & quia ibi iuxta noſtrũm munus aſſumptum vtramque Sententiam amplectemur; ideo nunc pro conciliatione præſentis controuerſiæ præſupponendum eſt, quod Subſtantia in quacunque Sẽtentia eſt immediatum principiũ operandi immediatione Suppoſiti, cum inter ſubſtãtiam operantem, vt principium quod, & effectũ cauſatum, nullum aliud intercedat ſuppoſitum, & principium quod, de hoc nulla eſt controuerſia. Loquendo vero de immediata ratione agẽdi, quæ ſolet appellari immediatum principiũ quo,

Subſtãtia immediatione ſuppoſiti eſt immediatũ principiũ agẽdi.

tunc vel tale principium eſt ratio agendi per veram Actionem de Prædicamento Actionis, ita vt effectus cauſatus ſit id, quod fit per veram Actionem Agentis: & ſic Forma Subſtantialis nullatenus eſſe poteſt immediata ratio agendi, ſeu immediatum, & proximum principium quo operandi; quia actus, & potentia debent eſſe eiuſdem Generis, & prædicamenti, ergo cum Actio ſit de prędicamentis accidẽtium, debet quoque potentia, quę eſt ratio agendi, eſſe Accidens, & propterea AEgidius in Exam. p. p. cap. 11. inquit, nullam Actionem immediatè progredi à Forma Subſtantiali; in hoc ſenſu accipimus Sententiam Thomiſtarum. Vel immediatum principium quo eſt ratio agendi ſine media actione, ſed per ſimplicem emanationẽ; & id, quod fit, propriè non eſt id, quod cauſatur, ſed eſt id, quo aliud fit, & hoc modo forma Subſtãtialis eſt vtique immediata ratio agendi, eſtque proximum, & immediatũ principium quo operandi; quia quælibet virtus Agentis creati, & vniuerſaliter quælibet propria paſſio immediatè fluit ab eſſentia, ſeu à Forma Subſtantiali ipſius Agentis, neque id, quod dicimus, fluere immediatè à Forma Subſtantiali, rigoroſè loquendo, eſt id, quod fit, cum potius ſit id, quo aliud fit: vnde AEgidius in 2. Sent. diſt. 19. q. p. art. 2. Dub. 3. Later. docuit, poſſe agens creatum immediatè inducere Formam accidentalem in paſſo, quia hoc non facit mediante aliqua alia Forma accidentali, aliàs daretur proceſſus; ſed primum, quod per ſe ipſum inducit in paſſo, eſt Forma accidentalis, & in hoc Senſu vera eſt Sententia Scotiſtarum. videatur Ayos Tom. 2. quæſt. 11. art. 4. §. 2.

Senſus Thomiſtarum.

Senſus Scotiſtarum.

RESPONDETVR IN FORMA Argumentis

Vtriuſque Sententię.

7 AD Diuum Thomam dicimus, Subſtantiam creatam, & Formam Subſtantialem non eſſe immediatam rationem agendi, nec immediatũ principium quo operandi per veram Actionẽ, quia accidens fluens non poteſt immediatè progredi à Subſtantia, propter rationẽ iam aſſignatã in fundamento AEgidij, Et hoc tantum concludit primum argumentum: Ad Secundum conceſſa maiori, & minori, di-

diſtinguendũ eſt cõſequens; ſubſtantia creata completur per Accidentia quo ad eſſe Agens per veram Actionem, cõcedo conſequentiam, cõ pletur per accidẽtia quo ad eſſe Agens per ſolam inductionem ſinè vlla actione, negatur conſequentia: nam Agẽs creatum per ſolam Formam Subſtantialem ſine vllo accidente poteſt inducere in paſſo formam accidentalem, quæ ſit ens permanens, & virtus eiuſdẽ Agentis. Ad Tertium conceſſo antecedente, diſtinguendum eſt conſequens ſub eadẽ diſtinctione, Forma Subſtãtialis non eſt immediatè actiua per veram actionẽ, concedo conſequentiam, non eſt immediatè actiua per inductionem Accidentis permanentis in paſſum, negatur conſequentia.

8 Ad Scotum dicendum eſt, Subſtantiam creatam eſſe proximum, & immediatum principiũ quo operãdi, per Inductionem ea accidẽtia permanentia, quæ ſunt virtutes Agentium, & rationes operandi accidentia fluxibilia. Ad Primum Reſpondetur, quod actiuitas proxima per veram Actionem negatur Subſtantiæ, quia actus, & potentia debent eſſe eiuſdem Generis, Actio autem non eſt eiuſdem Generis cum Subſtantia, & ideo non poteſt immediatè egredi à Subſtantia. Ad Secũdum; conceſſo antecedẽte, diſtinguendum eſt conſequens, Forma Subſtantialis eſt immediatè actiua accidentium fluxibiliũ, & per veram Actionem, negatur, eſt immediatè actiua Accidentium permanentium, & per inductionem ſine vlla Actione, conceditur. Ad Tertium; Reſpondetur, conſequentiam eſſe veram de Accidentibus permanentibus, quę ſunt rationes agendi, & propriè non aguntur, ſed inducuntur in paſſo ſinè Actione media, Ad Quartũ; neganda eſt paritas: nam paſſiones, & accidentia permanentia maximè illa, quæ ſunt rationes agendi, propriè non fiunt, ſed inducuntur in paſſo, vt illis mediantibus alia fiant; Aſt accidentia fluxibilia cum ſint actus, debent eſſe eiuſdem ordinis, & Generis cum ſuis potentijs, & propterea non poſſunt immediatè egredi à Subſtantia.

DV-

DVBITATIO TERTIA.

In quo conſiſtat cauſalitas cauſę efficientis in actu Secundo?

1 IN Dubitatione præcedenti agentes de cauſalitate cauſæ Efficiētis in actu primo, diximus, Agētia creata eſſe principia operatiua, & per formas Subſtantiales reſpectu Accidentium permanentium, illa inducendo in paſſo ſine vlla Actione, & per Formas accidentales Scilicet per eorū virtutes, & potentias reſpectu Accidentium fluxibiliū? Nunc videndum eſt, quæ nā ſit cauſalitas in actu Secundo eiuſdem Cauſæ efficientis?

2 Et Suppoſitis his, quæ docuimus de cauſa in comuni Dubit. 2. breuiter nūc dicimus, cauſalitatem actualem cauſæ efficientis conſiſtere in Actione. eſt comunis Sententia omnium Doctorum pro vtraque Scola, & probatur, quia illa eſt actualis cauſalitas alicuius cauſæ, qua poſita, ſtatim denominatur cauſa actu cauſans, & ſtatim ponitur effectus: & qua ſublata, aufertur effectus, & tollitur denominatio cauſæ: ſed eo ipſo quo Agens creatum agit, tunc ſtatim Agens denominatur actu Agens, & ſimul etiam ponitur effectus: & ablata Actione, tunc Agens non denominatur actu cauſans, nec ponitur effectus, ergo &c. maior eſt indubitata, probatur minor, quia ſi ponitur Actio tranſiens, tunc ſicut repugnat, Agens non denominari actu cauſans, ſic pariter repugnat, effectum non ſequi.

3 Sed contra hoc obijcies primo. In Dubit. 2. quæſtionis præcedentis dicebatur, cauſalitatem cauſę in comuni conſiſtere in eſſe cauſæ, prout comunicatur cauſato; ergo cauſalitas cauſæ efficientis non conſiſtit in Actione. Reſpondetur, quod Actio Agentis eſt idem, ac eſſe rei actæ, ſicut Creatio idem eſt, ac eſſe creaturæ.

4 Obijcies Secundo. Actio eſt effectus Agentis, ergo Actio non poteſt eſſe cauſalitas Agentis: conſequentia ſequitur; quia effectus Agentis prȩſupponit cauſalitatem eiuſdem ordine naturę; probatur modo antecedēs; quia Actio progreditur ab Agente. Reſpondetur, negādo abſolutè, quod Actio ſit propriè effectus Agentis, quia Actio propriè non fit, ſed eſt ratio agendi, ſeu medium

Actio proprie non eſt effectus Agentis

quo cauſatur effectus; idque ſequitur ex illa regula comuni, quod cum proceditur à quo in quo, ſtandum eſt in vno; vt ſi relatiuum eſt id, quod per relationem refertur ad aliud, tunc Relatio nõ refertur ad aliud per aliã relationem, ſed ſe ipſa refertur, ſic quamuis Agens cauſet effectum media Actione: ipſa tamen Actio propriè nõ fit per aliam Actionem; ſed ſe ipſa fit.

5 Obijcies tertio. cauſalitas non poteſt eſſe entitas realiter diſtincta à cauſa, nec exiſtere in alio Subiecto ab eadem cauſa diſtincto: nam cũ ſit actus cauſæ, à quo ipſa cauſa denominatur, in ea eſſe debet: ſed Actio non eſt in Agente, ſed tranſit in Paſſum; ergo Actio non poteſt eſſe cauſalitas Agentis. Reſpondetur; negando abſolutè vtramque partem antecedentis: nam oſtendimus ſ[illegible]o loco, omnem Cauſalitatem actualem conſiſtere in quodam eſſe ſuperaddito entitati cauſæ, ergo falſa eſt illa prima pars antecedentis, falſa eſt etiam Secunda, quod Scilicet cauſalitas actualis cauſæ extrinſecæ non poſſit exiſtere in alio Subiecto: nã propterea efficiens, & Finis dicuntur cauſæ extrinſecæ; quia eorum cauſalitates non ſunt in ipſis; ſed in cauſatis: quomodo autem ſimul ſint, quod Agens denominetur Agens ab Actione, & quod Actio realiter non ſit in Agẽte? alibi declarabitur ex profeſſo.

Cauſalitas efficientis non eſt in Agẽte.

6 Obijcies Quarto. Deus nõ creat ſinè vera, & propria cauſalitate; cũ verè, & propriè ſit cauſa efficiens: ſed Deus non creat per aliquam Actionem, ergo ſaltem reſpectu Dei Actio nõ erit cauſalitas cauſæ efficientis; probatur minor, quia nullũ datur Subiectum, in quo talis Actio recipiatur; nam ſi quis dicat, recipi in ipſam rem creatam, cõtra hoc eſt, quia res creata eſt poſterior Actione; cum ſit eius terminus, Subiectum autem debet eſſe prius accidente, quod recipitur in ipſo: Huius Argumenti ſolutio petenda eſt ex his, quæ cum AEgidio diximus in Methap. Tractat. tertio. Diſp. p. q. 2. art. 2. Dub. 4. vbi diximus, creationem eſſe idem cum eſſe creaturæ, atque àdeo recipi in eſſentia creaturæ; quæ in Genere cauſę ſubiectiuè eſt prior, quã ipſa creatio, vel ipſum eſſe creaturæ receptum in eius eſſentia: in Genere vero cauſę efficientis, ſeu quatenus eſt cauſalitas cauſę efficientis eſt prior quam ipſa creatura; videatur

Cauſalitas Dei, quę eſt ipſa creatio recipitur in creatura.

deatur etiam Ægidius in Quolib. 6. q. 4.

DVBITATIO QVARTA.

V. Cauſæ Secundæ habeāt veram efficientiam in productione effectuū, vel ſolus Deus totū efficiat ad præſentiam cauſarum Secūdarum?

1 NOn defuerunt, qui dixerint, cauſas Secūdas nihil propriè, & elicitiuè operari, ſed Deum totum efficere ad præſentiam cauſarum Secundarum; ita Petrus Aliacenſis in 4. Sent. diſt. p. q. p. art. p. & inclinat Gabriel in 4. diſt. p. q. p. art. 3. Fundamentum ſumitur ex illo generali principio Nominalium, quod fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora: cū igitur ad omnia opera concurrat Deus, ipſeque habeat ſufficiētem virtutem ad omnia, non eſt, cur aliæ cauſæ cōcurrant. 2. In prima ad Corinth. 15. ait D. Paulus, quod *Deus operatur omnia in omnibus.* & in 2. ad Corinth. 3. idem Diuus Paulus ait, *Non ſumus ſufficientes ex nobis quaſi ex nobis.* Tertio; Productio eſt comunicatio exiſtentiæ: ſed hæc non poteſt communicari ab aliqua virtute creata, quia eſt effectus vniuerſaliſſimus; qui conuenit enti vt ens, vnde requiritur in Agente virtutem ſupra totū ens, quod totum non poteſt comunicari virtuti finitę, ergo &c.

2 Reſolutio huius Dubitationis fuſius tradetur in ſequenti Dubit. 8. quādo quęretur, An Deus immediatè concurrat cū Secundis Cauſis? Pro nunc veritas nobis probanda duabus concluſionibus explicabitur. Sit prima concluſio. Agentia creata libera cōcurrunt per veram efficientiam ad ſuos actus liberos: eſt certa aſſertio apud omnes, & probatur primo ex Trident. Seſs. 6. can. 4. vbi ait; *Si quis dixerit, liberum Hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari, aſſentiendo, excitanti Deo, ſed veluti quodam inanimè nihil omnino agere, mereque paſſiuè ſe habere, anath. ſit.* Secundo id idem probatur ratione, quia tolleretur libertas Voluntatis, nam hæc non poteſt conſiſtere in paſſione, & receptione Formæ ab alio, ſed in Actione, & receptione actus ab ipſomet Agente producti, vt alibi fusè probabitur, ergo &c. videatur Argent. noſter in 2. diſt. 19. art. 3.

Prima concluſio probanda.

Probatur concluſio ex Tridēt.

Sc-

Secūda aſſertio. 3 Secunda concluſio. Cauſæ Secundæ neceſſariȩ habēt veram efficientiam in aliquos effectus. Eſt hæc aſſertio expreſſa AEgidij in 2. Sent. diſt. p. q. 1 art. 6. & probatur primo ex Sacra Scriptura, in qua proeuidenter dicitur, Deum dediſſe Creaturis corporeis virtutem producendi alias; ſic enim dicitur in Gen. cap. p. *Germinet Terra herbam virentem.* & Lucæ 21. *videte ficulneam, & omnes arbores cum producunt ex ſe fructus; Scitis, quia propè eſt AEſtas.* Deinde id idem probatur ex periētia, quia videmus, Ignē calefacere, Aquam infrigidare &c. idque patet ad Senſū; ergo euidens eſt, has cauſas Secundas agere, & producere ſuos effectus. An autem, & quomodo effectus cauſarum Secūdarum poſſint etiā eſſe immediatè à Deo? in ſequenti Dubit. 8. oſtendemus.

Creatura non cooperatur cum Deo ex indigētia Dei. 4 Ad Rationes oppoſitas. Reſpondetur; Ad primam dicimus cum AEgid. loco proxime citato, quod licet Deus ſolus poſset facere totum: nō propterea ſuperfluit operatio creaturæ, quia cooperatio creaturæ nō eſt ex imperfectione Dei, ſed ex bonitate Diuina, propterea ꝙ comunicat Bonitatem ſuam creaturis, & quando Deus producit multa mediātibus cauſis Secundis; tunc Deus sēper perfectiſſimè agit, quia etiam in his, quæ agit, mediantibus Secundis cauſis ꝑfectius agit, ideſt magis agit, quia magis intimius, & profundius, quam Secundæ Cauſæ: nō eſt igitur fruſtra operatio creaturæ, quia non cooperatur creatura ex Indigentia Dei præter quam quod illud eſt fruſtraneum, & ſuperfluum, quod caret fine: quod autem Creaturis ſit comunicata dignitas operandi, hoc non caret fine, cum id factum ſit, ne opera Sapientiȩ Dei eſſent otioſa. Ad Primum teſtimonium D. Pauli dicimus, illud ſolum probare, Deum immediatè operari omnia, & immediatè attingere omnes effectus non ſolum immediatione Virtutis, ſed etiam immediatione ſuppoſiti; quod adeò verum eſt, vt etiam implicet, eſſe aliquem effectum creatū productum à cauſa creata, & non eſſe à Deo dependentem; Aliud teſtimonium D. Pauli probat de operibus Gratiæ, ad quæ non habem⁹ niſi potentiam remotam, nō quod totaliter ſint à Deo, ſed quia principalius, Scilicet excitādo, præueniendo, adiuuando, & ſimul concurrendo cum Auxilijs ſpecialibus

Soluūtur teſtimonia D. Pauli.

bus

bus. Ad Rationem vltimo loco adductam. Reſpondetur; quod ſicut Agens creatum eſt Agens determinatum ad eſſe, ita eſt limitatum ad operari: vnde non producit effectus; quatenus ſunt entia; ſed quatenus sūt talia entia; videantur quæ diximus cum AEgid. in Methap. Tract. 3. diſp. p. q. 2. art. 2. Dub. 3. vbi quærebamus, an creatura poſſit facere, vt aliquis effectus ſit ens, & habeat eſſe?

DVBITATIO QVINTA.

V. Accidens poſſit attingere productionē Subſtantiæ, & vniuerſaliter An inſtrumentum poſſit attingere effectū particularis Agētis?

a THomiſtæ quāuis negent, poſſe Accidēs attingere Subſtantiam, vel propria virtute, vel vt cauſam principalē, & in hoc conueniant cū Scotiſtis; tamen cōcedunt, poſſe idem accidens inſtrumentaliter, & in virtute Subſtantiæ attingere productionem alterius Subſtantiæ; & in hoc diſſentiunt à ſubtilibus; ita D. Thomas p. p. q. 45. art. p. ad ſecundum, & 3. p. q. 77. art. p. Argent. noſter in 4. diſt. 12. q. 5. & multi Recentiores apud Amicum tract. 12. q. 10. dub. 3. art. 2. probatur autem hæc Sententia Thomiſtarum primo, quia ſol producit Aurum, & Argentum in viſceribus Terræ, Luna, & Stellę producūt alios effectus Subſtantiales circa corpora inferiora; imo cauſę vniuerſales ſimul cum particularib⁹ producūt proprios effectus Subſtantiales: vt cauſa vniuerſalis cū Igne producit Ignem, cum vaporibus producit Aquam, &c: ſed ad hos effectus non concurrunt per proprias Subſtātias immediatè, cum non ſint præſentes; ſed per ſuas virtutes, nempè per Lumen, & alias influentias; de quib⁹ conſtat, eſſe Accidentia, ergo huiuſmodi accidentia in virtute ſuarum Subſtantiarum, & tanquam inſtrumenta producunt Subſtātias; Secundo, Semen eſt inſtrumentū Animalis, cuius virtute producit Subſtantiam, ſibi ſimilem vbi tamen ipſum Animal nō eſt præſens: & Calor naturalis eſt inſtrumentum Subſtātiæ, per ꝙ producitur Subſtantia ex alimento, vt docet expreſsè Ariſt. p. lib. de Generatione cap. 5. & 7. & Calor ignis producit Ignem ex ſtuppa, vbi Ignis non eſt per

ſe

ſe præſens: ſed virtus Seminalis, calor naturalis, & calor in Igne ſunt Accidentia, ergo negari nō poteſt, quod accidentia in virtute ſubſtātiæ, & tanquam inſtrumenta eiuſdem Subſtantię attingāt productionē alterius ſubſtantiæ.

2 Scotiſtæ apud Maſtrium, & Bellutum in Diſp. 7. q. 5. aſſerunt, Accidens nullo modo attingere productionem Subſtantiæ, neque vt præcipuam cauſam, neque vt inſtrumentum, nec in virtute propria, nec minus in virtute Subſtantiæ, vnde conſequenter dicunt, Inſtrumentum nullo pacto poſſe attingere effectum principalis Agentis. Ita Scotus in p. diſt. 37. q. vnica, & in 4. diſt. 12. q. 3. & probatur hęc ſententia primo, quia eſt impoſſibile, rem inferioris ordinis poſſe attingere rem ordinis Superioris, vt quod Corpus attingat productionem Spiritus &c. ſed Accidens eſt inferioris ordinis reſpectu Subſtantiæ, ergo &c. maior probatur, quia cauſa debet eſſe in eodem ordine cum effectu, alioquin ſi ſit inferior perfectior erit effectus quam cauſa. Nec valet, ſi dicatur, accidēs eſſe inferioris ordinis reſpectu Subſtantię in eſſendo; ſed eſſe eiuſdemque ordinis in operando: nam virtus operandi ſequitur eſſe rei, ergo ſi accidens in eſſēdo eſt inferius Subſtātia, erit etiam inferius in operando. Secundo; Accidens non poteſt attingere productionem Subſtantiæ nec in virtute propria, nec minus in virtute Subſtantiæ; ergo accidens non poteſt attingere Subſtātiā nec vt cauſa principalis, nec minus vt inſtrumētum. probatur antecedens; non in propria virtute; quia propria virtus accidentis eſt inferioris ordinis, quā Subſtantia; ſicut ipſum eſſe accidētis eſt inferioris ordinis quam eadem Subſtantia: nec minus in virtute Subſtantiæ: nam virtus Subſtantię in Accidētè vel eſt aliquod ſuperadditum entitati Accidētis, vel eſt nihil? ſi nihil, ergo accidēs ſemper eſt inferioris ordinis cum Subſtantia: ſi eſt aliquid ſuperadditum, vel erit accidens? & ſic non eleuabit accidens ad ordinem Superiorem, ſed relinquet illud in eodem ordine inferiori quo prius: vel eſt Subſtantia? & hoc non poteſt eſſe, quia Subſtantia non poteſt eſſe in accidente: igitur Accidens nullo modo poteſt attingere Subſtātiam, nec vt cauſa principalis, nec minus vt inſtrumentum.

AEGI-

Inſtrumētū tripliciter ſe habere poteſt reſpectu effectus prīcipalis Agētis.

3 AEGIDIVS in Quolib. 3. q. p. diſtinguit de inſtrumēto in ordine ad effectum principalis Agentis, & ait quod inſtrumentum reſpectu effectus principalis Agētis poteſt ſe habere tribus modis; primo Aliquando inſtrumentum attingit effectū principalis agentis, & per eſſentiam ſuam, & Secundum ſe; vt quando effectus principalis Agentis eſt in eodem ordine cum ſuo inſtrumento, & eſſentialiter pendet ab inſtrumento; Secundo aliquādo inſtrumētum attingit effectum principalis agentis p eſſentiam ſuam, ſed non Secundum ſe; vt quando effectus agentis principalis eſt alterius ordinis, quam inſtrumentum: ſed ab eodē inſtrumento habet quandam dependentiam ſaltem ex inſtitutione Diuina; tertio demū Inſtrumentum nec per eſſentiam ſuam, nec Secundum ſe attingit effectum principalis agentis, ſed Secundum quandam quaſi neceſſariam diſpoſitionem; vt quando effectus principalis Agentis nec eſt eiuſdem ordinis reſpectu inſtrumenti; nec dependet efficienter ab inſtrumento; ſed tantūm diſpoſitiuè, quatenus effectus inſtrumenti eſt neceſſaria diſpoſitio ad effectum Agentis

Illuſtratur res exēplo.

Principalis. illuſtrat Aegidius exemplo. ſi aliquis adultus baptizzetur non fictè, tūc in illo Baptiſmo principale Agens eſt ſolus Deus; Aqua vero Baptismalis eſt inſtrumētum; prior effectus in tali Baptismo eſt lotio corporis, quę cum ſit eiuſdem ordinis, & eſſentialem dependētiam habeat ab Aqua: ad hunc effectum dicitur Aqua concurrere, & Secundum eſſentiā, & Secundum ſe. Secundus effectus in Baptiſmo eſt quædam Spiritualis pulcritudo, ſeu illa Gratia Sacramentalis, quæ comuniter vocatur Caracter inductus per Batiſmum in Animam Baptizzatis & hic effectus quamuis ſit alterius ordinis ab Aqua, quia Aqua eſt Materialis, caracter vero Spiritualis; tamen habet ab Aqua neceſſariam dependentiam; quia ex Inſtitutione Diuina ordinatum eſt, vt caracter in Anima Baptizzati nō inducatur, niſi mediante Aqua Baptismali, & propterea Aqua Baptismalis attingit hunc effectum per eſſentiam ſuam, non tamen Secundum ſe, attingit per eſſentiam ſuam, quia illa pulcritudo Spiritualis Secundū eſſentiam cauſatur ab Aqua baptismali; & Aqua baptismi eſt, quæ inducit talem pulcritudinē in Anima Baptizzati,

zati, ſed hoc non eſt Secundum ſe, & vt Aqua eſt; ſed vt organũ Diuinę Miſericordiæ. Tertius effectus in Baptiſmo eſt infuſio Gratiæ ſanctificãtis, & ad hunc effectum non attingit Aqua batiſmalis nec Secundum eſſentiam, nec ſecundum ſe, ſed ſolum ſecundum quandam quaſi neceſſariam diſpoſitionem: ſecundũ ſe enim Aqua baptiſmi, quæ eſt corporalis, non poteſt in Gratiam, quæ eſt ſpiritualis, nec idem effectus ſecundum eſſentiam cauſatur per Aquã baptiſmi, quia in eſſentiam Gratiæ nullum Agens creatũ poteſt, nec vt Agens principale, nec vt inſtrumentum; cum Gratia ſit immediatè à ſolo Deo: ſed licet Aqua batiſmi non poſſit in eſſentiam Gratiæ nec ſecundum ſe, nec per eſſentiam, poteſt tamen in illam ſecundum quandam quaſi neceſſariam diſpoſitionem: nam ad id, quod Aqua baptiſmi cauſat in Anima, neceſſario ſequitur infuſio Gratiæ, niſi Homo obijcem ponat. Igitur Aqua Baptiſmi poteſt in Gratiã non per eſſentiam, nec Secũdum ſe, ſed tantum diſpoſitiuè.

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO.

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

Quia Agens principale creatum non poteſt immediatè agere per ſe ipſum, & pręcipuè per veram Actionẽ non poteſt operari niſi media ſua virtute, quæ eſt accidens, ideo fit, quod ille met effectus principalis agentis eſt etiam effectus Accidentis, ſed aliter, & aliter; nã eſt effectus principalis Agentis, & Secundum eſſentiam, & Secundum ſe, cum ſit eiuſdem ordinis cũ illo, & eſſentialem dependentiam habeat ab eodem; ſed eſt effectus accidentis ſecundum diſpoſitionem, quatenus ſcilicet Accidens actiuè producit accidens, cui neceſſario tanquam diſpoſitioni debetur ſubſtantialis Forma, & ita ſunt intelligẽdi Thomiſtę, quibus in hoc ſenſu puto, non diſſentire Scotiſtas: nam iſti explicantes rationem Formalem inſtrumenti, dicunt; apud Maſtrium, & Bellutum in Diſp. 7. q. 5. Dicimus ſecundo, quod Cauſa inſtrumentalis eſt illa, quæ principali famulatur, & inſeruit pro aſſequẽ- Senſus Thomiſtarum.

do fine, & effectu principali; non quidem attingendo terminum principalis Agentis; ſed ſecũdum diſpoſitionem, vltimo ordinatam ad talem terminum, vt ſunt accidentia in ordine ad ſubſtantiam.

5 Cum hoc autem ſtat, ꝙ idem Accidens, quod in Agente principali eſt ratio agendi, non attingit effectum eiuſdem Agentis principalis nec ſecundum eſſẽtiam, nec ſecundum ſe: nõ ſecundum eſſentiam, quia diuerſa eſt eſſentia ſubſtantiæ ab eſſentia Accidentis, nec ſecundum ſe, quia diuerſi ordinis ſunt ſubſtantia, & Accidens: & in hoc ſenſu benè loquuntur Scotiſtæ, quibus ſecundum talem modum dicendi, nec contradicere poſſunt Angelici, quia iſti explicãtes, quid ſit, Accidens attingere ſubſtantiam, dicunt, accidens non attingere ſubſtantiam in virtute propria, hoc eſt ſecundum ſe, & quatenus accidens; & quamuis dicãt, accidens attingere ſubſtantiam in virtute principalis Agentis, non propterea dicunt, quod accidens etiam adiutum à ſubſtantia, transfertur ad ordinẽ Subſtantiæ; Accidens igitur nec ſecundũ eſſentiam, nec ſecundum ſe attingit ſubſtantiam; ſed tãtum diſpoſitiuè modo explicato.

Senſus Scotiſtarum.

RESPONDETVR IN FORma Argumentis.

Vtriuſque Sententiæ.

6 AD Thomiſtas dicendum eſt, Accidens attingere Subſtantiam, & inſtrumentum attingere effectum vniuerſalis, ſeu principalis Agentis tantum diſpoſitiuè; quatenus Scilicet accidens, & inſtrumentum producunt diſpoſitionem neceſſariam, cui debeatur introductio Subſtantiæ, & hoc conuincit primũ argumentum, cuius conceſſa maiori, & minori, diſtinguendum eſt conſequens; Accidentia in virtute Subſtãtiæ attingunt Subſtantiam diſpoſitiuè, conceditur cõſequentia, Secundum eſſentiam, ſeu Secundum ſe negatur. Ad Secundũ Reſpondetur eodem modo, quod ſcilicet ſemen Animalis producit animal diſpoſitiuè tantum, non effectiuè, & Secũdum eſſentiam.

7 Ad Scotiſtas cõcedimus, Accidens, & Inſtrumentum principalis Agentis non attingere Subſtantiam nec Secundum eſſentiam, nec Secundum ſe; propter rationẽ iam datam in fundamento Ægidij, ſed non propterea negandum eſt, Accidens, &

 in-

inſtrumentum attingere effectũ principalis agentis diſpoſitiuè. ad primum diſtinguenda eſt maior, eſt impoſſibile, quod res inferioris ordinis attingat id, quod eſt ordinis Superioris ſecundum eſſentiam, & ſecundum ſe, concedo maiorem; diſpoſitiuè negatur. Ad Secundum cum eadem diſtinctione Reſpondetur, Accidens non poteſt attingere Subſtãtiam nec in virtute propria, nec in virtute Subſtantiæ: ſi intelligatur Secundum eſſentiam, & Secundum ſe; verũ eſt antecedens: ſed diſpoſitiuè negatur: nam Accidẽs, quod eſt virtus principalis agentis, eſtque aliquid ſuperadditum illi, poteſt efficere aliud accidens, cui tanquam diſpoſitioni neceſſario debeatur introductio Subſtantiæ; & in hoc ſenſu Homo dicitur attingere Hominem, intellige diſpoſitiuè, quia efficienter producit diſpoſitionẽ; cui neceſſario debeatur infuſio Animæ.

DVBITATIO SEXTA.

V. Accidentia concurrant ad productionem aliorum Accidentiũ vt cauſæ principales, vel vt inſtrumenta?

1 THomiſtæ apud Amicũ Tract. 12. q. 10. dub. 2. art. 2. videntur docere, Accidentia ſemper concurrere vt inſtrumenta, & nunquam vt cauſas principales etiam ad productionẽ aliorũ accidentiũ; idque primo probant; quia illud, quod operatur in virtute, ſemper habet rationem inſtrumenti; ſicut illud, quod agit per propriam virtutem, ſemper eſt cauſa principalis: ſed reſpectu accidentis ſubſtantia operatur propria virtute; accidens verò in virtute ſubſtãtiæ, ergo &c. probatur minor, tum quia accidens eſt virtus ſubſtantiæ, ergo ſubſtantia agendo per accidens, agit per propriam virtutem, tum etiam quia accidens ſicut dependet à ſubſtantia in eſſe, ita dependet in Operari: vnde ſi ſubſtantia non eſſet, nec accidens naturaliter exiſteret, nec operaretur, accidens ergo agit in virtute ſubſtantiæ.

2 Sed Scotiſtæ apud Maſtrium, & Bellutum diſp. 7. art. 4. cum pluribus Recentioribus ibi relatis, docent, accidetia ad productionem aliorum accidentium concurrere vt cauſas principales, non vt inſtrumenta; idque ſic probant; primo quia effectus in caſu præſenti non excedit virtutem cauſæ: nam Accidens, quod ponitur actiuum,

tiuum, vel eſt eiuſdem perfectionis cum accidente cauſato, vt calor reſpectu alteri' caloris, vel illud excedit; igitur Accidenti negari non debet ratio cauſę principalis reſpectu alterius accidentis. Secundo Accidens, quod eſt à proprio ſubiecto ſeparatū, vel in alieno ſubiecto introductum, vt calor in Aqua, adhuc alium calorem producit, ergo quando accidens eſt in ſuo proprio ſubiecto coniunctum, tunc principaliter agit.

3 Ægidius non agit ex profeſſo de hac re; ſed ad propoſitum præſentis controuerſiæ in Quolib. 3. q. p. in Reſponſione ad argumentum in contrarium ſic loquitur. *Ad id in cōtrarium dici debet, quod calor ad eſſentiam vtriuſque effectus attingit tam Forma Subſtantialis, quam accidentalis, aliter tamen, & aliter; quia ad inducēdum calorem, & Formam Accidentalem, attingit calor, vt calor eſt; ſed ad inducendum Formam Subſtantialē Ignis, attingit calor in virtute talis Formę Subſtãtialis, & vt organū eius eſt.*

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO.

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

4 Accidens poteſt ad duo comparari; primo ad ipſam ſubſtantiam, cuius eſt virtus, & ratio agendi, & à qua dependet in eſſe, conſeruari, & operari, & hoc modo ſemper eſt inſtrumentum, quia in hoc conſiſtit propria ratio inſtrumenti, eſſe ſcilicet rationem agendi alterius, & principium quo operandi: & quia Accidens comparatum ad ſubſtantiam, ſemper eſt principiū quo, & virtus operandi, ideo Acidens comparatum ad ſubſtantiam, ſemper eſt inſtrumentum; & ita ſunt intelligendi Thomiſtæ: ſecundo poteſt Accidens cōparari ad aliud Accidens, reſpectu cuius eſt actiuum, & principium quod operationis, licet dependenter à ſubſtantia; & hoc modo eſt res, & cauſa principalis; ſicuti cauſa ſecunda quamuis comparata ad primam, dicatur aliquo modo inſtrumentum illius; comparata tamen ad effectum, cū quo habet proportionem, dicitur etiam in rigore cauſa principalis, quāuis ſemper cum dependen-

Accidēs quate' eſt virt' ſubſtantię eſt inſtrumentū.

Sed quatenus habet actiuitatem erga accidens, eſt cauſa principalis.

tia à cauſa prima. Accidens ergo reſpectu Subſtantię eſt virtus, & ratio agendi, & propterea dicitur inſtrumẽtum illius, comparatum tamen ad aliud accidens, reſpectu cuius habet actiuitatem, dici poteſt cauſa principalis, quia eſt eiuſdem ordinis cum illo, licet ſemper cũ dependentia à Subſtantia, & in hoc ſenſu accipim' Scotiſtas.

RESPONDETVR IN FORma Argumentis.

Vtriuſque Sententiæ.

5 AD Thomiſtas concedimus, Accidentia eſſe inſtrumenta, ſed reſpectu Subſtantiæ, cui' ſunt virtutes, & rationes agendi, nõ vero reſpectu aliorum accidentium, reſpectu quorũ ſunt actiua, & ad eorum argumentum in Forma Reſpondetur; diſtinguendo maiorem, omne illud, quod operatur in virtute alterius, & eſt tantũ ratio agendi, nec vllo modo eſt principium ꝙ, illud tale eſt inſtrumentum; concedo maiorem; omne illud, quod Operatur in virtute alterius, & non eſt tantum ratio agendi; ſed aliquo modo eſt principium quod operandi, licet dependenter ab alio, illud tale eſt inſtrumentum, negatur maior; nã cauſa ſecunda operatur in virtute primæ; & tamen reſpectu proportionati effectus non eſt ſimpliciter inſtrumẽtum: ſed cauſa principalis, & principium quod, licet dedendenter à cauſa prima.

6 Ad Scotiſtas dicimus ꝙ Accidentia ſunt quidem cauſæ principales, non quatenus ſunt virtutes ſubſtantiæ, ſed quatenus habent aliquam actiuitatem proportionatam cum alijs accidentibus, licet ſemper recognoſcant depẽdentiam à ſubſtantia etiam in productione accidentiũ, & hoc tantum concludunt eorum argumenta.

DVBITATIO SEPTIMA.

V. Deus per ſe, & immediatè concurrat cum Secũdis cauſis ad omnes effectus earum?

1 COncluſio eſt affirmatiua, ſcilicet Cauſam Primam per ſe, & immediatè concurrere ad omnes actiones, & effectus cauſarum Secundarum non ſolum immediatè immediatione ſuppoſiti, ſed etiam immediatè immediatione virtutis. Ita Magiſtri

vtriuſ-

Ægidi9. vtriuſque Scholæ, & AEgidius expreſsè in 2. Sent. diſt. p. q. 2. art. 6. §. proſequuti ergo &c. vbi ſic habet: *Dicamus, quod vt patere poteſt per iam dicta, Agentia Secunda non ſunt priuāda proprijs operationibus; & Deus non eſt excludendus à quolibet opere, quin ipſum etiam immediatè agat.* Et in diſt. 19. q. p. art. 2. dubio 3. later. ſic loquitur; *Dicendum, quod quilibet effectus, quantumcunque immediatè fiat à creatura fit etiam immediatè à Deo, vt quilibet effectus factus à creatura poſſit dici immediatè totus factus ab ea, & immediatè totus factus à Deo: nec ſuperfluit actio creaturę, cōcurrente actione Dei, nec è conuerſo: nam, & ſi effectus quicunque factus à creatura poteſt dici immediatè eſſe totus ab ea, & immediatè totus à Deo: non tamen erit immediatè totaliter ab vtroq; quia ſicut eſt immediatè totus à Deo, ita ſi deus vellet, nihil ibi ageret creatura: ſed Deus omnia facere poſſet per ſe ipſum, vt tamen non eſſent ſuper vacanea opera Sapientiæ eius: comunicauit enim virtutem ſuam creaturis, vt eſſent coadiutores eius, & non eſſent otioſæ, ſed haberent ſuas proprias operationes.*

3 Antequam autem probetur aſſertio, Not: eſt diligēter cum eodem AEgid. in 2. diſt. p. q. 2. art. 6. quod actio, & concurſus primę cauſæ nō eſt aliquid impræſſum cauſæ Secundæ, præcedens actionē eiuſdem cauſæ Secundæ: ſed eſt ipſa met actio cauſę Secūdæ, prout prouenit, & dependet à prima, quod ſic declaratur: nam Prima cauſa omnia agit vno modo: ſed non omnia recipiunt actionē Dei eodem modo, ſed mediantibus alijs, & alijs agentibus agit alias, & alias actiones; vt mediante Igne, calefacit, mediante Aqua, humectat; humectare ergo, & calefacere, & omnes actiónes Secundorùm Agentium conueniunt, & differunt; vt cōueniunt, ſunt immediatè à Deo, qui in his actionibus, quæ agit Secundum naturæ curſū, exiſtens intimus omnibus rebus naturalibus, vniformiter agit huiuſmodi actiones, vt differunt vero ſunt à Secondis agentibus, quia licet Deus vniformiter ſe habeat ad ipſa agentia: tamen ipſa agentia Secunda non vniformiter ſe habēt ad Deum: ſed omne tale agens recipit influentiam Diuinam Secundum modum ſuę Subſtantiæ, vel Secundum modū ſuæ virtutis: atque ideo omnia agentia conueniunt in dare Obſerua ex Ægidio.

dare eſſe, & differunt in dādo tale eſſe, quia quædam dant eſſe calidum, quædam eſſe frigidum, & ſic de alijs: omnes ergo effectus cauſarum Secundarum, & ſunt immediatè à Deo, quatenus ſunt entia, & vt habent eſſe, & ſunt etiā immediatè à Secundis agentibus, quatenus ſunt talia entia, & vt habent tale eſſe: totus ergo talis effectus eſt immediatè à Deo, vt eſt ens, & eſt immediatè à Secundo agente, vt eſt tale ens: vnde accipiendo immediatum pro eo, quod ex proprio attingit rem, quilibet talis effectus eſt totus immediatè à Deo, ſed nō totaliter, & eſt totus immediatè à Secundo Agente, ſed non immediatè totaliter; quia Ignis eſt immediatè à Deo, vt eſt ens, ſed non eſt immediatè à Deo, vt eſt tale ens, & propterea Ignis totus eſt à Deo immediatè; ſed nō totaliter, & idem Ignis eſt immediatè ab agente Secundo, vt eſt tale ens, ſed nō eſt immediatè ab agente Secūdo, vt eſt ens: vnde idē Ignis eſt totus immediatè ab Agente Secūdo, ſed non totaliter. Quamuis autem quælibet actio Secūdorum Agentium ſit immediatè à Deo; & immediatè à Secundo Agente: immediatius tamen eſt à Deo, quā à Secundo agente; quia amoto à re, quod ſit tale ens, adhuc remanet, quod ſit ens, & quia quilibet effectus eſt immediatè à Deo, vt eſt ens, & immediatè à Secundo Agēte, vt eſt tale ens, omnino immediatius eſt quilibet talis effectus à Deo, quā à Secundis agentibus. effectus & actio immediatius ſunt à Deo, quam à creaturis.

3 Hac obſeruatione præmiſſa, probatur nunc Aſſertio, quod ſcilicet Deus agat immediatè tam immediatione ſuppoſiti, quam immediatione virtutis, tam in eſſendo, quam in cauſando, quia influere immediatè immediatione virtutis eſt agere per virtutem in ſe exiſtētem, agere vero immediatè immediatione ſuppoſiti in cauſando eſt attingere proprio influxu effectum productum, ſicut agere immediatè immediatione ſuppoſiti in eſſendo eſt attingere effectum, à quo, Agens loco nō diſtat, ſed ſit illi intimè præſens: ſed Deus his omnibus modis influit in quoſcunque effectus; ergo &c. Beneuerū eſt, quod ſi agere immediatè immediatione ſuppoſiti ſit agere nullo alio Agente cooperante, quo modo loquutū fuiſſe Ferraram, oſtendit Caraffa in tractatu de naturali concurſu diſputat. 9. concedi poteſt, Deum non omnia

nia attingere immediatè immediatione ſuppoſiti.

4 Sed contra poſitā aſſertionē obijcies primo, quia cauſæ Secundę reſpectu ſuorum effectuum vel ſunt Æquiuocæ, vel Vniuocæ, ſi primum, quamuis debeant excedere perfectionem effectus, nō tamen in infinitum; ſi Secundum, ſatis eſt, vt habeant ęqualem perfectionē; ergo ſuperfluus eſt immediatus concurſus Dei.

Obiectio prima.

Reſpondetur cauſam Secundam nō excedi, nec neceſſario excedere ſuum effectum: excederetur autem, ſi effectus eſſet independens à Deo, cum cauſa ſecūda ſupponatur dependens: quare, & ſi cauſa Secūda ſit æqualis perfectionis cum effectu, quia tamen tota iſta perfectio eſt creata, in omnibus dicit immediatā dependentiam à Deo, nec p hoc dicēda eſt cauſa partialis, nam licet ſimpliciter ſit talis: tamen in ſuo Genere totalis eſt: licet eſſentialiter ſubordinata alteri cauſæ totali ſcilicet cauſæ Primæ.

Solutio.

Secūda obiectio:

5 Obijcies ſecundo. Materia, & Forma ſunt entia Creata, & tamen quando materialiter, vel formaliter cauſant, tunc non indigent Deo materialiter, vel Formaliter concurrente cum illis, ſed totaliter in proprio genere cauſāt immediatè; ergo De⁹ non concurrit immediatè cū omnibus, & ſingulis cauſis Secundis.

Solutio.

Reſpōdetur; quod licet Materia, & Forma independēter cauſent in proprio Genere; non tamen ſimpliciter; ſed dependenter à Deo in Genere cauſę efficientis.

6 Obijcies tertio; comuniter dicitur; Deum producere effectus medijs cauſis Secundis; ergo Deus non concurrit immediatè; Reſpondetur, Deum agere medijs cauſis Secundis id eſt ſimul cum illis, & mediatè mediatione cauſæ, non vero mediatione virtutis, vel ſuppoſiti.

7 Obijcies 4. Actio Dei nō dependet à Deo media alia actione, alias daretur proceſſus in infinitum, ergo idē poteſt dici de alijs effectibus creatis.

Actio Dei trāſiens eſt ipsū eſſe creaturę

Reſpondetur; actionem Dei tranſeuntem non diſtingui ab eſſe creaturę, vt diximus cū Ægid. in Meth: quia ergo omnis creatura eſt ſimpliciter dependens à Deo; omnino etiam ipſa actio Dei ad extra in hoc ſenſu eſt dependens à Deo; quod ſi Actio Dei ad extra non ſumatur, vt eſt idem cum eſſe creaturę; ſed, vt eſt id, quo Deus agit creaturam, tunc Actio propriè non fit, nec propriè eſt effectus Dei, ſed

eſt ipſum fieri creaturæ.

8 Obijcies Secundo. Vnius rei non poſſunt eſſe duo fines immediati, ergo nec duo Agentia principalia. Reſpondetur; quod ſicut vnius rei poſſunt eſſe duo fines ſubordinati, ita etiam duo Agentia principalia ſubordinata.

9 Obijcies 6. ſi Deus concurrit cum omnibus cauſis Secundis ad omnes effectus earum, ſequitur, quod Deus ſit cauſa peccati; probatur ſequela, quia ideo Homo eſt cauſa peccati, quia cauſat hunc actum hic, & nunc, in quibus circumſtantijs actus eſt malus: ergo ſi Deus concurrit cum Voluntate creata ad hunc actum numerò hic, & nunc; ſequitur, quod etiam Deus ſit cauſa peccati. Deinde ſi voluntas noſtra agit dependenter à Deo, & ſine Deo non poteſt exire in actum, ergo voluntas creata non agit liberè, ſed neceſſario iuxta Diuinam determinationem.

Explicatur quo modo Deus cōcurrat ad actū peccati, & nō ſit cauſa peccati.

10 Hæc duo vltima argumenta petunt altiorem Materiam explicandam, & ideò eorum plena ſolutio remictitur ad Theologos: pro nunc breuiter dicimus cum AEgidio in 2. diſt. 37. q. p. art. 2. quod peccatum vt habet rationem Culpę, eſt quidam Voluntatis defectus à fine: vnde Peccatum eſſe non poteſt niſi à cauſa deficiente; cum ſit quidam defectus: cū ergo Deus nullo modo ſit cauſa deficiens, cum ſit ipſū eſſe, ideo ille actus Phiſicus, qui ſimul procedit à Deo, & ab homine; reſpectu Hominis, qui eſt cauſa deficiens, poteſt eſſe peccatum, non autem reſpectu Dei, qui eſt cauſa ſimpliciter indeficiēs: nec verum eſt, ideo Hominē eſſe cauſam peccati, quia cauſat hūc actum in illis circumſtantijs, in quibus hic actus eſt malus: ſed cauſa, cur Homo ſit author peccati, eſt quia Homo eſt defectibilis, cauſa autem, cur ſit defectibilis; eſt, quia non eſt ſuum eſſe; ſed eſt in potentia ad eſſe.

Concurſus Dei nō tollit libertatem cauſæ ſecū. dæ.

Ad Secundū dicimus, concurſum Dei eſſe paratū omnibus cauſis Secundis ex libero dei decreto, vnde Voluntas noſtra poteſt operari, quando vult, & quomodo vult: nec Voluntas creata per concurſum Dei determinatur antecedenter; quia Diuinus cōcurſus nihil aliud eſt, niſi Actio creaturę, quatenus ſimpliciter pēdet à Deo.

DVBITATIO OCTAVA.

V. Idæa, & exemplar reducatur ad Genus cauſæ efficientis, vel ad Genus alteri' cauſę?

1 NOn quærimus in præſenti, quid ſit Idęa, & exemplar, & an ſit propriè conceptus Formalis, vel potius obiectiuus? de hoc enim ſermonem remiſſimus ad Theologos! ſed ſolum inquirimus, an Idęa in mēte Artificis pertineat ad Genus cauſæ Efficientis, vel alterius cauſę?

2 Et breuiter dicendum eſt, Idęam in ordine ad idęatum non conſtituere Genus cauſæ diſtinctum à quatuor; ſed tantum ad Genus cauſæ efficientis reduci, licet per ordinē ad Intellectum, quē conſtituit in eſſe Artificis, habeat rationem cauſę Formalis. Vtraque pars aſſertionis eſt Comunis, eamque ſpecialiter docet AEgidius in Theorematibus de Corp. Domini prop. 31. Scotus apud Maſtriū, & Bellut. diſp. 7. q. 7. art. 2. probatur autem quo ad primam partem; quia Idæa, & exemplar quatenus eſt id, ad cuius ſimilitudinē formatur opus artefactum ad extra, eſt quid complens cauſam agentem in eſſe cauſæ, eſtque quid ſpectans ad virtutem, & rationem agendi illius, ergo non conſtituit Genus cauſæ diſtinctum à quatuor, ſed potius ad Genus cauſæ efficientis reducitur.

Idęa, & exēplar reducūtur ad efficiēs vel ad cauſam formalem.

3 Probatur modo altera pars, quod ſcilicet Idæa per ordinē ad Agēs Intellectuale reducatur ad Genus cauſę Formalis, quia Ariſt. 2. Phiſicorum tex. 28. enumerat Idæam inter cauſas Formales, aitque, eſſe Formam in Anima, ſicut Ars eſt Forma Animæ. Rurſus. Forma naturalis reſpectu Agentis naturalis eſt cauſa Formalis, ergo idem dicendum eſt de Idæa reſpectu Agentis Intellectualis; non quod Idæa ſit de eſſentia illius, ſed quia eſt quid complens in ratione agentis per Intellectum; & hoc poſſunt probare omnes rationes, quæ videntur oſtendere, Idæam eſſe causā Formalem.

Oſtēditur quo modo Idæa reducatur ad cauſam formalem.

DE CAVSA FINALI.

DVBITATIONES SEX.

Dubitatio Prima, Quid, & Quotuplex ſit Finis? & an quilibet ſit cauſa?

Dubitatio Secunda. V. Bonitas ſit ratio Formalis conſtitutiua Finis in actu primo?

Dubitatio Tertia. In quo cõſiſtat cauſalitas, actualis cauſæ finalis?

Dubitatio Quarta. V. Finis moueat Secundum eſſe reale, vel Secũdum eſſe cognitum, & Intentionale?

Dubitatio Quinta. Qui nam ſint effectus cauſæ finalis; ſeu an omnis Operatio cauſæ efficientis ſit effectus cauſæ finalis?

Dubitatio Sexta. Quænam ſint Agentia, quæ agunt propter finem?

DVBITATIO PRIMA.

Quid, & Quotuplex ſit Finis, & an quilibet ſit Cauſa?

1 QVantum ad quidditatem Finis, ſic Ariſt. illum diffinit 2. Phis. tex. 29. *Eſt id, cuius gratia aliquid ſit.* Quę diffinitio ex dicendis latius declarabitur.

2 Quantum vero ad diuiſionem eiuſdẽ multipliciter ab eodem Philoſopho ſolet diuidi, & primo diuiditur in Finem cui, & Finem cuius, ſic Ariſt. 2. de Anima cap. 4. text. 37. Finis cuius eſt id, propter quod conſequendũ aliquis operatur, vt cum ægrotus propter ſanitatem conſequendam ſumit potionem amaram; Finis vero cui eſt id, cui volumus finem cuius, vt AEgrotus eſt Finis, cui volumus Sanitatem.

Finis cuius, & cui.

3 Secundo diuiditur Finis in Finem quo, ſeu Formalẽ, & Finem qui, ſeu obiectiuũ; prior eſt ipſa operatio, qua conſequimur Finem qui, vt Viſio Beatifica, qua conſequimur Deum, vel acquiſitio pecuniarũ &c. poſterior vero ſeu Finis qui, eſt eadem res, quam conſequimur per finem quo; vt Deus, pecunię &c.

Finis, quo, & qui.

4 Tertio diuiditur Finis in Finem operantis, & Finem operis; prior eſt ille, quem ſibi perſcribit quodlibet Agens, vt ſi quis daret elemoſinam propter vanã gloriã; alter finis eſt ille, ad quem ex natura ſua ordinatur operatio agentis, vt finis AElemoſinę eſt ſubleuare pauperem à miſeria; primus ſolet vocari extrinſecus; ſed Secundus intrinſecus.

Finis intrinſecus, & extrinſecus.

5 Quarto diuiditur Finis in vltimum, ſeu remotum, & in proximum ſeu medium: hic ſolet etiã appellari finis ſub fine, & eſt ille, qui appetitur quidem propter ſe; ad

huc

Finis vltim⁹, & medius

huc ordinatur ad aliud, vt actus elemoſinæ factus ad ſubleuandum pauperem; & ad impetrādā Dei Miſericordiā; videatur Ægidius in 2. diſt. p. q. p. art. 4 & in 2. diſt. 38. q. p. art. 2. finis vero vltimus eſt ille; qui ita appetitur propter ſe, vt nō amplius ordinetur ad alium, & hic eſt duplex, nam vel eſt ſimpliciter vltimus, & hic eſt ille, ad quem omnia ordinantur, vt Deus: vel eſt vltimus Secundum quid, & eſt ille, in quem vltimatè tendit Agēs, ita vt per alium actum non ordinetur ad aliud, quamuis ex ſe ſit ordinabilis ad aliud; & propterea dicitur finis vltimus in ſua Serie; vt remiſſio peccatorum eſt finis vltimus facientis elemoſinam. Aliæ diuiſiones ſolent adduci de Fine; ſed dictæ ſunt cæliebriores, & hæc quo ad diuiſionem Finis.

6 Quo ad tertiam partem quæſiti; An ſcilicet quælibet ex his finibus ſit cauſa? dicimus; quemlibet Finē ex his declaratis eſſe propriè cauſam finalem, non quod intendamus, Finem cuius, & Finem cui eſſe duas cauſas finales: ſed ſicuti dicimus, obiectum materiale Scientiæ, & obiectum formale eſſe vnū obiectum completum? ita dicimus, Finem cui, & Finē cuius eſſe vnam cauſam Finalem completam; & idem ſentimus de fine Quo, ſeu Formali; & fine qui, ſeu obiectiuo eſſe ſcilicet vnam cauſam finalem completam, ita expreſsè docuit D. Thomas in p. 2. q. p. art. 8. & q. 11. art. 3. ad tertium, vbi ait, finem cuius, & finem cui non eſſe duos fines, ſed ex vtroque fieri vnum; vnde finis cuius non habet rationem Finis, niſi vt coniungitur Fini cui; Sanitas enim nō habet rationem finis, nec appetitur à Volūtate, niſi quia bonū Hominis eſt; nec Homo eſt finis cui, niſi quaten⁹ eſt perfectibilis per ſanitatē. Idem docuit Scotus in 2. diſt. 6. q. p. vbi habet, voluntatē ſimul velle id, quod vult, & cui vult.

7 Sed Obijcies, quod finis cuius propriè non ſit Finis, illud propriè habet rationē Finis, in quo ſiſtit intentio Agentis; ſed talis eſt Finis cui: nā nullus appeteret Sanitatem niſi propter Hominem, ergo ſolus Finis cui habet rationem Finis; Reſpondetur; argumentum ſolum probare, Finem cuius non eſſe finem completum, ſed eſſe veluti partialem, & compleri per finem cui, quod iā concedimus.

Obijcitur quid finis cuius non ſit finis.

8 Obijcies Secundo. Finis

cuius

cuius appetitur propter finẽ cui: nam Sanitatem volum⁹ propter ægrotum, ergo finis cui eſt propriè finis, alter vero ſcilicet finis cuius poti⁹ habet rationem medij. Reſpondetur; finem cuius appeti propter Finem cui, non vt medium inſeruiens propter illius aſſequutionem: ſed tāquam perfectionem illius: vnde propriè loquendo, nō rectè dicitur, ſanitas eſt propter ægrotum, cū potius debeat dici, Sanitas appetitur ægroto.

9 Obijcies 3. Ariſt. 2. Meth. tex. 8. ait, Finem eſſe id, quod non eſt alterius cauſa, ſed eius cauſa cætera: ſed finis cuius eſt in Gratiam Finis cui, ergo &c. Reſpondetur; Ariſtotilem loqui de Fine vltimo, vel de quodlibet fine reſpectu mediorum, non reſpectu alterius Finis partialis, cuius eſt perfectio.

Obijcitur finē cui non eſſe propriè finem.

10 Obijcies iterum; ad probandum, quod finis cui non ſit propriè finis. Ariſt. 2. Phiſicorum tex. 24. ait, non eſſe omninm quodammodo Fines: ergo finis cui propriè nō eſt finis Reſpōdetur ly *Quodammodo* Nō eſſe particulam diminutiuam, ita vt ſit Senſus, finis cui non eſt propriè Finis; ſed idem eſt quodammodo, ac alio modo: vel ſi quodammodo eſt particula diminutiua; accipitur Finis cui per comparationem ad finem completum, ita vt ſit Senſus, Finis cui quantum eſt ex ſe non eſt Finis cōpletus: quod verum eſt:

11 Obijcies vlterius; ſi finis cui haberet rationem Finis, ſequeretur, quod Homo eſſet finis non ſolum Beatitudinis, ſed etiam Dei: probatur ſequela, quia Finis Formalis, & Obiectiuus ſunt vn⁹ Finis completus, ergo ſi Homo eſt Finis Beatitudinis formalis, erit etiam Finis Beatitudinis obiectiuę; quod falsū eſſe, patet. Reſpondetur; q̄ finis cui nunquā exercet cauſalitatem Finalem reſpectu alterius finis: ſed quilibet Finis ſi hāc rationem exercet, hoc tantum eſt reſpectu mediorum; & ideo non ſequitur, quod Homo ſit finis reſpectu Beatitudinis Formalis, & multo minus reſpectu Dei.

12 Sed Obijcies cum Vaſquez, ad probandum, quod finis medius non habeat rationem finis. Ariſt. 2. phiſic. tex. 29. ait, de ratione Finis eſſe, vt omnia ſint gratia ipſius, ergo nequit vlterius ad alium finem ordinari. Secūdo medium non poteſt appeti propter ſe, ſed neceſſario debet appeti propter aliud, ergo medium non poteſt habere

Obijcitur cōtra finē mediū.

bere

bere rationem finis; probatur antecedens; quia mediũ vt medium ſolum habet bonitatem vtilitatis, quæ non eſt ratio volendi propter ſe, ſed propter aliud. tertio De⁹ non vult vnam creaturam propter aliam: nam nulla creatura reſpectu Dei eſt ratio volendi aliam, ergo in nobis ſolum finis vltimus habebit rationem finis, cætera vero habebũt rationem mediorum. Reſpondetur, quod eſſe id, cuius gratia cætera fiunt, conuenit fini in comuni, ideſt quilibet finis reſpectu ſuorum mediorũ eſt id, cuius gratia media appetuntur: propter hoc autem non tollitur, quin vnus finis ordinetur ad alium, quia cum finis medius ordinatur ad alium, tunc talis finis medius & eſt medium, & eſt Finis: eſt Finis reſpectu illorum mediorum, quę ſunt propter ipſum: eſt vero medium reſpectu alterius finis, ad quem ipſe ordinatur. Ad Secũdum dicimus, quod medium reduplicatiuè ideſt vt medium nõ poteſt appeti propter ſe, ſed neceſſario eſt propter aliud, ſed medium Specificatiuè; quatenus extra bonitatem vtilitatis habet adiunctam aliam bonitatem, poteſt etiam amari propter ſe. Ad Tertium, Reſpondetur; nullã Creaturam reſpectu Dei habere rationem finis, quia nulla creatura ſe habet vt obiectum motiuum, ſed terminatiuum: aſt rectè dici poteſt, Deum velle vnam creaturam eſſe propter aliam, ita vt ordo ſeruetur non in Diuina volitione, ſed inter ipſas creaturas: at in nobis quia aliqua media ſe habent vt obiectia motiua, poſſunt habere rationem finis.

Finis medius & eſt mediũ, & eſt finis.

13 Et ex hoc reſolui poteſt illa quæſtio; An ſcilicet ratio finis ſit eadem cum ratione boni? cui difficultati dicendum eſt, quod Finis Formaliter non eſt idem cum Bono, quia ratio Formalis boni dicit relationem conuenientiæ ad appetitum: ratio vero Finis dicit habitudinem ad media; quæ in finem ordinãtur. Bene verum eſt, quod finis fundamentaliter, & realiter idem eſt cum bono; quia bonum eſt, quod omnia appetunt; ex Ariſt. 1. Ethic. cap. 1. & hoc modo ſunt Intelligendi tum D. Thomas, tum etiam Philoſophus cum inquiunt, Finis, & Bonum idem, vel Bonũ importare rationẽ Finis: intellige, eſſe idẽ fundamentaliter, nõ formaliter.

Reſoluitur quomodo finis ſit idem cũ bono.

DV-

DVBITATIO SECVNDA.

V. Bonitas ſit ratio Formalis conſtitutiua Finis in actu Primo?

1 IN Qualibet cauſa duo ſunt. Primum eſt actus primus, ſeu virtus, vel fundamentum cauſationis; Secundum eſt actus Secundus, ſeu ipſa actualis cauſalitas; Non quærimus in præſenti, per quid conſtituatur Finis in actu Secundo, de quo in dubitatione ſequenti: ſed tantum eſt dubium de ratione Formali conſtituente Finem in actu primo, & Senſus quæſiti eſt; per quid conſtituitur finis in ordine ad noſtram voluntatem? quod idem eſt, ac quærere, an finis moueat voluntatem noſtrã per bonitatem, ita vt ſi nullam bonitatem haberet, nullatenus eſſet Finis; an vero etiam omni Bonitate remota à Fine, adhuc Finis poſſit voluntatem mouere?

2 Et Vera Sententia, quæ comunis eſt, & nobis defendenda, eſt, rationẽ Formalem conſtituentem Finem in actu primo, non eſſe appetibilitatem comunem bono, & malo, vt aliqui tribuunt Scoto in 1. Sent. diſt. 1. q. 4. & in 2. diſt. 43. q. 2. nec eſſe appetibilitatẽ prout excludit malum, & comprehendit bonum, & indifferens: ſed tãtũmodo dicimus, eſſe appetibilitatem, quæ conuertitur cum bonitate, ita vt ſola bonitas ſiue realis, ſiue apparens ſit ratio Formalis cõſtituẽs finem in actu primo. Ita D. Thom. in 1. 2. q. 1. art. 1. & 3. apud Suar. Diſp. 23. Sect. 5. & Scotus in quolib. 16. & in 2. Sent. diſt. 6. q. 2. & diſt. 43. q. 1. & in 4. Sent. diſt. 49. q. 10. apud Maſtrium, & Bellutum diſput. 7. q. 8. art. 2. §. dicimus primo &c. Aegidius, & omnes Recentiores apud Ruuium Tract. 5. q. 1. num. 19. & nouiſſimè Pater Ayolſus tom. 2. q. 12. art. 4. §. 1. probatur autem. Aſſertio quo ad ſingulas partes, & primo quo ad primã, quia ratio Formalis finis non poteſt eſſe appetibilitas comunis bono, & malo, quia eſt Axioma receptiſſimum apud Patres præſertim apud Auguſtinum 1. lib. confeſſ. cap. 6. quod. *Nemo reſpiciens ad malum, operatur:* Nec vllus appetit malum ſub ratione mali, cum malum vt malum non ſit appetibile, ergo appetibilitas, per quam mouet Finis, non compræhendit malum. Et confirmatur, quia Voluntas eſt potentia cæca, nec poteſt velle niſi id, quod

Finis cõſtituitur in actu primo per bonitatem

ſibi proponitur cognitum ab Intellectu: ſed Intellectus non poteſt proponere volũtati malum ſub ratione mali, ergo nec voluntas poteſt illud appetere ſub tali ratione; probatur minor, quia inter potentiam, & Obiectum debet eſſe conuenientia: ſed malum vt malum non poteſt eſſe conueniens Voluntati, imo nec vlli poteſt eſſe conueniens; ergo nõ poteſt Intellectus proponere Voluntati malum ſub ratione mali. Confirmatur Secũdo, quia ſicut ſe habet Intellectus ad verum, & falſum quo ad aſſenſum; & diſſenſum; ita voluntas ad bonum, & malum quo ad velle, & nolle; ſed non poteſt falſum, vt falſum eſſe obiectum aſſenſus, ergo nec malum vt malum poteſt eſſe obiectum Volitionis.

3 Probatur modo Secunda pars concluſionis, quod ſcilicet ratio Formalis conſtituens Finem in actu primo non ſit appetibilitas, vt excludit malum, & comprehẽdit indifferens. Id, quod eſt Indifferens, nullã habet conuenientiam reſpectu Voluntatis, quia indifferens vt tale nec eſt conueniens, nec diſconueniens, ergo indifferens vt tale nullam habet rationem appetibilis: probatur conſequentia, quia appetibilitas oritur ex conuenientia, quæ non eſt, &c. Probatur tandem tertia pars, quod ſcilicet ratio Finis ſit ſola Bonitas, vel vera, vel ſaltem apparens; quia Experientia quotidiana demonſtrat, nos moueri non ſolum à bono in ſe vero, & taliter cognito; ſed etiam à bono apparenti, eo quia ita ſe habet in apprehenſione, ac ſi eſſet verum bonum.

Indifferens vt tale nõ conſtituit Finem.

5 Sed Obijcies primo: Scotus in locis ſupracitatis videtur velle, quod Volũtas poſſit ferri in malum ſub ratione mali; ergo ratio finis non eſt ſola bonitas. 2. eadem eſt potentia contrariorum ſicuti eadem potentia viſiua verſatur circa album, & nigrum, ergo eadem voluntas circa bonũ, & malum. tertio; Voluntas ſaltem per nolle tendit in malum; ergo malum continetur ſub obiecto adequato Volũtatis. quarto; Voluntas non ſemper mouetur à fine ad obtinedũ aliquod, ſed etiam ad vitandum aliquod, ſed ad hoc mouetur à Fine ratione malitiæ, ergo malum poteſt habere rationẽ finis. Quinto; multi odio habent inimicum, quod eſt velle illi malum ſub ratione mali; alij inferunt ſibi mortem ex tædio vitæ, etiam ſi cognoſcant mortem eſſe ma-

Obijcitur ꝙ etiã malũ videtur conſtituere Finem.

malum: vnde damnati appe-
tunt non eſſe, in qua appe-
tibilitate nulla apparet ratio
boni. [illegible]

6. Reſpondetur ad primum, Scotum non dicere, voluntatem tendere in malum ſub ratione mali, quamuis reduplicatio cadat ſupra tendentiam actus Voluntatis in Obiectum, nam hæc ſemper eſt bonitas vera, vel ſaltem apprehenſa: ſed vult dicere, quod voluntas feratur in malum ſub ratione mali, quatenus [illegible] ab obiecto intellecto propoſito, ita vt ſit ſenſus, quod ſi Intellectus ſit [illegible], & cognoſcat non ſolum fornicationem eſſe malam, ſed etiam hanc fornicationem non eſſe faciendam: adhuc poteſt Voluntas ferri in tale obiectum, apprehendendo illud vt aliquod bonum ſibi: ſed ad hoc completius reſpondebitur infra cum Ægidio. Ad ſecundum Reſpondetur, quod contraria vere conueniunt in vna ratione formali [illegible] ex parte potentiæ, vt album, & nigrum conueniunt in ratione formali coloris, quæ ſe tenet ex parte viſus: vel Contraria ſe habent [illegible] aliter oppoſita reſpectu potentiæ, quia vnum illorum eſt ei conueniens, alterum eſt diſconueniens, & iſta non reſpiciuntur à potentia abſolute per actum proſequutionis; ſed vnum ſcilicet conueniens per actum proſequutionis, aliud vero ſcilicet diſconueniens per modum fugæ: & ſic ſe habent verum, & falſum reſpectu Intellectus; & Bonum, & malum reſpectu Voluntatis. Ad tertium Reſpondetur, quod malum eſt obiectum voluntatis tantum materialiter, quatenus [illegible] ſuppo[illegible] [illegible] enim nolumus malum, quia amamus bonum [illegible], cui malum diſconueniens. Ad quartum Reſpondetur, quod [illegible], quod ſe habet vt terminus, à quo potentia recedit, non eſt malum, ſed bonum; ad hoc quod per fugam [illegible]. Ad Quintum dicimus, [illegible] concipi aliquam rationem boni [illegible] nobis: [illegible] Mors, & non eſſe [illegible] concipiuntur [illegible] non ſimpliciter, ſed quatenus ſunt fines miſeriarum, & ſi aliquis [illegible] exerceat ſuam libertatem [illegible] malum, ad hoc [illegible] ipſius eſt libertatis exercitium, quod quidem apprehenditur vt bonum.

Quomodo voluntas aliquando fertur in malum

Sed contra eandem con-

cluſionem obijcies ulterius, apprehendat aliquis intellectus odium Dei, nec erret in illa apprehenſione illud, que ſic oſtendat Voluntati; tunc vel volũtas poſſet illud velle, vt fuit ipſi propoſitum ab intellectu, & ſic habetur intentum; vel non poſſet, & tunc ſequeretur, quod voluntas non eſſet libera, quia ſimpliciter non poſſet velle odium Dei, niſi Intellectus ſit prius excæcatus, oſtẽdens odium Dei vt bonum, quod re vera eſt malum, & Confirmatur; quia Voluntas peccat aliquando ex propria malitia, vt quando peccat nõ propter ignorantiam, aut ex paſſione, ſed ex propria prauitate, quale putatur fuiſſe peccatum Angeli, & primi Hominis; ergo poteſt Voluntas ferri in malum ſub ratione mali.

Doctrina Ægidij.

8 Reſpondetur; adnotando prius cum AEgid. in 2. Sent. diſt. 24. princip. 2. q. 2. art. 1. & in Quolib. 9. q. 10. quod Omnis peccans ex Philoſopho in 3. & hic, vel peccat ex ignorantia, vel peccat ignorans; Sapiens, vel ſciens nũquam peccat ex Ignorantia: nam ſi eſt Sciẽs, non habet ignorantiam; ſed poteſt adhuc Sciens, & Sapiens peccare ignorans; nam poteſt quis ſcire, omne pomum eſſe dulce, & tamen iudicare, hoc pomum eſſe amarum, per deceptionem, vt ſi quis haberet linguam infectam colera, tunc dulce videtur ſibi amarum; ſicut ergo inficitur Iudicium linguæ propter Infectionem coleræ; ſic inficitur Iudicium rationis propter paſſiones; ſemper igitur in peccante eſt aliqua ignorantia: ſed diſtinguendum de Ignorantia cum Philoſopho in Septimo Ethicorum cap. 3. nam vel poteſt quis eſſe Sciens ſimpliciter, & ignorans in pertractando, vel poteſt quis eſſe Sciens in habitu, & ignorans in actu; vel poteſt aliquis eſſe Sciens in vniuerſali, & ignorans in particulari; exemplificemus de Scientia in vniuerſali, & ignaro in particulari, ex quo patebit, quomodo quis poteſt ſcienter peccare; cum dicit peccator, quod hæc particularis Fornicatio non eſt facienda, tunc ipſe mentitur, quia ore dicit nõ eſſe faciendam Fornicationem; ſed corde iudicat, eſſe faciendam: cuius ſignum eſt, quod eandem fornicationẽ facit; quia ergo tale Iudicium non eſt ſine errore; & omnis error nõ eſt ſine ignorantia; omnino omnis peccans, & ſi nõ ignorat in vniuerſali, ignorat tamen in particulari; & prop-

Explicatur quomodo quis peccat ſciẽter.

terea in 3. Ethic. cap. p. dicitur, quod omnis ignorans malus.

9 Sed petes, quomodo poteſt ligari habitus ſcientiæ, vt ratio iudicet faciendum, quod reuera faciendum non eſt? Reſpondetur cum Philoſopho in 7. Ethic. cap. 3. quod ſicut ratio ligatur in Dormiente, & in Ebrio; ſic ligatur ratio in Homine paſſionato: Ebrius enim ſi dicit verba ſcientiæ ore, corde tamen non intelligit, quod dicit: ſic paſſiones, & impetus ſenſualitatis cuiuſmodi ſunt concupiſcentiæ; & iræ ita reddunt rationem ſopitam, & ita eam inebriant, vt erroneè, & ignoranter iudicet, & dicat, eſſe faciendum, quod re vera faciendum non eſt, & propterea omnis malus ſaltem in particulari dicitur, eſſe ignorans.

Ratio ligatur in homine paſſionato.

10 Dices Somnus, & ebrietas tranſmutant corpus, & corpore tranſmutato, impeditur Iuditium rationis. Reſpondetur; quod Iræ, & concupiſcentiæ etiam tranſmutant corpus, & non ſolum impediũt iuditium rationis; vt male iudicet hoc in particulari, ſed etiam aliquando reddũt Hominem inſanum: vnde aliqui ex amore & concupiſcentia alicuius mulieris effecti ſunt inſani.

11 Nunc in Forma Reſpondetur ad argumentũ, quod ſi peccator apprehẽdat odiũ Dei, & in illa apprehenſione non errat; oſtendatque voluntati odium Dei ſub ratione mali, tunc Voluntas non poſſet velle odium; non tamẽ illud neceſſario fugeret, quia licet non ſit libera circa odium libertate contrarietatis, & Specificationis; eſt tamen libera libertate exercitij, & cõtradictionis ad volle, & non nolle. Vel dicas poſſe Voluntatem ferri in odium Dei, præfigendo tamen illud eſſe ſibi vltimum bonũ finem; in quo caſu eſſet quidem Sciens in vniuerſali, ſed iam eſſet ignorans in particulari; videatur Ægid. in quo lib. p. q. 19. in ſolucione ad Secundum.

Soluitur obiectio

12 Obijcies vltimo contra eandem concluſionẽ, in Natura datur bonum, malum, & indifferens; ergo omnia iſta poſſunt eſſe volita, alias plura eſſent entia, quam volibilia. Secundo. Voluntas creata poteſt tẽdere in obiecta ſub ea ratione, ſub qua ad illa non poteſt ferri Diuina Voluntas; ergo voluntas creata poteſt ferri in obiecta ſub ratione mali, probatur conſequentia; quia in obiectum ſub ratione boni poteſt ferri Diuina volũtas.

Obiectio.

ter-

tertio non ſolum datur finis bonus, vt cum quis facit elemoſinam ad ſubleuandam pauperis inopiam: ſed etiam finis malus, vt ſi quis faceret elemosinam propter inanẽ gloriam, & datur etiam finis indifferens, vt ſi quis exeat domi, nihil intendens: ergo finis non ſolum poteſt conſtitui in ratione finis per bonitatem, ſed etiam per malitiam, & indifferentiam.

13 Reſpondetur ad primũ; reduplicatiuè loquendo ſolum bonum eſt volitum, nec eſt in rerũ natura ens, quod nullam habeat rationem bonitatis; & ideo omnia entia ſunt volibilia, licet non quatenus mala, nec quatenus indifferentia. Ad Secundum Reſpondetur, quod Voluntas Diuina, & creata habent idẽ obiectum; ſed non reſpectu cuiuſcunque actus: nam bonum apparens eſt obiectum fugæ reſpectu Diuinæ Volũtatis, ſed poteſt eſſe obiectũ proſequutionis reſpectu voluntatis creatæ. Ad tertiũ Reſpondetur, quod illa diuiſio Finium eſt in genere moris, non in genere naturæ, in quo omnis finis eſt bonus. — Solutio

DVBITATIO TERTIA.

In quo conſiſtat cauſalitas actualis cauſæ Finalis?

1 SVppoſitis his, quæ diximus cum AEgidio in art. p. de Cauſis in comuni dubit. 2. facilè nunc poteſt reſolui dubitatio præſens. Dicimus ergo, quod Cauſalitas actualis, ſeu ratio Formalis conſtituens finem in actu Secundo, eſt actualis motio Agẽtis, vt agat propter finem, quæ motio non ponitur in actu Secundo, niſi quando ipſum Agens in actu Secundo Phiſicè mouetur; & quando ſic ponitur in re, nõ eſt aliquid reale, diſtinctum ab ipſa actione Agentis; ſed eſt eadem actio, quatenus facta in gratiam Finis; & Formaliter dicit imputationem illam, qua in genere moris effectus imputatur ipſi fini: vnde cauſalitas finis propriè non eſt entitas realis ſiue abſoluta, ſiuè relatiua, ſed potius eſt moralis, & rectè appellatur Methaphorica. Ita inferendum eſt ex principijs AEgidii loco ſupra citato, eſt que Aſſertio communis, & verè tam apud D. Thomam q. 5. de potentia art. primo, & in prima 2. q. 9. art. p. quam apud Scotum q. 4. Prologi ſ. con- — Aſſertio principalis. — Authores pro ſentẽtia Ægidij. — Ægid. D. Tho. Scotus ſuarez, Ruuius Amicus Ayoſs.

contra iſtam poſitionem &c. & in p. Sent. diſt. 2. q. 2. relatum à Maſtrio, & Belluto in Diſput. 7. q. 8. art. 5. Ita etiã Suarez diſput. 23. Meth. Sect. 4. Ruuius 2. Phiſicorũ tract. 5. q. 3. Amicus tract. 13. q. 4. dub. prim. Et Pater Ayoſs. tom. 2. q. 12. de cauſa finali art. 3. §. 4. conclus. 4. probãtur autem ſingulę partes aſſertionis. Et primò quod finis non moueat actu, antè quam Agens agat, quia finē mouere Agens nihil aliud eſt, niſi Agens amare finem, ergo motio Finis non pręcedit cauſationem Agentis neç tempore, nec natura; nam implicat, dari aliquod cauſatum in vno genere, & non in alio, non enim poteſt eſſe aliquod materiatum, & non eſſe ſimul effectum, ergo implicat, finem eſſe in actu Secundo, & cauſare, & non eſſe ſimul efficiens, & confirmatur, quia finis dicitur cauſa, quia Agens propter ipsũ agit, ergo non præcedit ipſius Actionem. Confirmatur Secũdo, quia ante Actionem Agentis non præſupponitur niſi finis, vt cognitus, quomodo non habet niſi rationē actus primi.

probãtur ſingulę partes concluſiones.

Auctores pro ſententia Angelici.

A quid. D. Tho. Scotus ſuarez, Ruuius Amicus Ayoſs.

Quod verò Finis quando actu mouet, non ſit aliquid reale diſtinctum ab actione Agentis, probatur, quia non eſt aliquid in fine, cum finis cognitus non habeat eſſe reale exiſtens, ergo non poteſt fundare aliquod reale, nec iſtud eſſe reale bonum poteſt eſſe in Agente, vel in effectu, quia tunc finis efficiētèr moueret, quia produceret aliquod reale in rerum natura, & conſequenter deberet habere aliũ finem, quia omne per ſe Agens agit propter Finem, & confirmatur; quia ſi finis ex eo quod nõ habet eſſe reale actuale, non poteſt in ſe cauſare aliquod reale actuale, ergo neq; in alio poteſt cauſare aliquid reale actuale; probatur conſequentia, quia nemo dat, quod non habet; non igitur motio actualis finis dici debet realis; quatenus diſtinguitur ab Actione Agentis; ſed potius Methaphorica, vt ait Ariſt. p. de generatione tex. 55. quia mouet alliciendo, & attrahendo moraliter ad ſui aſſequutionem eà ſimilitudine, quà magnes attrahit ferrum: quà ratione Actio, & effectus ipſius Agentis imputatur fini, ſicut effectus productus à cauſa phiſica imputatur etiã conſulenti, quę propriè non eſt cauſa phiſica, ſed tantum per imputationem, quaten' effectus ipſi imputatur, ac ſi phiſicè prouenirret efficienter

probatur ꝙ cauſalitas Finis realiter non diſtinguitur ab actione agentis.

ter ab illa, & realiter non dicit aliam cauſalitatem niſi illā met cauſæ efficientis phiſicę, quę eſt actio realis; Idem ergo dicendum eſt de fine, qui cum moueat Agens, alliciendo ad ſui aſſequutionem; hæc motio à parte rei & materialiter eſt eadem actio Agētis nō caſu, ſed propter finem, ab ipſo intentum; formaliter verò dicit illam imputationem, & extrinſecam denominationem, quatenus finis terminat habitudinem actionis, ſeu effectus producti ab Agente propter ipſum finem.

Motio Agentis propter finē eſt duplex.

Sed aduerte, quod motio Agentis ad Agendū poteſt dupliciter conſiderari, primo quatenus eſt idem ac actio Agentis elicita propter finem; & hoc modo eſt cauſalitas finis in actu Secundo. Vlterius poteſt conſiderari, quatenus eſt attractio Agentis, vt agat, & hoc modo nō eſt cauſalitas conſtituens finem in actu Secundo, ſed potius conſtituit finem in actu primo. Itaque motio Agentis verè eſt actualis, & ſic eſt eadem realiter cū Actione, quæ fit propter finem; vel eſt principium motionis actualis; & hoc modo conſtituit finem in actu primo. Dicitur ergo in Agente conſideratur virtus, quæ conſiſtit Agens in actu primo, & Actio, quę conſtituit idē Agens in actu Secundo; ita in fine conſideratur hoc, quod eſt mouere Agens ad Agendum, & hoc conſtituit finem in actu primo, & vlterius eſt actualis motio Agentis, & hęc eſt cauſalitas actualis Finis.

Obijcitur q; cauſalitas finis præcedat actionē Agentis.

4 Sed Obijcies primo, ergo Cauſalitas Finis præcedat Actionem Agentis, eſt axioma comune, quod cauſalitas Finis eſt omnium prima ſaltem prioritate naturæ; ergo &c. Secundo. bonitas Finis apprehenſa ſtatim, ac voluntati repræſentatur, excitat illā ad Agendum, Voluntas autem quia libera eſt, poteſt ſuſpendere actum, ergo motio Finis diſtincta eſt ab Actione Agentis. Tertio hæc cauſalitas eſt vera, ideo Agens agit, quia Finis mouet, ergo motio antecedit Actionem Agentis.

Reſponſio.

Reſpōdetur ad primum, quod ſicut cauſa prima, & Secūda ſimul cauſant, nec vna prius attingit effectū, quam alia, & tamen prima cauſa dicitur prius cauſare, quia perfectius, & independenter, in quo conſiſtit prioritas, ſeu per ſe Scotus; ita finis & Agens ſimul cauſant, ſed quia Finis cauſat independenter, quia non mouetur ab alio Finis; Agens verò mouetur à Fine, ideo

Fi-

Finis dicitur eſſe cauſa omnium Prima. Ad Secundum Reſpondetur, quod duplex motio poteſt conſiderari in obiecto reſpectu Voluntatis, vna in actu primo, & hæc diſtinguitur ab Actione Agentis; altera in actu Secundo, & hæc ſimul eſt cum Actione Agentis. Ad Tertium Reſpondetur, quod illa cauſalis tantum probat prioritatẽ perfectionis, ſeu independentiæ.

Obijcitur q causalitas finis ſit realis.

5 Obijcies Secũdo, ad probandum, quod Cauſalitas Finis ſit quid reale primo, quia Finis eſt omnium digniſſima cauſa, non ſic cauſa methaphorica; Secũdo; eſſe formale obiectiuum Finis eſt eſſe reale, ergo poteſt realiter mouere. tertio, ſi cauſalitas Finis non eſſet quid reale, ſequeretur, quod effectus non dependeret realiter à Fine. quarto, ſequeretur, quod Finis non eſſet numerandus inter cauſas Phiſicas. Reſpondetur ad primũ; Finis eſt cauſa omnium nobiliſſima, quia mouet non mota, eſtque radix omnis actionis Agentis, quia Agens nullo modo ageret, niſi Finem intenderet. Ad Secundum Reſpondetur, quod eſſe reale cognitum finis eſt eſſe in potentia, non in actu, & omnino non ſufficit ad mouendum actu realiter præciſo Agente. Ad tertium dicimus, quod effectus in tantum dicitur realiter dependere à Fine, quia dependes ab Agente non caſu, ſed ab eo operãte propter Finẽ. Ad quartum dicẽdum, quod Finis numeratur inter cauſas Phiſicas, non quia ſit vera cauſa realis, realem cauſalitatem fundans; ſed quia eſt radix, & origo omnis cauſalitatis phiſicæ: nam Agens agit, quia mouetur à Fine, cauſalitas ergo finis in omni cauſatione phiſica interuenit, & propterea Finis dicitur cauſa Phiſica.

Obijcitur q causalitas finis non ſit actio.

6 Obijcies 3, quod cauſalitas Finis non dicat Actionem Agẽtis factam propter Finẽ. Actio eſt cauſalitas efficiẽtis, ergo nequit eſſe cauſalitas Finis; nam diſtinctæ cauſæ diſtinctas poſtulant cauſalitates. Et ſi dicatur, eandem Actionem, vt procedit ab Agente, eſſe cauſalitatem Agentis, vt vero ſit in gratiam Finis, eſſe cauſalitatem eiuſdem Finis; cõtra hoc eſt, quia debet explicari, quid ſit hoc, quod eſt fieri in gratiam Finis, ſuperadditum Actioni? Deinde Finis eſt cauſa cauſalitatis Agentis, ideo enim Agens agit, quia Finis mouet Agens ad agẽdum, ergo &c. Rurſus hæc motio ſolum reſpicit Voluntatem, & actum

ipſius:

ipſius, vt tamen finis dicatur etiam cauſare in alijs Agentibus naturalibus, ergo non explicatur adequatè cauſalitas Finis in comuni. Reſpondetur ad primum. Actionem Agentis eſſe cauſalitatem Finis Materialiter, non Formaliter: nam ſi quæramus aliq; reale, per quod Finis conſtituatur in actu Secundo, nihil aliud poterit aſſignari, niſi Actio Agentis non quomodocunque, ſed vt dicit habitudinem ad Finem, mouentem Agens, illudque allicientem ad Agendum, quæ habitudo nō eſt ſimpliciter realis, quia nō eſt ad terminum realiter exiſtentem, quamuis extrinſecè poſſit dici realis, quatenus connotat Actionē Agentis, quæ fit propter finem. Ad Secundum Reſpondetur, quod cauſa Finalis eſt reſpectu illius, reſpectu cui' datur cauſa efficiens; ſicut ergo Actio non dicitur effectiuè cauſata niſi vt quo, ita Finaliter non cauſatur, niſi vt quo. Ad Tertium Reſpondebitur in Sexta Dubitatione ſequenti, vbi videbimus, quænam Agentia ſint, quæ agunt propter Finem?

DVBITATIO QVARTA.

V. Finis moueat Secundum eſſe reale, vel Secundum eſſe cognitum?

1 SVpponimus, ſaltem Secundum curſum naturæ non poſſe Finem mouere Voluntatem, niſi ſit ab Intellectu cognit': nam eſt vulgatum Axioma, quod. *Nihil volitum, quin præcognitum*; Eſtque huius rei ratio, quia Voluntas eſt potentia cæca, quæ non poteſt in ſuum obiectum tendere, niſi illud ei oſtendatur, & quia eſt appetitus Rationalis, duci debet à rationali lumine ſcilicet ab Intellectu, & non à ſenſu, cum hic ſit materialis, & improportionat', ad mouēdam directè, & immediatè Voluntatem, quæ eſt potentia Spiritualis. Finis igitur ad hoc vt cauſet, debet eſſe cognitus; eſſe tamē cognitum vel eſt illud eſſe, reale, quod ab Intellectu cognoſcitur, ſibi non repugnare, vel eſt illud eſſe extrinſecè denominationis ex cognitione proueniente, & Primū eſſe reale ad huc eſt duplex, primum eſt eſſe exiſtens extra cauſas, aliud eſt potentiale, ſeu futurum, & hoc iterum

rum eſt duplex, vel potentiale, ſeu futurum ſimpliciter, vt illud eſſe, quod fit de nouo, vel eſt potentiale Secundum quid, vt quando eſt realiter in rerũ natura, ſed non poſſidetur, vt Deus licet exiſtat, optatur tamen à Viatore, quia ab ipſo non poſſidetur perfectè. Eſt igitur ſenſus Quæſtionis, cum Finis mouet Voluntatem, Secundum quod eſſe mouet, Secundum ne eſſe reale; an vero Secundum eſſe cognitum? & ſi Secundum eſſe reale, an Secundum eſſe reale exiſtens; an vero Secundum eſſe reale potentiale?

Sentẽtia comunis probatur.

2. Et Comunis Sententia apud omnes Philoſophos tũ antiquos, tum etiam Recentiores, eſt, Finem cauſare, & mouere Voluntatem Secundum eſſe reale tanquam per rationem Formalem, eſſe vero cognitum tantum eſſe conditionẽ, ſine qua non; Vel dicendum, quòd Bonitas realis Finis ſiuè potentialis ſiuè exiſtens, ſiuè vera, ſiuè appræhẽſa eſt ratio Formalis mouendi Voluntatem: appræhenſionem vero ſemper eſſe conditionem tantũ; ita D. Thom. 3. lib. contra Gent. cap. 75. Scot. in 2. diſt. 25. q. 1. apud Maſtrium, & Bell. Diſp. 7. q. 8. art. 4. Coimb. 2. lib. phiſ. cap. 7. q. 13. Suarez. tom. p. meth. diſp. 23. Sect. 8. probatur autem primo ex diffinitione Finis, tradita ex Ariſt. quia Finis eſt id, cuius gratia Agens mouetur ad operandum, & actu operatur, ſed Agens nõ operatur gratia cognitionis, vel appræhenſionis, ſed gratia Bonitatis, quæ eſt in Fine, vel quæ ſaltem appræhenditur, eſſe in Fine, ergo Bonitas eſt ratio Formalis finalizzandi, & non cognitio. Et cõfirmatur; quia Voluntas nõ inuitatur, nec attrahitur ad diligendum appræhenſionẽ, ſed Bonitatem potius apprehenſam, ergo hæc potius eſt ratio Formalis finalizzandi, & non illa; probatur antecedens, quia infirmus non mouetur, nec inuitatur ad cognitionem ſanitatis, ſed ad Sanitatem ipſam conſequendam; vt de ſe patet.

Obiectiones.

3. Sed Obijcies, & probatur, quod Finis moueat potius Secundum eſſe cognitũ, & appræhenſum, quam Secundum eſſe reale; & quod cognitio finis non ſit conditio ad mouendum, ſed potius ratio Formalis, per quam Finis mouet; Appetitus Rationalis, & ſenſitiuus ſunt Specie diuerſi propter diuerſas appræhenſiones, quas ſequũtur, nam Rationalis (qui eſt Voluntas) ſequitur appræhen-

henſionẽ Intellectus, ſenſitiuus vero appræhenſionem ſenſus; ſed potentiæ diſtinguntur Specie propter rationes Formales obiectorum, ergo appræhenſiones, per quas diſtinguntur huiuſmodi potentiæ, erunt rationes Formales obiectiuę, per quas bonum mouet diuerſum appetitum, & non conditiones tantum. Secundo; idem obiectum diuerſo modo apprę hẽſum cauſat diuerſos actus in Voluntate, vt ſi appræhẽdatur bonum abſolutè, cauſat Amorẽ, ſi vt abſens, cauſat Deſiderium, ſi vt pręſens, Gaudium, vel Delectationẽ, ſed actus Voluntatis non diſtinguntur Specie niſi per diuerſa obiecta Formalia, ergo appræhenſio, vel cognitio erit ratio formalis obiectiua, & non ſolum conditio. Tertio; Cognitio finis ita eſt neceſſaria ad finalizzandum, vt ſine cognitione nullo modo finis finalizzare poſſit; Bonitas autem non ita eſt neceſſaria, vt non poſſit finis ſine illa finalizzare, ergo poti' appræhenſio finis erit ratio formalis; mouendi, quam Bonitas realis; conſequentia ſequitur, probatur antecedens, quia Bonitas realis finis aliquando non eſt in rerum natura, imo aliquando nec eſt poſſibilis, & ſolum eſt apparens, ergo finis non mouet Voluntatem ratione bonitatis, ſed potius ratione appræhenſionis. quarto; cauſa finalis ſolum Secundum eſſe cognitum habet, vt non ſit poſterior ſuo effectu; nam Secundum eſſe reale eſt poſterior, ergo &c. Quinto. finis eſt prima cauſa inter omnes; ſed non eſt prima niſi Secundum eſſe intentionale; ergo. Sexto; finis Secundũ eſſe reale potius eſt effectus, ergo non cauſat niſi Secundũ eſſe intẽtionale. Septimo, bonitas in comuni diuiditur in veram, & apparentem, ergo ratio mouendi ſaltem in fine apparente, non erit Bonitas Secundum eſſe reale, ſed potius Secundum eſſe cognitum.

4 Reſdondetur ad primum; maiorẽ nõ eſſe vniuerſaliter veram, quia potentiæ, & act' ſolum extrinſecè diſtinguntur per obiecta, vnde circa idem obiectum formale variatis quibuſdam conditionibus, poſſunt eſſe actus Speciе diuerſi, vt patet de fruitione in via, & in Patria: ſed de hac re latius in Materia de Anima, & loquendo de potentijs appetitiuis, illę nõ ſolum habent diuerſas præſentias obiectiuas, ſed diuerſas quoque Bonitates apprę henſas, alia enim eſt bonitas — Solutiones obiectionũ.

conueniens appetitui naturaliter, alia conueniens ſenſitiuo, & alia appetitui Rationali. Ad Secundum Reſpondetur, cōcedendo maiorem, quod actus appetitus diſtinguantur ſpecie per obiecta, diuerſo modo appræhenſa: ſed ratio formalis eas diſtinguens, non eſt niſi Bonitas ipſa, vel præſens, vel futura; quod vero talis bonitas appræhendatur, eſt tantum conditio. Ad Tertium negāda eſt Secunda pars antecedentis, quod ſcilicet bonitas non ſit ita neceſſaria, vt poſſit finis ſine Bonitate finaliſzare; nam etiam in fine apparenti ratio motiua eſt vera Bonitas; licet faſo applicata.

Ad Quartum, & Quintum Reſpondetur, finem non ſolum Secundum eſſe cognitum, ſed etiam Secundum eſſe reale, vel poſſibile, vel futurum ſemper eſſe priorem effectu, ſed Secundum eſſe reale præſens, & in actu eſt poſterior, in quo Senſu non cauſat; cum potius terminet habitudinem Finis. ad Sextum eodē modo diſtinguendum eſt; Finis Secundum eſſe reale actuale eſt effect⁹, concedo antecedens, Secundum eſſe reale potentiale, vel futurum, negatur. Ad Septimum Reſpondetur, q proprie non eſt Bonitas in abſtracto, quæ diuiditur in veram, & Apparentem: ſed eſt Bonitas in concreto, ſeu Bonitas huic, vel illi Subiecto applicata; vnde non eſt diuiſio per Formas, ſed per Subiecta.

DVBITATIO QVINTA.

Qui nam ſint effectus cauſæ Finalis: ſeu an omnis Operatio cauſę efficientis ſit effect⁹ cauſę Finalis?

1 OMnes actus Eliciti, vel etiam imperati ab Agente operante propter Finem poſſunt reduci ad tria Genera. Primū Genus eſt eorum, quæ verſantur circa Finem non dum obtentum, vt Amor, Intentio, & Deſiderium. Secundum eſt eorum, quę verſantur circa media, per quę obtinendus eſt Finis, vt Electio, conſultatio, Vſus, & Applicatio mediorum; tertium eſt eorum, quæ verſantur circa Finem iam adeptum, vt Gaudium, Delatio, &c. de actibus circa media, imo, & de ipſis medijs nullū eſt dubium, quia verè fiunt propter Finem, & ſunt effectus

cau-

cauſæ Finalis:: ſolum poſſet eſſe aliqua difficultas de actibus circa Finem poſſeſſum.

Operationes cauſæ efficientis ſūt effectus cauſæ finalis.

2 Dequibus ſine vlla controuerſia dicendum eſt, omnes actus ſupra enumeratos eſſe effectus cauſæ Finalis; ita Thomiſtæ cum D. Th. p. 2. q. p. art. p. apud Ruuium lib. 2. Phis. tract. 5. de cauſa finali q. 6. num. 57. Ita etiam Scotiſtæ apud Maſtrium, & Belluttum Diſp. 7. q. 8. art. 7. Ita etiam conimbr. lib. 2. cap. 7. q. 22. art. p. Amicus tract. 13. q. 4. Dubit. 2. art. 3. & AEgid. in 2. Sent. & probatur facilè, quia Agens eliciẽdo actus tendentes in Finem tam acquiſitum, quã acquirendum, verè agit propter Finem, verè mouetur à fine, & ab eodem allicitur non temerè, & caſu, ſed ex inſtituto, & per ſe, ergo verè elicitio illa, omneſque illi actus erunt effectus cauſæ Finalis; probatur conſequentia, quia nihil aliud requiritur ad hoc vt aliquid ſit cauſatum Finaliter; nec dubitandum eſt de Amore Finis, nam rectè dici poteſt, nos amare Finem propter ſe ipſum, & propter ſuam bonitatem, idemque dicendum de actibus conſequentibus acquiſitionem Finis, quia verè ſunt eliciti à voluntate per ſe, & cauſati ab obiecto per ſe bono, & à ratione propoſito, inuitante Voluntatem, vt in ipſo, eiuſq; poſſeſſione quieſcat, & gaudeat propter illius bonitatem, quæ dependentia ad Genus pertinet cauſæ Finalis.

Obiectio.

3 Sed Obijcies. Finis cauſat in ratione amati, & deſiderati; ergo amor, & deſiderium præſupponuntur cauſalitati Finis. 2. Finis eſt id, cuius gratia aliquid fit: ſed ſolummodo media ſunt illa, quæ fiunt in gratiam Finis, ergo alij actus circa Finem vel obtinendum, vel acquiſitum non ſunt propriè effectus Finis, quia huiuſmodi propriè non ſunt propter finem. Tertio; Intentio Finis non procedit ex alia Intentione, nec Amor Finis ex alio Amore, alias eſſet proceſſus in infinitum: ſed illud propriè eſt effectus Finis, quod procedit ex Amore, vel Intentione finis; ergo. quarto; in primo de Generatione tex. 55. habitibus præſẽtibus, ceſſat motus, ergo fine adepto, non eſt amplius actio, nec cauſalitas Finis. Quinto; datur aliquis actus humanus, qui non fit à caſu, ſed ex inſtituto, & tamen eſt indifferens, quia nec eſt intentio Finis, nec electio mediorum, ergo huiuſmodi actus non

eſt

eſt effectus Finis, atque adeò non quælibet Actio efficientis eſt per ſe effectus cauſæ finalis.

4 Reſpondetur, illud antecedens explicandum eſſe; Finis cauſat in ratione amati cauſalitate generali, verum eſt, cauſalitate particulari, quæ tantum eſt circa media, ſic eſt falſum; vel rectius dicas, quod Cauſalitas finis dupliciter poteſt cõſiderari, primò terminatiuè; Secundo principiatiuè: nunc quando dicitur, quod Finis cauſat in ratione amati, & deſiderati, verum eſt, ſumendo cauſalitatem principiatiuè, ita vt ſit Senſus, quod Finis non cauſat niſi in ratione alliciẽtis, & excitantis moraliter Agens, vt ſemetipſum phiſicè moueat ad producendum in ſe amorem, & deſiderium Finis; ſed falſum eſt illud antecedens, quod Finis cauſat amatus, ſumpta cauſalitate Finis terminatiuè: nam falſum eſt, quod Finis non cauſat niſi terminãdo amorem, & deſiderium Agentis ſupra ſe ipſum. Ad Secundum Reſpondetur, quod licet Finis expreſſius finalizzet circa media, quia reſpectu illorũ præſupponitur finis dilectus, & amatus; tamen non ſolum media finalizzantur, & cauſantur à fine, ſed etiam omnia ea, quæ ſunt ex propria motione Finis præconcepti ſub ratione boni propter ſe diligibilis. Ad Tertium Reſpondetur, quod ſicut Actio, in qua ponitur cauſalitas efficientis, propriè non fit per aliam Actionem; quia Actio non eſt id, quod fit; ſed id, quo cauſatur effectus, ita Amor, & Intentio Finis non eſt neceſſe, præſupponatur ad Cauſalitatem Finis, quia ly *Eſſe propter aliud*, Non dicit ordinem ad Finẽ amatum; ſed ad Finem allicientem ad operationem; vnde Agens alliciendo amorem erga finem, verè agit propter finem. Ad Quartum Reſpondetur; Ariſt. intelligendum eſſe non de motu, qui eſt poſſibilis, ſed de motu, qui eſt tendentia ad conſequendum Finem non iam præſentem: modo delectatio, gaudium, &c. non dicitur tẽdentia, per quam Voluntas moueatur ad finem, ſed per delectationẽ Voluntas quieſcit, & poſſidet finem modo quodam vitali, qui eſt cum actione voluntatis. Ad Quintum Reſpondetur, actum humanum indifferentem (ſi ille ſit) eſſe aliqualiter propter Finem non formalem, ſed virtualem, quatenus Voluntas vult obiectum præſentatum ſub ratione boni præcilè

Soluuntur obiectiones.

ciſſe propter bonitatem finis, vel in illo obiecto exiſtente, vel in alio, ad quod ordinatur, & hęc virtualis tendentia in finem ſufficit, vt actus ille humanus dicatur cauſatus à propoſito, & per ſe, & non temerè, nec à caſu.

DVBITATIO SEXTA.

Quę nam ſint Agentia, quæ agunt propter finem?

1 OMne Agens vel eſt intellectuale, & liberum, vel eſt naturale; primum diuiditur in Agens increatum, quod eſt ſolus Deus; & in Agens creatum, quod eſt vel Angelus, vel Homo. Secũdum ſcilicet Agens naturale, diuiditur in Agens per cognitionem aliquam ſenſitiuam, vt Bruta, & in Agens ſine vlla cognitione, vt cętera entia naturalia; de omnibus procedit dubitatio, an Agant propter finem? & ſequentibus concluſionibus eſt integro dubio reſpondendum.

Deus agit propter finẽ.

2 Prima concluſio. De⁹ Agit propter finem. eſt communis aſſertio, eamque docet AEgid. in 2. diſt. p. par. 2. q. p. art. 2. & probatur primo, quia Deus eſt Agẽs primum, cui tribuitur omnis motus, ergo motus rerum ad finem etiam tribuẽdus eſt ipſi Deo tanquã agenti primo. 2. Deus eſt agens per Intellectum, & Voluntatem, quia ſuum dicere eſt ſuum facere, vnde dixit, & factum eſt.: ſed Omne Agens per Intellectum intendit Finem, vt dicitur 2. meth. tex. 9. ergo &c. & hac ratione probatur etiã poteſt, quod Agẽtia creata per cognitionem agant propter finem.

3 Sed contra hanc concluſionem obijcies primo. inquit Philoſophus in 3. meth. tex. 3. quod in Mathematicis nõ eſt finis, neque bonum: ergo in rebus immobilibus, vel in his, quę non fiunt per motum, non eſt Finis: ſed De⁹ producit res ſine præcedenti motu, ergo Deo non cõpetit agere propter finẽ. Secũdo; Finis ſe habet ad Agẽs ſicut Forma ad Materiam, nam Agens tendit in finem, tanquam in aliquam perfectionem, quam deſiderat, ſicut Materia reſpicit formã; ſed Deo non competit, vt per aliquod perficiatur, ergo ei non competit agere propter finẽ. tertio; Actio Dei eſt ipſe Deus: ſed De⁹ eſt finis omnium rerum, qui non habet finem, ergo Actio Dei eſt finis omnium rerum, quæ nõ habet alium finem, ac per cõ-

ſequens

ſequẽs Deus non agit propter finem.

3 Pro Solutione not: Prius, quod in Operib' Diuinis vnũ ordinatur ad aliud ſicut res ordinatur ad ſuum complementum, & ad ſuam perfectionem, & in hoc attenditur finis operis, & omnia opera creata ordinantur ad Deum, & ad Bonitatem Diuinam, & in hoc attenditur finis operantis. Deus ergo & agit propter finem operis, quia opera ſua intendit ducere ad finem, & ad Complementum; & agit propter finem Operantis, quia agit propter ſemetipſum, id eſt propter Bonitatem ſuam, non quam intendat acquirere, ſed quam intendit aliis comunicare: & quia finis operis ordinatur ad finẽ operantis, propterea Deus omnia agit propter ſe ipſum, & propter bonitatem ſuam.

4 Nunc Reſpõdetur ad primũ. in rebus immobilibus, & in his, quæ non fiunt per motum, non eſt finis, neque bonũ, diſtinguo antecedens, non eſt Bonum acquiſitum per motum, verum eſt antecedens; non eſt bonũ comunicatum, vel comunicãdum, negatur antecedens; ſicut enim datur Agẽs, quod agit per motum, vt omne Agens naturale, & datur Agens, quod agit immotum, vt Deus; ita datur bonum acquiſitum per motum, & bonum ſine motu. Ad Secũdum Reſpondetur, quod Agens, quod agit propter bonum, quod intendit acquirere, eſt Agẽs imperfectum, & indiget perfectione, & hoc eſt Agens creatum: ſed Agẽs quod agit propter bonum, quod intendit comunicare, ita vt nõ poſſit aliud bonum vlterius acquirere; eſt Agens perfectum, nõ indigens alia perfectione; ſed eſt ipſa perfectio; & hoc eſt ſolus Deus. Ad tertium Reſpondetur, ꝙ licet actio Dei ſit ipſe Deus; & ſit idẽ, quod bonitas eius; differunt tamen in modo ſignificandi; & licet dicat eandem rem, non dicunt tamen eandem habitudinem, propter quod aliquid cõcedimus de vno, quod non concedimus de alio; dicimus enim quod bonitas Dei eſt obiectũ actionis ſuæ, Deus ergo volens bonitatem ſuam tanquã principale obiectum, producit creaturas propter huiuſmodi bonitatem, quã vult eiſdem comunicare. Ad formam igitur argumẽti dicendum, quod Actio Dei, quæ eſt ipſe Deus, non habet alium finem realiter à ſe ipſa diſtinctum; non eſt tamen inconueniens, quod nos intel-

Nota.

intelligamus, Deum per actionem ſuam tendere in bonitatem ſuam tanquam in principale obiectum, quam vult, & amat in infinitum, quo amore amatur finis.

5 Concluſio 2. omnia Agētia naturalia dicuntur agere propter finem. Ita AEgidius in 2. diſt. p. part. 2. q. p. art. p. probatur; quia ex D. Dioniſio in 4. de Diuinis Nominibus Pulcri cauſa cūcta fiūt, & pulcrum, & bonum cuncta deſiderant, ergo omnia entia naturalia, quæcunque ſint illa, dicūtur agere propter finem; probatur cōſequētia, quia omnia, quęcumque ſunt, appetunt pulcrum, & bonum: ſed omnia Agentia agunt propter illud, quod appetūt, ergo omnia Agentia agunt propter finem.

6 Sed contra hanc Secundam concluſionem obijcies. in actionibus Agentium naturalium inueniuntur multa monſtrua, & multa peccata, ergo Agentia naturalia non agunt propter finem: antecedens eſt manifeſtum, nam inter Bruta, multa ſunt: quę naſcuntur cum pluribus, vel paucioribus membris, quam debent habere. Secundo in Actionibus Agentium naturalium multa contingunt p accidens; quia multa ſunt ibi caſualia, ergo talia non agunt propter finem; probatur conſequentia, quia eſſe per accidens idem eſt, ac eſſe præter Finem, ſeu præter intentionem Agentis 3. in naturalibus multa contingunt ex neceſſitate Materię, ergo naturalia nō agūt propter Finē; probatur cōſequētia, quia quę ex neceſſitate Materiæ contingunt, non fiunt propter Finem. Quarto Agere propter Finem eſt agere cum deliberatione, & appræhendere finem: ſed agentia naturalia non deliberant, cum non apprehendant Finem; ergo &c.

Obiectiones cōtra ſecūdam concluſionem.

Reſpōdetur; quod ſi in natura eſt peccatū, & moſtrua, conſequens eſt, vt dicatur, naturam agere propter Finem; quia ideò in natura dicimus, eſſe peccatum; quia actio naturæ deuiat à fine. Ad Secūdum Reſpondetur eodem modo, non enim accideret aliquod per accidens, & pręter intentionem Agentis, niſi Agens per ſe aliquod intēderet: ſi enim Agens non intēderet aliquod per ſe, nec aliquod determinatum; vel ſi nihil intenderet, nihil ageret, & ſi nihil ageret, nihil in Actione Agētis accideret per accidens. Ad tertium Reſpondetur; quod etiam in Arte contingunt multa ex neceſſitate Materię, vt ſi Ma-

Soluūtur obiectiones.

teria Sagittæ ſit nodoſa, contingerent aliqua ex Materia. ſed ex hoc non concluditur, quod natura non agat, intẽdendo Finem; ſed ſolum habetur, quod aliqua accidant in iſtis Inferioribus ex neceſſitatè Materiæ præter intentionem Finis. Ad Quartum Reſpondetur, quod quęcunque agunt propter Finem, vel agunt, quia tendunt in Finem per cognitionem, quę eſt in eis, vel per cognitionem, quæ eſt in alio: naturaliter ergo tendunt in Finẽ, & agunt propter finem non per cognitionem, quæ eſt in ipſis: ſed per cognitionem quæ eſt in alio, vt quia ſcilicet diriguntur à Deo in Finem.

DE CAVSIS INTER ſe, earumque effectibus ſibi inuicem comparatis.

DVBITATIONES TRES.

Dubitatio Prima. V. Cauſæ ſint ſibi inuicem cauſa, mutuamque depẽdentiam habeant inter ſe?

Dubitatio Secunda. An Vnus effectus ſaltem de potentia Dei poſſit pendere à duplici cauſa totali non ſubordinata ſimul, & ſemel?

Dubitatio Tertia An Vn' effectus ſaltẽ ſucceſſiuè poſſit pendere à diuerſis Agentibus non Subordinatis?

DVBITATIO PRIMA.

V. Cauſæ ſint ſibi inuicem cauſę, mutuăque dependentiam habeant inter ſe?

1 SEnſus eſt, an vna cauſa poſſit eſſe effectus alterius cauſæ, & è contra? cui quæſito duplici ſequenti concluſione ſatisfaciendum eſt. Prima concluſio. Cauſæ Secundum diuerſas rationes conſideratæ poſſunt eſſe ſibi inuicem cauſæ, tam in eodem genere, quam etiam in diuerſo genere. Eſt comunis Sententia omnium Philoſophorũ, ſed expreſſa Ægidij in p. Sẽt. diſt. 14. princ. 2. q. 3. litt. m. vbi hæc habet. *Videmus enim Secundũ Philoſophum 5 Meth. com. 2 aliqua duo eſſe cauſas ad ſe inuicem, & cauſata; ſicut apparet in ſanitate: nam in genere cauſæ efficientis potio ſanitatem cauſat; in Genere cauſæ finalis ſanitas cauſat potionem: & quia cauſa naturali intelligentia præcedit effectum, ideo ſanitas, & po*

Concluſio ſubſtinẽda.

Doctrina Ægidij.

tio aliter, & aliter accepta erunt priora, & poſteriora ſe ipſis, ex quo apparet, quod Secundum alium, & alium reſpectum naturali Intelligẽtia aliqua duo ſe ipſa præcedunt, & ſequuntur. Et pauc̃is interiectis, ſic proſequitur. *Hoc autem ſic eſt videre, quia ſi aliquis infigeret clauũ vnum in ligno, & figendo clauum, alium clauum remoueret; ſi quæreretur; quodnam eſt prius, an infixio claui, vel remotio alterius? diceretur; quod reſpectu infigentis prius eſt infixio, quam remotio; quia infigens non remoueret, niſi ex eo, quod infigit, ex parte autem eius, cui fit infixio, eſt ordo contrarius, quia non infigitur ibi clauus, niſi quia remouetur alius; propter quod Secundum modum intelligendi ſic, remotio præcedit infixionem, licet ſimul tempore ſint infixio, & remotio.*

2 Idem habet AEgidius in 2. Sent. diſt. 9. q. p. art. 5. in reſolutione dubij 3. vbi hæc ait. *Sciendum tamen, non eſſe incoueniens Secundum alium, & alium reſpectum aliqua duo ſic ſe habere, quod vnum ſit cauſa alterius, & è contra, non tamen in eodem Genere cauſæ, ſicut potio eſt cauſa ſanitatis in genere cauſa efficientis, & ſanitas potionis in genere cauſæ finalis, quia cauſa eſt prior natura effectu, non eſt inconueniens Secundum aliam, & aliam rationẽ ſanitatem eſſe natura priorem potione, & è contra: nec eſt alia, & alia Sanitas, quæ præcedit, & ſequitur potionem: ſed eſt eadem aliter, & aliter accepta, quia eadem Sanitas Secundum intentionem Agẽtis eſt prior potione, aſt Secundum receptionem in paſſo eſt poſterior.*

Alius locus Ægidij.

3 Probatur autem amplius concluſio, quia ex hoc nulla ſequitur implicantia, nec idem reſpectu eiuſdem ſequitur, quod ſit cauſa, & effect⁹; quia iuxta hunc modum dicendi non ponitur eadem res Secundum eandem rationem cauſa, & effectus alteri⁹, ſed Secundum vnam rationẽ ponitur cauſa, & Secundum aliam ponitur effectus tum denique quia Materia eſt cauſa formæ quo ad eius eſſe ſimpliciter: forma vero eſt cauſa Materiæ quo ad eſſe formale.

Probatur concluſio ratione.

4 Secunda concluſio. Cauſæ non poſſunt eſſe ſibi inuicem cauſæ Secundũ eandẽ prorſus rationem nec in eodem Genere cauſæ, nec minus in diuerſo Genere; probatur: quia tunc idem eſſet cauſa, & effectus reſpectu eiuſdẽ, quod eſt impoſſibile; quia tunc eſſet prius, & poſterius

Cauſæ ſecũdũ eandẽ rationẽ non poſſũt eſſe ſibi inuicem cauſæ.

ſterius; dependens, & independens reſpectu eiuſdem, nam in ratione cauſę eſſet prius, & independens; in ratione vero effectus eſſet poſterior, & independens. Adde, quod ſi cauſę Secundum eandem rationem poſſent ſibi eſſe mutuo cauſæ, tunc idem ſimul eſſet, & non eſſet, nam ex eo quod cauſaret, eſſet; & exiſteret; & ex quo egeret cauſari, tunc nõ eſſet. Tandem ſequeretur, quod idem eſſet etiã cauſa ſui ipſius ſiue immediatè, ſiue mediatè, quicquid enim eſt Cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati.

DVBITATIO SECVNDA.

V Vnus, & Idem effectus ſaltem de potentia Dei abſoluta poſſit pendere à duplici cauſa totali nõ ſubordinata?

1 NOn eſt quæſtio de plurib' cauſis diuerſi Generis, ſed eiuſdem: nec de plurib' cauſis formalibus, vel Materialibus, quia de huiuſmodi iã dictum eſt ſuo loco; ſed de pluribus cauſis extrinſecis, præſertim efficientibus: nec procedit quæſtio de duabus cauſis efficientibus partialibus, quia huiuſmodi poſſunt vtique producere ſimul eundem effectum, ſed eſt difficultas de duabus cauſis efficientibus totalibus, non quidem ſubordinatis; vt eſt cauſa Prima, & Secunda, & ex cauſis Secundis cauſa Vniuerſalis, & particularis; nam huiuſmodi de facto attingũt eundem effectum: ſed remanet difficultas de duab' cauſis totalibus non ſubordinatis, nec quærimus de facto, & Secundum ordinem naturalem, quia vt ſic certiſſimũ eſt apud omnes, id naturaliter non euenire; cum nihil ſuperfluũ natura permittat; ſed tantum an de potentia Dei abſoluta vnus, & idem effectus poſſit pẽdere à duabus cauſis eiuſdem Generis non partialibus, ſed totalibus, non ſubordinatis, ſed diſparatis?

Aperitur ſtatus difficultatis

Opinio negans.

2 SCOTVS in primo Sent. diſt. 2. q. 3. & in 2. diſt. 20. q. 2. & cum eo omnes Scotiſtæ præſertim Maſtrius, & Bellutus Diſput. 8. q. 3. art. 2. negant, de potentia Dei abſoluta poſſe duas cauſas totales non ſubordinatas producere vnum, & eundem effectum; fundamenta præcipua ſunt huiuſmodi, primo quia ſi effect' produceretur à pluribus cauſis, tunc ſimul ab eiſ-

eiſdem penderet, & nō penderet: ſed hoc implicat, ergo &c. probatur ſequela maioris; à nullo aliquid dependet, quo non exiſtente, nihilominus eſſet, ſed ſit Ignis v. g. habet duas cauſas totales nēpè A, & B; tūc nō exiſtēte A, nihilhominus Ignis eſſet à B; cū ponatur eius ſufficiens cauſa totalis: & non exiſtente B, ad huc eſſet ab A. propter eandem rationē, ergo effectus penderet ſimul ab vtraque cauſa, quia ſic ſupponitur; & penderet à neutra, quia qualibet earum deficiente, ad huc eſſet effectus, Secundo de ratione cauſæ totalis, & adequatè eſt, vt ex hauriat, & expleat totam effectus indigentiam, ergo eo ipſo, quod effectus totaliter pendet ab vna cauſa, nequit ab alia ſimul totaliter dependere; conſequentia ſequitur, probatur antecedens, quia ſi Cauſa non explet totā effectus indigentiam, cauſa non erit totalis, & adequata, ſed potius partialis. Tertio; ſi duę cauſę applicentur ad eundem effectum, non poſſunt ad illum cōcurrere niſi per diſtinctas actiones, cum actio etiam indiuiduetur ab Agente: diſtincta ergo Agentia non poſſunt agere niſi per diſtinctas numero cauſalitates: ſed diuerſæ Actiones poſtulant diuerſos Terminos, & diuerſi Termini ſunt diuerſi effectus Agentium, ergo non poſſant producere eundem effectum.

Fundamenta pro Scoto.

3 Gaietanus vero pro Thomiſtis in p. p. q. 52. docet, non implicare contradictionē, quod duę cauſę ſimul cōcurrāt ad eundem effectum; quam Sententiam ſequuntur etiam plures ex Recentioribus præſertim Ruuius Tract. 7. q. p. num. 87. §. 2. Opinio. Amicus Tract. 14. q. 7. dub. 3. art. 5. Suarez diſp. 26. Sect. 4. Hurtad. diſp. 8. phiſic. Sect. 10. & plures alij apud relatū Amicum; quorum probationes ſunt huiuſmodi; primo plures Sacerdotes de facto ſi proferant verba conſecrationis ſimul ſuper eundem Panē, omnes ſimul conſecrant: & ſimiliter ſi plures Sacerdotes ſimul eundem Hominem baptizzent, conferent pariter eūdem effectū Gratiæ, ergo &c. 2. plures Formę Subſtātiales poſſunt eſſe ſaltē ſupnaturaliter in vna, & eadem Materia, ergo plures cauſæ efficientes nō ſubordinatæ poſſunt producere eundem effectum; eadem enim eſt ratio vtrobiq; tertio, & difficilius de facto vnus, & idem numero effectus pēdet à duplici cauſa totali ſcilicet

Sententia affirmans cū ſuis rationibus.

licet

licet à Prima, quæ eſt ſimpliciter totalis, & ſe ſola ſufficiens ad ponēdum effectum, & à cauſa Secunda, ergo de poſſibili poteſt idem effectus pendere à duplici cauſa totali non ſubordinata; probatur conſequentia, quia eſt eadem difficultas de ſuperfluitate cauſæ Secundæ cum Prima, ſicut de vna cauſa totali cum alia totali, ſed poteſt vnꝰ effectus eſſe à Prima, & Secunda, ergo poteſt etiam eſſe à duabus totalibꝰ diſparatis.

Colligitur ſententia Ægidij ex alibi dictis.

4 AEGIDIVS non mouet ex profeſſo hāc quæſtionem, poſſumus tamen ex eius doctrina nō obſcurè colligere, quæ ſit eius in hac difficultate Sententia: nam in primo ſent. diſt. 11. princip. 2. q. p. quærens, an Pater, & Filius ſpirent Spiritum Sanctum in quantum plures? reſoluit partem negatiuam, quia illa reduplicatio (in quantum) cadit ſupra Virtutem Spiratiuam, quæ eſt vna; vnde quāuis ſuppoſita Spirantia ſint duo, ſcilicet, Pater, & Filius; tamen quia Virtus, quę eſt ratio ſpirandi, eſt vna, ideo non ſpirāt in quantum plures, ſed in quantum vnū, & productū ſcilicet Spiritus Sanctus eſt vnus propter vnitatem Virtutis ſpiratiuæ.

5 Rurſus in 3. Sent. diſt. p. part. p. q. p. art. 5. quærens, an plures Perſonæ Diuinæ poſſint aſſumere vnam, & eandem Naturam numero? in reſolutione primi dubij lateralis hęc habet. *Si ergo perſonæ Diuinæ referuntur ad creaturam quatenus Deus; cum ſint vnus Deus, non erunt niſi vnum principium creaturæ, non duo, vel tria principia, & quod dictum eſt de principio, veritatem habet de termino, nam ſi Perſonæ Diuinæ ſunt vnum principium creaturæ, quia ſunt vnus Deus; ſic ſi aſſumptio Humanę naturę terminetur ad Perſonas Diuinas vt ſunt Eſſentia, & vnus Deus; cum omnes tres Perſonæ non ſint niſi vna Eſſentia, & vnus Deus, omnes tres Perſonæ, & non Duæ tantum erunt hoc modo vnus terminus, non tres termini creaturæ.* De dictrina Ægidij.

6 Ex quibus colligi poteſt, ꝙ ſicut plures Perſonę Diuinæ per vnam Virtutem Spiratiuam ſpirant vnum Spiritum Sanctum, & ſi haberent plures, & diſtinctas virtutes ſpiratiuas, non ſpirarent vnū Spiritum Sanctum, ſed plures: inſuper ſicuti plures Perſonæ Diuinæ in quantū vnus Deus poſſunt aſſumere vnā numero naturā, ſed in quantum plures perſonæ realiter diſtinctę nō poſſunt aſſume-

re vnam numero naturam; ſed neceſſario poſtulāt aſſumere plures, & diſtinctas naturas; ita plures cauſæ totales non ſubordinatę per vnā numero cauſalitatem poſsūt attingere vnum numero effectum: aſt plures cauſæ totales per plures cauſalitates realiter diſtinctas nequaquā poſſunt attingere vnum numero effectum; ſed neceſſario poſtulant, per plures cauſalitates plures effectus attingere.

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

7 POſſumus ergo cum data doctrina ſic vtramque Sententiā ſubſtinere; plures cauſę totales non ſubordinatæ cauſantes pluribus cauſalitatibus diſtinctis nec per Diuinā potentiam poſſunt attingere vnum numero effectum; hoc tantum conuincit Sententia Scotiſtarum; ratio fundamētalis ea eſt, quia cauſalitas eſt ipſum eſſe cauſæ comunicatum effectui: ſeu ipſum eſſe cauſæ participatum ab effectu, ergo multiplicatis cauſalitatibus realiter diſtictis, eſt impoſſibile, quin multiplicentur effectus diſtincti.

Quod ſi plures cauſę totales non ſubordinatę poſſunt habere ſaltem ſupernaturaliter vnam, & candem numero cauſalitatem, in tali caſu poterunt etiam attingere vnum, & eundem numero effectum: & quia de potentia Dei abſoluta non repugnat, duas cauſas totales non ſubordinatas habere eandem numero cauſalitatem, vt patet de Perſonis Diuinis, ideò nec repugnat, duas cauſas totales producere vnum, & eundem effectum. & ſic eſt intelligenda Sententia Thomiſtarum.

RESPONDETVR IN FORma Argumentis

Vtriuſque Sententiæ.

8 AD Scotum dicimus, eius argumenta conuincere, non poſſe plures Cauſas totales non ſubordinatas per plures cauſalitates diſtinctas producere vnum numero effectū, quod verum eſt iuxta ſuperius dicta, & ad Primum diſtinguenda eſt maior: ſi effectus produceretur à pluribus cauſis per plures, & diſtinctas cauſalitates, tunc effectus penderet, & nōn penderet, ſic vera eſt maior; ſi effe-

effectus produceretur à pluribus cauſis per vnã numero cauſalitatem, tunc effectus penderet, & non penderet, ſic falſa eſt maior. Ad Secundum Reſpondetur eodem modo; & conceſſo antecedente de Cauſa totali operãte per ſuam propriam cauſalitatem, diſtinguendum eſt conſequens; ergo effectus eo ipſo quod pendet ab vna cauſa totaliter; nequit ab alia dependere; ſi ambæ cauſæ operentur per plures, & diſtinctas cauſalitates, verum eſt conſequens; aſt ſi operentur per vnam, & eandem numero cauſalitatem; ſic falsũ eſt. tertium argumentum cõcludit de cauſis, operantib⁹ per diuerſas cauſalitates; in quo ſenſu verum eſt, non poſſe plures cauſas per plures cauſalitates attingere eũdem effectum.

9 Ad Caietanum pro Thomiſtis dicendum eſt, conuincere de Cauſis operantibus per vnam numero virtutem, & Cauſalitatem, vt conſideráti patere poteſt; etenim Sacerdotes cum proferunt verba Cõſecrationis ſuper vnã, & eandem Hoſtiam, efficiunt quidem vnum Sacramentũ, quia plures Sacerdotes quãuis Materialiter ſint plures proferẽtes, tamen quia vna, & eadem eſt Forma conſecrationis in omnibus, vnum tantum efficiunt Sacramentum; idque manifeſtius patere poteſt ex eo, quia ſi vnus Sacerdos proferret verba cõſecrationis poſt alium, tunc efficeret diuerſum Sacramẽtum. Ad Secundum de Formis Subſtantialibus dicendũ eſt eodem modo, quod nimirum quando ſunt plures in eadem Materia, tunc ſi ſingulæ habent propriã cauſalitatem Formalem, non poſſunt omnes habere in eadem Materia vnum numero effectum Formalem propter rationem ſuperius adductã, quod ſi ſupponatur, omnes Formas Subſtantiales in eadem parte Materiæ habere vnam numero Cauſalitatem: tunc conſequenter dicendũ erit, poſſe eaſdem Formas habere in eadem Materia eundem effectum; ſed de hoc vide, quæ diximus Diſput. p. q. 3. de principijs in particulari, Agentes de Materia, & Forma ſibi inuicem comparatis, dubit. 5. per totam, vbi latè docuimus, quomodo poſſint plures Formæ Subſtantiales eſſe in eadem Materia. Ad tertium dicendum eſt, cauſam Primam, & Secundam, (& idem Iudicium erit de cauſa Vniuerſali, & particulari) agere per vnam, & eandem numero Actionem,

ctionem, & omnino attringunt vnum numero effectum.

DVBITATIO TERTIA.

V. Vnus, & Idem numero effectus poſſit dependere à diuerſis cauſis ſaltem ſucceſſiuè?

1 IN duplici Senſu poteſt præſens quæſtio agitari; primo, an vnus numero effectus iam productus ab hac numero cauſa, potuiſſet produci ab alia cauſa diſtincta, ſi in eodem tempore, & loco fuiſſet applicata eidem numero Subiecto? & in hoc sẽſu eſt præſens difficultas reſoluenda, ſicut diximus in Dubitatione præcedenti; Secundo poteſt intelligi præſens quæſtio in alio ſenſu, an ſcilicet vnus, & idẽ numero effectus ſemel productus ab vna numero cauſa poſſit iterum ſucceſſiuè de nouo ab altera produci, ſiuè permaneat in eſſe recepto ꝑ primam productionem, & idẽ eſſe recipiat ab alia cauſa; ſiuè deſinat quo ad primum eſſe receptum per primam productionem; & iterum illud idem eſſe recipiat ab alia cauſa?

2 Et in hoc Secundo Senſu reſolutè nobis dicẽdum eſt nec per Diuinam Potentiam poſſe vnum, & eundem numero effectum ſucceſſiuè pẽdere à pluribus cauſis. Ita inferri poteſt ex Ægid. in theor. de Corp. Dom. propoſ. 1. & de reſurrectione mort. q. p. & nos in Meth. tract. tertio, vbi diximus, conditiones requiſitas ad vnitatem numericam eſſe hic, & nunc, ita vt vna res nõ poſſit dici vna numero niſi in hoc loco, & in hoc tempore, ergo cũ cauſalitas vnius cauſæ (ſiue ſupponatur eadẽ ſiuè diſtincta à cauſalitate alteriꝰ cauſę) nunquam ſit ſimul tempore cum cauſalitate alterius; quia ſupponimus, vnã cauſam cauſare poſt aliam, & ſucceſſiuè, ergo effectus nunquam erit vnus, & idẽ numero; ſed de hoc iterum ſermo redibit in 3. Tractatu de Gener. & Corrup. Diſput. 2. q. 2. de generatione circulari mixtorum, ſeu de reproductione eiuſdem rei Secundũ eſſe numericum; Dubit. prima.

DE CAVSIS PER Accidens

DVBITATIONES TRES.

Dubitatio Prima. An detur Caſus, & Fortuna?

Dubitatio Secunda. Quid ſit ca-

caſus, & Fortuna, & quomodo diſtinguantur huiuſmodi Cauſę?

Dubitatio Tertia. An ſit, & quid ſit Fatum?

DVBITATIO PRIMA.

An detur Caſus, & Fortuna?

1 OMnes antiqui, qui putarunt, omnia euenire Fato, negauerunt in natura dari caſum, & Fortunam; ſed contrarium docuit Ariſt. 2. Phiſic. tex. 40. & ideo nobis dicendum eſt, dari in rerum natura effectus fortuitos, & caſuales; probatur; quia vel omne ens eſt neceſſarium, & neceſſario agit, & hoc non, tum quia rationi repugnat; tum etiam quia Mundus nō eſſet perfectus, cum in eo nō eſſent omnes entium grad⁹; vel datur aliquod ens, quod poteſt in ſua actione fruſtrari, & tunc iam ſequitur, dari effect⁹ fortuitos, & caſuales; nec huiſmodi effectus dicuntur fortuiti, & caſuales, quia fortè nō fiant ab aliqua cauſa; id eni eſt impoſſibile, ſed quia non fiant à cauſa determinata, & operante ex intētione illius.

2 Sed Obijcies. omnia determinatè eueniunt à cauſa determinata, cum omne Agēs agat propter finem, ergo nullus datur effect⁹ caſualis. Secundo omnis effectus per accidens reducitur ad causā per ſe, ergo non dantur effectus fortuiti, cum huiuſmodi habeāt cauſam per ſe. tertio. omnis Actio eſt ad aliquem finem, ergo nulla datur actio fortuita. quarto Inuentio Theſauri, quæ maximè dici ſolet fortuita, habet determinatam cauſam, ſcilicet Foſſionem; ergo non erit fortuita quinto omnia præuidentur, & diſponuntur à Deo, ergo nullus effectus eſt fortuitus, quia neceſſario eueniet.

3 Reſpondetur ad primum; quod licet omne Agens agat propter finem: tamen multoties aliqua eueniunt præter intentionem, & licet quo ad entitatem effectus fortuitus ſit verum ens per ſe, non tamen quo ad Cauſalitatem, & intentionem Agentis: vnde Theſaurus inuētus poteſt habere innumerabiles cauſas per accidēs, vt puta, quia fodiens intendebat inuenire Aquā &c. Ad Secundum Reſpondetur, quod illa propoſitio Omnis Cauſa per accidens reducitur ad Cauſā per ſe, intelligenda eſt, vel quod reducitur ad ſe ipſam, vt eſt cauſa per ſe, reſpectu alteri⁹

effe-

effectus, & ſic fodiēs Terrā eſt cauſa per accidens reſpectu inuentionis Theſauri, ſed eſt cauſa per ſe inuētionis Aquę; vel reducitur ad cauſam ſe- priorem origine, vel perfe- ctiorem, vt eſt Deus. ad ter- tium Reſpōdetur, maiorem eſſe veram de Actione cauſæ per ſe, & de fine mouente A- gens ad operandum: non ta- men de actione cauſę per ac- cidens, quę licet non habeat finem vt cauſam, & vt eſt id, cuius gratia &c. habet tamen Finem in ratione terminan- tis Actionem, quamuis non intendatur. Ad quartum di- cimus, quod effectus fortui- tus non dicitur eſſe à cauſa indeterminata, quia fortè quādo fit, nullā habeat Cau- ſam certam; ſed quia ex na- tura ſua non petit eſſe ab illa cauſa, ſed poterat eſſe ab in- numeris cauſis, & per acci- dens eſt; quod illæ cauſæ ſi- mul concurrant. Ad Secundū Reſpōdetur, quod licet De⁹ omnia præuideat, & proui- deat: tamen ipſe Deus ita or- dinat cauſas, vt ſinat motus ſuos agere; quapropter per accidens illæ cauſæ inter ſe coniunguntur; quia contin- genter, non neceſſario; con- curſus enim Dei, & determi- natio Diuina non tollit con- tingētiam à rebus; neque ex hoc, quod ex parte Dei non datur effectus fortuitus, ſe- quitur, quod neque detur ex parte creaturæ; quia quod Intenditur ab vno, poteſt nō eſſe intētum ab alio: eſtque vulgatum exemplum de Do- mino mictente duos Seruos ad diuerſa loca; qui cum in medio itineris ſibi mutuo oc currunt, neſciunt hanc eſſe Domini intētionem: occur- ſus tamen, qui reſpectu Ser- uorum eſt fortuitus; quia præter intentionem vtriuſ- que, reſpectu Domini eſt ef- fectus per ſe, quia ab eo prę- uiſus, & intentus.

Reſpō- detur obiecti onibus.

DVBITATIO SECVNDA.

Quid ſit Caſus, & Fortu- na, & quomodo diſtin- guantur inter ſe?

1 DVo petimus ſub eo dem titulo, & ſin- gulis partibus ſic breuiter Reſpondetur. For- tuna ex Ariſt. 2. Phiſic. tex. 51. rectè ſic diffinitur. *Eſt Cau- ſa per accidens in ijs, quę ope- rantur ob aliquem finem ex electione neque ſemper, neque vt plurimum.* Ly cauſa per accidēs eſt loco generis (quę raro fiunt) ad excludendos effectus, qui vt plurimum, vel ſemper eueniunt, ly ob aliquem finē ponitur ad tol- lendos effectus incōnſidera-

Fortu- næ diffi- nitio ex- plicatur

tos, dicitur Secundum electionem, ad excludendos effectus naturales, & ponitur Fortuna tantum in Agentibus liberis: vnde inuentio Theſauri à fodiente, dicitur Fortuna.

2 Caſus autem ab eodem Ariſt. non deffinitur, poteſt tamē ex eius doctrina ſic diffiniri. *Caſus eſt cauſa per accidens in his, quę raro fiunt, & propter finem, non tamen Secundum electionem.* Quę diffinitio intelligenda eſt vt diffinitio Fortunę, præter vltimam particulam, quæ ponitur ad differentiam Fortunæ.

3 Ex quo colligi poteſt reſponſio ad Secundam partē quæſiti? quomodo ſcilicet caſus, & Fortuna conueniāt, & quomodo differant conueniunt quidem, quia ambo ſunt cauſæ per accidens, & raro eueniunt, differunt tamen, quia Caſus in plus ſe habet, quam Fortuna, nam omnis Fortuna eſt Caſus, quia fit per accidens; non tamen è contra, nam Caſ⁹ reperitur etiā in Brutis, & ratione carentibus: Fortuna vero tantum in Agentibus per intellectum, & Secundū electionem.

4 Sed contra diffinitionem Fortunę Obijcies. multi effectus dicuntur caſuales, & tamen ſunt per ſe intenti, ergo Fortuna, & caſus nō ſunt cauſa per accidens: antecedens patet in eo, qui ludens lucratur, quod certè intendit. Secundo; cauſæ effectus fortuiti, & caſualis ſunt determinatę; ergo nō ſunt cauſæ per accidens, probatur antecedens, quia illæ ſunt cauſæ determinatæ, quibus poſitis, ponitur neceſſario effectus, ſed effectus fortuiti, & caſuales neceſſario ponuntur, poſitis eorum cauſis, ergo illorum Cauſæ ſunt determinatæ. Reſpōdetur ad primum, quod ad effectum fortuitum duo ſimpliciter requiruntur, primo; vt accidat raro; ex his ſi alterum deſit, effectus non erit ſimpliciter fortuitus, ſed Secūdum quid: cum ergo aliquis intendit lucrum in ludendo, tunc lucrum non eſt ſimpliciter fortuitum, etiam ſi raro accidat, & ſit incertum, ſed erit tantum fortuitum Secundum quid; Ad Secundam Reſpondetur, quod effectus dicitur per accidens non ſolum, quia eſt pręter Intentionem Agentis, eiuſque cauſæ per accidens concurrunt ad ipſum, ſed etiā quia multæ aliæ cauſæ potuerunt concurrere, vt fieret talis effectus, nam foſſio v.g. poteſt oriri ex multis cauſis, vt ꝙ plan-

Obijcitur cōtra diffinitionē Fortunæ.

Reſpōdetur obiectionibus.

plantentur arbores, vt ædificetur Domus &c. & dato q̃ aliquis effectus pendeat à paſſione determinãte, illa tamen paſſio poteſt habere diuerſas cauſas.

5 Obijcies iterũ. Quilibet effectus caſualis eſt à cauſis determinatis, quia aliàs non poſſet poni in eſſe, quod ſi ponitur in eſſe, ab aliqua cauſa particulari fiet, malè ergo dicitur, quod Caſus, & Fortuna ſunt cauſæ per accidens. Reſpondetur, Effectũ Fortuitum quando actu fit, sẽper habere aliquam cauſã determinatam, quia producitur ab Agente determinato ex aliquo fine: ſed dicitur habere cauſam indeterminã tam; quia eſt præter Intentionem Agentis: quare Agẽs dicitur Indeterminatum ad illum effectum determinatè, qui ſumitur ex parte Finis. 2. dicitur habere cauſam indeterminatam, quia non habet neceſſitatẽ, nec vt plurimum habet connexionem cũ cauſa illa operante propter illum finem, ita vt poſita Cauſa, ponatur effectus: quare illa cauſa non eſt ex ſe determinata ad illum effectum; ſed per accidẽs eſt determinata, quatenus ſcilicet illi cõiungitur alia cauſa, quę v.g. poteſt dici abſconſio Thæſauri.

6 Obijcies tertio contra id, quod dicitur, quod Fortuna eſt in his, quæ raro &c. Eclypſis, & alia raro eueniunt, & tamen non ſunt caſuales, ergo &c. Reſpondetur, dupliciter aliquod dicitur fieri raro, prima ratione temporis, quia ſcilicet actio, qua efficitur effectus, raro ponitur in eſſe, & hac ratione eclypſis dicitur fieri raro, quia ſcilicet raro ponitur cauſa, ſed ea poſita, neceſſario ponitur effectus: Secundo ratione cauſæ, quia poſita tali cauſa, raro exiſtit effectus, & huiuſmodi raritas facit effectum caſualem: effectus ergo fortuitus vtroque modo fit raro.

DVBITATIO TERTIA.

An ſit, & Quid ſit Fatum?

1 DE Fato propriè pertinet ad Theologos in Materia de Diuina Prouidentia, pro nũc tamen occaſione accepta, quod Fatum opponitur caſui, & Fortunæ, breuiter dicimus, quod ſi Fatũ accipiatur vel prò diſpoſitione, & ordine in cauſis rerum cõſtituto, à quibus in euitabiliquadã neceſſitate eueniant effectus, vel pro diſpoſitione

In quo ſẽſu nõ admictẽdum eſt ſatum.

ne, & connexione neceſſaria omnium Cauſarum, ita vt omnes effectus in euitabili neceſſitatè à cauſis ità diſpoſitis euenire dicatur, ſic nullatenus admittēdum eſt Fatum, cum tale ſic ſumptum vel tollat libertatem, & omnipotentiam à Deo, vel ſaltem à nobis omnem auferat libertatem.

2 Sed ſi per Fatum intelligatur id, quod dicit diſpoſitionem Secundarum cauſarum à Diuina Prouidentia cōſtitutam in ordine ad ſuos effectus, ſic concedendum eſſe fatum, docet, & egregiè D. Thom. p. p. q. 116. art. p. & 2. & AEgid. in p. Sent. diſt. 39. Principal. 2. q. 2.

2 Fatum autem ex Boetio 4. de Conſolatione apud AEgidium vbi ſupra ſic diffinitur. *Eſt rebus mobilibus immobilis inhærens diſpoſitio, iuxta quam Diuina Prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus.* Quę diffinitio ſic explicatur: nam Fatum poteſt dupliciter ſumi, primo pro actu Diuinæ Voluntatis omnia diſponente, & ordinante; & hoc modo non differt à Diuina Prouidentia, qua Deus cunta gubernat. 2. pro ordine, qui eſt in ipſis cauſis Secundis diſpoſitis, & ordinatis, & hoc modo ſumitur in præſenti, & ideo rectè dicitur diſpoſitio inhærens rebus mobilibus &c. poſito igitur ordine cauſarum Secundarum à Diuina Voluntate conſtituto, neceſſario, & infallibiliter eueniunt effectus omnes, quos ab æterno præuidit ſequuturos, nō enim poteſt falli Diuina Scientia: iſta tamen neceſſitas eſt neceſſitas effectus, & ſuppoſitionis, non neceſſitas Simpliciter, nec neceſſitas cauſæ, quia Deus ita ſuauiter diſponit, vt ſinat Cauſas Secundas agere ſuos motus: vnde cauſa libera ad huc liberè concurrit: quomodo autem cum iſta infallibilitate ſaluetur libertas arbitrij creati, res eſt ardua, & Theologis remittenda, & propterea de Cauſis hæc dicta ſufficiant.

DIS-

DISPVTATIO TERTIA

DE PASSIONIBVS CORPORIS MOBILIS, De quibus per ſex vltimos libros Phiſicorum.

INTER omnes Corporis Naturalis Affectiones Motus eſt, qui omnibus eſt notior, & nobilior: quoniam vero motus eſt de Genere continuorum, quibus conuenit eſſe Finitum, vel Infinitum, & motus ſaltem Localis ſine Loco, & tempore eſſe non poteſt; Rurſus quia motus ſuas habet Species; ſuamque vnitatem, & diſtinctionem, & quatenus continuus ſua compoſitione non caret, nec ſua Inceptione, & deſitione; Quoniam denique motus ad ſua mouentia ordinatur; quæ vel ſunt dependētia, vt omnia Agentia creata, vel eſt ſimpliciter independens, vt Deus; propterea ſub hac diſputatione erunt ſex Quæſtiones; in quarum prima agemus de Motu, & Infinito, de quibus Ariſt. in 3. Phiſicorum. in 2. de Loco, Vacuo, & Tempore, de quibus Ariſtotiles in quarto Phiſicorum. In tertia de Vnitate, & Speciebus motus, de quibus in Quinto Phiſicorum. In quarta de Compoſitione continui, atque Inceptione, & Deſitione rerum, de quibus Ariſt. in Seſto. In Quinta de Mobili in ordine ad mouentia creata, de quibus in Septimo Phiſicorum. In Sexta demum de Motu in ordine ad Primum Motorem, Vbi de Mundi Æternitate, de qua Ariſt. in Octauo Phiſicorū.

QVÆSTIO PRIMA.

DE MOTV, ET INfinitio, de quibus Ariſt. in 3. Phiſicorum.

DE MOTV.

DVBITATIONES QVINQVE.

Dubitatio Prima. Quæ nam ſit Formalitas Motus, & an motus rectè diffiniatur ab Ariſtotile?

Dubitatio Secunda. An diffinitio Motus conueniat mutationibus inſtantaneis, vel tantum ſucceſſiuis?

Dubitatio Tertia. V. Motus diſtinguatur à Termino ad quem, & à Mobili realiter, vel tantum ratione?

Dubitatio Quarta. V. Omnis Motus realiter ſit in Mobili?

Dubitatio Quinta. V. Actio ſit in Agente tanquam in Subiecto, vel in paſſo?

DVBITATIO PRIMA.

Quę nã ſit Formalitas motus, & an rectè eius diffinitio ſit traddita ab Ariſtotile?

1 MOtus non eſt aliquid purè abſolutũ, nec eſt ſimpliciter quid reſpectiuum ſine aliquo abſoluto: ſed eſt res imperfecta ſub aliquo ordine, id eſt eſt Actus imperfectus pro vt tendit ad ſuam perfectionem; ita Aegidius in 3. Phiſic. Lect. 3. & in 2. Sent. diſt. 25. quæſt. p. Dubit. 2. Lateral. tum in corpore, tum in ſolutione ad Formam argument. Atque adeo motus materialiter eſt aliquo modo idem, quod Forma incõpleta, vel eſt idem, quod diſpoſitio ad Formam; Formaliter autem non eſt idem, ſed ſupra Formam incompletã, ſeu ſupra id, quod acquiſitũ eſt, addit ordinem ad illud, quod vlterius acquirendum eſt; poſſumus ergo dicere, quod materialiter aliquo modo idem ſunt Actio, Paſſio, Motus, & Forma incompleta: ſed eſt Actio, vt eſt ab Agente: eſt Paſſio, vt recipitur in paſſo, eſt Forma incompleta ratione perfectionis acquiſitæ, eſt tandem Motus, prout ſupra id, quod acquiſitum eſt, additur ordo ad cõplementum; ita quod ſi ordo ille intercideretur, & non amplius acciperetur pars poſt partem, proculdubio ceſſaret ratio Motus: complete igitur Motus eſt Forma incompleta cum ordine ad complementum.

Et

2 Et ſic facilè explicari poſſunt Scotiſtæ, dum dicunt, Motum formaliter conſiſtere in reſpectu, vt videre eſt apud Maſtrium, & Bellutum Diſp. 15. q. p. & etiā Recentiores apud Suarez Diſp. 49. Sect. 2. Ruuium Tract. de motu q. p. 2. & 4. & Amicū Tract. 29. q. 2. cum dicunt, Formalitatem Motus conſiſtere in Tendentia, ſeu via ad Formam, per quam Forma acquiritur in Subiecto.

Explicatur ꝙ nam formalius competat motui:

3 Sed Petes. ſi de ratione motus eſt eſſe quid incompletum cum actuali ordine ad Complementum; quod nam eſt in motu principali, & Formalius; ipſum ne incompletum acquiſitum, an ordo ad complementum acquirendum? Reſpondetur, cum AEgid. in 3. phis. lect. 3. quod ordo ad complementum formalior eſt de ratione Motus, quam Forma incompleta, primo quia ſi motus non ſe teneret Formalius ex parte acquirendi, quam ex parte acquiſiti, cum acquiſitum ſit in actu, & acquirendum ſit in potentia, magis Motus eſſet actus entis, pro vt eſt in actu, quam pro vt eſt in potentia: deinde ſi motus non ſe teneret principalius, & formalius ex parte acquirendi, ſed formalior in motu eſſet Forma incompleta acquiſita, ſequeretur, ꝙ Motus magis eſſet de Genere permanentium, quam de Genere ſucceſſiuorum.

Diffinitio motus explicatur

4 Diffinitio autem prima, quam Philoſophus tradit de Motu in 3. lib. cap. 2. tex. 6. eſt ſub his terminis. *Motus eſt actus entis in potentia, pro vt in potentia*, Quę diffinitio ſic explicatur ab AEgid. in 3. Phiſic. dicitur. *Actus*. Loco Generis, quę particula excludit quicquid nullo modo eſt Actus, vt Materia prima: reliquæ particulæ gerūt vicem Differentiæ, & illa verba (*Entis in potētia*) excludunt à ratione Motus omnes actus perfectos, vt ſummum Frigus, ſummum Calorem &c. qui nullam potentiam relinquunt in Subiecto Motus, ſeu in mobili ad aliquam ſui partem, vlterius acquirēdam; an autem per eaſdem particulas excludantur à ratione Motus mutationes inſtantaneæ? in ſequenti Dubitatione videbitur; illæ demū particulæ (*vt in potentia*) Excludūt actus imperfectos, qui licet ſint ex parte acquiſiti, ac proinde actus entis in potentia; non tamen ſunt entis in potentia pro vt in potentia, ideſt non ſunt act' rei tendētis in Formam perfectiorem, & per eaſdē particulas excluduntur à ratio-

ne Motus mutationes inſtantaneę), vt latius explicabitur in Dubit. ſequenti.

5 Sed Cōtra diffinitionem Motus ſic explicatā obiicies primo. Nullum ens per accidens diffinitur, ſed Motus eſt ens per accidens; ergo &c. maior eſt Ariſt. probatur minor. Motus non eſt ipſa Forma abſolutè, alias omnis forma eſſet motus: ſed eſt Forma cum fluxu, ſed hoc eſt ens per accidens, ergo &c.

Obiectio cōtra diffīcultatē motus.

Reſpondetur; motū nec eſſe ipſam Formam abſolutè, nec eſſe Formam cum fluxū, ſed eſſe viam ad Formam, aliud enim eſt Forma, & aliud eſt ipſa tendentia ad Formam: Motus dicit quidem eādem rem, quam dicit Forma: ſed Forma dicit actum perfectū; Motus vero dicit actum imperfectum, eſt quæ tendentia in Formam.

Solutio.

6 Obijcies Secūdo vel Motus eſt actus primus, vel eſt actus Secundus? ſed neutrū, ergo malè dicitur, quod ſit actus; probatur minor, non eſt actus primus, quia hic eſt Forma permanens, nec eſt actus Secundus, quia hic prę ſupponit primum, Motus autem non præſupponit actum primum. Reſpondetur, Motum eſſe actum Secundum, ſed imperfectum, cum ſit tēdentia ad Formam, quæ eſt actus perfectus, & hic actus Secundus imperfectus præſupponit actum primum ſcilicet potentiam, tam paſſiuā mobilis, quam actiuam Agētis; nec eſt abſurdum, quod idem Motus dicat perfectionem, & imperfectionem reſpectu diuerſorum: nam Motus quatenus dicit actum, & dat aliquod eſſe Mobili, dicit perfectionem, quatenus vero tale eſſe, quod dat Motus, eſt diminutum, & fluēs, dicit imperfectionem, non vt eſt actus, ſed vt eſt tendentia ad actum perfectum.

Contra prædictā diffinitionē.

Obijcitur ſecundo.

Reſpōdetur obiectioni.

7 Obijcies 3. hæc Diffinitio Motus conuenit alteri à diffinito; ergo non eſt bona; probatur antecedens; conuenit potentiæ actiuæ Agentis, quæ proculdubio nō eſt motus, idque ex eo patet, quia potentia actiua ita actuat Agens, vt relinquat illud in potentia ad actum Secundū. Deinde eadem diffinitio cōuenit Proprijs Paſſionibus, quia receptio influxus ab Agente in Subiecto eſt actus entis in potentia pro vt in potentia. Reſpondetur; falsū eſſe, diffinitionē Motus conuenire potentijs actiuis, quia huiuſmodi ſunt actus prim⁹, & actus perfecti; Motus autem eſt actus Secundus imperfectus, & quamuis potētia Agentis ita actuet Agēs, vt

Tertia obiectio contra eandem

vt relinquat illud in potentia ad vlteriorem actum, nõ propterea talis virtus Agentis poteſt dici Motus, quia virt' Agentis relinquit agens in potentia ad actum diuerſum à ſe, quia cum ipſa ſit actus primus, relinquit Agẽs in potentia ad actum Secundum: aſt Motus ita actuat Mobile, vt relinquat illud in potentia ad eundem actũ ſub eſſe perfecto, quia mot' dicit eandem rẽ imperfectè, quam dicit Forma perfectè. Ad illud de proprijs Paſſionibus dicimus, influxum illum Agentis in Subiecto eſſe actũ entis in potẽtia prout in potentia materialiter, & identicè, quatenus Idem fluxus eſt quidam motus, eſtque tẽdentia à Priuatione Formæ ad ipſam Formam.

8 Obijcies 4. Motus eſt quædam via à Termino à quo ad terminũ ad quem, ergo motus eſſentialiter includit reſpectum ad vtrumque terminum: ſed in diffinitione Mot' tradita à Philoſopho non explicatur reſpectus ad vtrumque terminum; ſed tantum ad Subiectum, vt patet; ergo illa non eſt ſufficiens. Reſpõdetur, falſam eſſe minorem: nam eo ipſo quod dicitur, Motum eſſe actum cõuenientem Subiecto, in quãtum eſt in potentia, iam ſignificatur, motum eſſe viam, & quaſi fieri termini, in quẽ tendit, & ab alio procedere, à quo diſcedit per motum.

9 Obijcies 5. calor remiſſus, qui producitur in ligno, eſt actus entis in potentia, & conuenit illi, in quantum eſt in potentia; nam ſic actuat illud, vt ipſum relinquat in potentia ad maiorem calorem: ſed calor remiſſus non eſt motus, ergo diffinitio motus conuenit alteri à diffinito. Reſpondetur; calorem remiſſum non eſſe actum imperfectum in ſuo eſſe; imo quantum eſt ex ſe, eſt actus perfectus, quod ſi eſt imperfectus, hoc ſolum eſt per cõparationem ad calorem intentiorem: aſt motus in ſuo eſſe eſt act' imperfect', quia quantum eſt ex ſe non eſt niſi via, & tendentia ad actũ perfectum.

10 Obijcies 6. Motus non eſt per ſe in aliquo determinato Genere; ergo motus quantum eſt ex ſe nec habet propriam diffinitionem. Reſpondetur, quod motus licet non ſit in aliquo determinato genere per ſe, eſt tamen in eodem Genere cum reb', ad quas eſt motus; & quia aliunde habet etiam propriã differẽtiam, per quam eſſentialiter differt à cæteris, ideo hoc

hoc ſufficit, vt de eo poſſit eſſe diffinitio ſaltem per additamentum, vbi aduertè, ꝙ motus nec eſt in actu ſimpliciter, nec eſt ſimpliciter in potentia, ſed dicit quid medium inter illa, & ideo videtur, eſſe quid indeterminatum.

DVBITATIO SECVNDA.

V. Diffinitio motus conueniat mutationibꝰ inſtantaneis, vel tantum ſucceſſiuis?

1 SCotiſtæ apud Maſtriũ & Bellutũ Diſp. 15. q. 5. tenet Diffinitionem aſſignatam de Motu conuenire nedum mutationibus ſucceſſiuis; ſed etiam inſtantaneis, imo, & mutationibus naturalibus, Neutris, Artificialibus, & æternis; pro qua Sẽtentia citatur etiam D. Thom. in 3. Phiſic. lect. 7. & lib. 5. tex. 7. vbi hæc ait. *Cum Ariſt. 3. Phis. Motum diffinit, accipit nomen Motus Secundum quod eſt comune omnibus mutationibus*. Tenet eandem Pater Toletus q. p. Amicus q. 3. vbi etiam excludit Motus deperditiuos, Violentos, & artificiales, Ruuius lib. 3. ca. 3. q. 2. num. 18. & probari

Prima ſenten. tia vult conueniſe mutationibꝰ inſtantaneis, & ſucceſſiuis.

ſolet multipliciter, primo authoritate philoſophi cap. 2. tex. 6. huius libri, qui poſt quam Diffinitionem aſſignauit, exempla poſuit non ſolum in mutationibus ſucceſſiuis, ſed etiam inſtantaneis, vt in Generatione, corruptione, &c. Secundo; eundem motum hic diffiniuit Ariſt. quem poſuit in diffinitione naturæ, ſed ibi poſuit Motum, pro vt eſt comunis omnibus mutationibus, ergo in eadem acceptione hic diffinitur; tertio mutationibus inſtantaneis conuenit, quod ſint actus entis in potentia nempè Materiæ, quæ mutatur ad Formam, idque conuenit Materiæ Secundum ꝙ eſt in potẽtia; ergo illis conuenit integra diffinitio; probatur antecedens, quia generatio ſic actuat Materiam, vt non ſolum relinquat eam in potentia ad Formam, ſed vlterius ordinat illam tanquam via, & tendentia in eandem Formam, ergo conuenit illi in quantum eſt in potentia ad Formam. 4. mutatio inſtantanea eſt actus eſſentialiter imperfectus conſtituens Materiam partim in actu, & partim in potentia, & vtrumque habet Secundũ ſe, & eſſentialiter, primum quidem, quia iam eſt actus, Secundum vero, quia talis a-

ctus ordinat Materiam ad vlteriorem actum, qui eſt Forma, & terminus eiuſdem generationis. Quinto; Motus in Comuni ad ſucceſſiuum, & inſtantaneum pertinet ad Philoſophum, vt patet, quia nec ad Methaphiſicum, nec ad Mathematicum, qui abſtrahunt ab omni motu, ergo mutationes inſtantaneæ debent à philoſopho conſiderari, atque adeò comprehendi ſub diffinitione Motus tradita ab Ariſtotile.

Secūda opinio vult eā petere tantum mutationib⁹ ſucceſſiuis.

2 Alij Recentiores non indocti negant omnino, diffinitionem Motus tradditam ab Ariſt. conuenire mutationibus inſtantaneis, illamque dicunt, competere tantum mutationibus ſucceſſiuis. Ita Conimbricenſes lib. 3. cap. 2. q. p. art. p. & 2. Scotus 3. lib. phiſic. q. p. Pereyr. lib. 3. cap. 5. & probatur; quia Motus non ſolum eſt actus entis in potentia, ſed etiam provt in potentia, per quod ſignificatur, Motum ſic actuare ſubiectum, vt illud partim conſtituat in actu, & partim relinquat in potentia ad partes vlteriores acquirendas; itaque Motus ex parte dicit quid acquiſitum, & ex parte dicit quid acquirendum, ſed per mutationes inſtantaneas ſimul acquiritur totus terminus, & non per partes, nec per gradus, cum ſit Forma indiuiſibilis carens gradibus, & partibus ſucceſſiuè acquirendis, vt probatur: de Forma Subſtantiali per generationem acquiſita, ergo tales mutationes non cōſtituunt Subiectum partim in actu, & partim in potentia, ſed ſimul, & totaliter in actu, nullam potentiam ei relinquentes. Secundo ſucceſſio eſt de eſſentia Motus, pro vt hic diffinitur, ſed mutationibus inſtantaneis nulla competit ſucceſſio, vt patet, ergo mutationes inſtantaneæ ſub hac Diffinitione Motus non comprehenduntur.

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

1 MOtus ex AEgidio in 3. Phiſic. lect. 3. vel conſideratur Secundum partem Materialem, & Formalem, quatenus ſcilicet Secundum totū ſuum eſſe eſt actus incompletus, ſeu Forma incompleta, vel diſpoſitio acquiſita cum actuali ordine ad complementum, & hoc modo eius diffinitio tradita ab Ariſt. nō competit motibus inſtantaneis;

neis; ſed tantum ſucceſſiuis; vt argumenta Secundæ Sententiæ efficaciter probant; Vel conſideratur Motus ſolum ſecundum id, quod dicit formalius, & principalius ſcilicet Secundum ordinem ad complementum acquirẽdum, & hoc modo diffinitio Motus poteſt non ſolum accomodari mutationibus ſucceſſiuis, ſed etiam inſtantaneis, vt rectè concludunt argumenta Primæ Sententiæ.

Ratio motus analogicè competit omnibus mutationibus.

4 An autem motus pro vt eſt comunis mutationib' ſucceſſiuis, & inſtantaneis, ſit quid Vniuocum, vel Analogum? patet eſſe Analogum, quia Motus nõ eſt aliud præter res, ad quas terminatur, quæ ſunt Subſtantia, Quantitas, Qualitas, & vbi; ſed dicta predicamẽta nihil habẽt comune vniuocum, vt patet: ergo ratio Motus reſpectu omnium mutationũ non eſt Vniuoca, ſed Analoga.

RESPONDETVR IN FORma Argumentis

Vtriuſque Sententiæ.

5 AD Argumenta primæ dicendum eſt, cõuincere de Motu Secundum id, quod dicit Formalius, quatenus ſcilicet dicit ordinem ad Cõplementum acquirendum: iuxta hanc enim acceptionem poteſt diffinitio Motus accomodari etiã mutationib' inſtantaneis.

6 Ad argumenta Secundæ Reſpondendum eſt, concludere de Motu Secundum totum ſuum eſſe, ſcilicet Secũdum partem Materialem, & Formalem, quatenus nimirum eſt actus, & Forma incompleta cum ordine ad cõplementum acquirendum, in quo ſenſu diffinitio Motus non poteſt accomodari mutationibus inſtantaneis.

DVBITATIO TERTIA.

V. Motus diſtinguatur à Mobili, & à Termino realiter, vel ratione?

1 THomiſtę cũ D. Thoma Secundo Phiſic. Lect. 5, docẽt, Motum, & Terminum non diſtingui realiter, ſed tãtum ratione; primo quia Philoſophus 3. Phiſicorum cap. p. dicit, Motum nihil aliud eſſe præter res, ad quas terminatur, tum Secundo, quia nõ poteſt Deus Motum à Termino ſeparare, non enim Deus poteſt calefacere ſine calo-

calore; nec calorem producere ſine calefactione; tum tertio, quia Mot' ex ſua propria ratione eſt via ad Terminum, ſed res pro vt infieri, & res iam facta ſunt eadē, & ſolum diſtinguntur tanquam perfectum, & imperfectum, ergo &c.

2 Sed Scotiſtæ apud Maſtrium, & Bellutum Diſput. 15. q. 3. quos videtur ſequi noſter Argent. in 2. diſt. 19. q. p. art. p. Venetus 3. libr. Phiſic. c. 3. Ruui' lib. 3. tract. p. de motu q. 4. conſequenter ad eorum principia aſſerunt, Motum realiter diſtingui à Termino; probant primo, quia Motus vel eſt ſucceſſiuus, vel inſtantaneus, Terminus autem eſt permanens, item ad Terminum eſt Motus; ad Motum autem nō eſt Motus: rurſus Motus eſt via, Terminus autem non eſt via, ſed Terminus viæ; vlterius, Motus eſt quid imperfectum, Terminus autem eſt ſimpliciter ens reale: tādem præſentibus Habitibus ceſſat Motus; ſed permanet Terminus, ergo Motus, & Terminus realiter diſtinguntur; probatur conſequentia, quia maximum inditium diſtinctionis realis eſt ſeparatio. Secundò; quæcunque ita ſe habent, vt non poſſint eſſe ſimul, illa non diſtinguntur ſola ratione, ſed potius realiter; ſed Motus, & Termin' ita ſe habent, quod nunquā poſſunt eſſe ſimul, ergo illa non diſtinguntur ſola ratione, ſed potius realiter. 3. ens Formaliter ſucceſſiuum diſtinguitur realiter ab ente Formaliter permanente: ſed Motus eſt Formaliter ſucceſſiuus; Terminus vero eſt Formaliter permanens. ergo &c.

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO.

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

3 Aegidius non agitat expreſsè hanc quęſtionē, ex eius tamen dictis illa eadem diſtinctio cōcedenda eſt inter Motum, & Terminum totalem, quæ ab eodem conceditur inter totum, & partes, inter Relationem, & fundamentū, inter eſſentiam, & exiſtentiā; & propterea hic ſunt reuocanda, quæ primo dicta fuerunt in reſponſione Apologetica ad Magiſtrum Francium oppoſitione 4. numero 6. & 7. pag. 25. & poſtea replicata in Diſp. p. q. 3. de Principijs in particulari, agēres de Materia, & Forma ſimul vnitis, Dubit. 4. num. 6.

Diſtinctionē formalē ex natura vi nō Scotus, ſed Ægidius primus docuit.

6. Vbi vidimus, quod licet inter diſtinctionem realem in tota ſua latitudine ſumptam, & diſtintionem rationis etiam in ſua amplitudine acceptam non detur diſtinctio media, tamen inter diſtinctionem realem ſimpliciter, & diſtinctionem ſimpliciter rationis, datur diſtinctio media, quæ nec ſimpliciter eſt realis, nec ſimpliciter eſt rationis; & poteſt dici formalis ex natura rei; quam quidem diſtinctionem non fuit Scot', qui primus inuenit, vt comuniter habent omnes; ſed potius eam fundatiſſimus AEgidius ante præuidit, quemadmodum eſt videre in quolib. 2. q. 5. in reſponſione ad primum: ſed expræſſius in reportationibus Methaph p. lib. q. 9. in ſolut. ad tertiũ Vbi aduertere licet, nomen (*Rationis*) æquiuocum eſſe, & per rationem non ſemper intelligendum eſt id, quod ab intellectu cauſatur, ſed aliquando per rationem accipit AEgidius rationem Formalem ſe tenentem ex parte rei, & ante omnem actum Intellectum: vnde diuerſæ eſſentię, vel naturę apud AEgidium noſtrum diſtingui dicuntur Secundum eſſe; ſeu eſſentialiter, vel Secundum rationem, ſeu quidditatiuè ex natura rei;

4 Suppoſito autem, quod in Schola AEgidij non deneganda eſt diſtinctio media inter realem ſimpliciter, & ſimpliciter rationis, conſequenter ad hæc principia dici poteſt, inter motum, & Terminum totalem non eſſe diſtinctionem realem ſimpliciter, quia motus nō eſt ſimpliciter res, cum ſit actus imperfectus, nec eſt diſtinctio ſimpliciter rationis, cum à parte rei ſit fundamentum talis diſtinctionis: erit igitur inter motum, & terminum diſtinctio media; ideſt vel Formalis ex natura rei, ſeu realis Secundum quid, vt rectè probant argumenta Scotiſtarum; vel Rationis ratiocinatæ, & cum Fundamento in re, vt benè concludunt rationes Thomiſtarum.

RESPONDETVR IN FORma Argumentis *Vtriuſque Sententię.*

5 AD Thomiſtas vniuerſaliter dicendũ eſt, Motũ, & Terminum nō diſtingui realiter ſimpliciter, ſicut ſolent diſtingui duæ res diuerſorum Prædicamentorũ, ſed ratione ratiocinata, & hoc tantũ ſequitur ex primo argumento,

to, cum dicitur, quod ex Ariſtotile Mot' non eſt aliud præter res, ad quas terminatur. Ad Secundum; quod Motus non poſſit ſeparari à Termino, nec è contra, tantum conuincitur, quod inter Motum, & Terminum non ſit diſtinctio realis ſimpliciter; ſed ex eo non ſequitur, quin ſit diſtinctio media, ſeu realis Secundum quid, vel Formalis ex natura rei, vel rationis ratiocinatæ. Ad Tertium Reſpondetur eodẽ modo, quod fieri, & factum eſſe quamuis non diſtinguãtur realiter ſimpliciter, diſtingũtur tamen realiter Secundum quid, ſeu Formaliter ex natura rei, vel tandẽ ratione, non quidem ratione ab intellectu tantum fabricata, quæ ſolet dici diſtinctio rationis ſimpliciter, ſeu diſtinctio rationis ratiocinantis; ſed ratione Formali Secundum quid ex natura rei.

6 Ad Scotiſtas Reſpondendum eſt; conuincere, Motum & Terminum non diſtingui ratione ratiocinante, ſeu diſtinctione rationis ſimpliciter, ſed vel realiter Secundũ quid, vel Formaliter ex natura rei, quod idem eſt. Ad primum Reſpondetur, quod illa diuerſitas prędicatorum inter Motum, & Terminum non arguit inter vtramque diſtinctionem realem ſimpliciter, quæ ſolet eſſe inter res diuerſorum prædicamentorum, ſed tantum diſtinctionem realem Secũdum quid, ſeu Formalem ex natura rei, quæ eadem eſt cum diſtinctione rationis ratiocinatæ, & cum fundamento in re. Ad Secundum dicimus, quod per hoc, quod Motus, & Terminus non poſſint eſſe ſimul, tantum ſequitur, ꝙ Motus, & Terminus non diſtinguantur ſola ratione ratiocinante; ſed realiter Secundum quid, ſeu formaliter ex natura rei; & hoc etiã concludit tertium argumentum.

DVBITATIO QVARTA:

V. Omnis motus ſit realiter in Mobili?

1 NOn eſt quæſtio de Motu Alterationis, & Augmentationis, de quibus certum eſt, eſſe ſubiectiuè in Mobili alterabili, & augmentabili, quia per huiuſmodi motum acquiritur Qualitas, & Quãtitas, quæ ſunt Formę Subiecto mobili inhærentes: ſed tantum eſt quæſtio de Motu locali, an ſcilicet Motus lo-

calis ſit in ipſo Mobili, vel in mouente?

2 Et Prima Sententia docet, Motum non eſſe in mobili, ſed in loco ipſum circūſtante. Ita Greg. in 2. diſt. p. q. 4. art. p. & alij, idque videtur probari poſſe eo fundamento, quod Terminus Motus localis nō ſit Vbi, ſed locus; vnde cum locus non ſit in locato, ſed illud extrinſecè circumſcribat, ſequitur, nec Motum eſſe in mobili, ſed in loco ipſum mobile circumſcribente. 2. id idem videtur poſſe probari teſtimonio Ariſt. qui 8. Phiſic. tex. 59. aſſerit, Motum localem eſſe omnium perfectiſſimū, quia Mobile per illum nullam formam acquirit, & ideo cenſetur, eſſe minus in potentia, quam in ordine ad cætoros motus. Item teſtimonio D. Thomæ, qui in p. p. q. 110. art. 3. ſic loquitur. *Inter omnes motus corporeos perfectior eſt motus localis, cuius ratio eſt, quia Mobile Secundum locum non eſt in potentia ad aliquod intrinſecum in quantum huiuſmodi, ſed ſolum ad aliquod extrinſecum ſcilicet ad locum.* 3. Idem probatur ratione, quia Motus localis (vt ipſum nomen ſonat) eſt Motus ad locum, ſeu acquiſitio loci, ergo Terminus eius eſt locus: ſed locus nihil intrinſecum ponit in locato, quod mouetur, ſed ſolam denominationem extrinſecam à circumſcriptione extrinſeca loci, ergo nec Motus localis eſt aliquod intrinſecum in mobili, ſed in loco ipſo circumſcribente per motum acquiſito. 4. ſi Mobile per motum localē acquireret aliquod ſibi intrinſecū, maximè eſſet Vbi, ſed hoc non, ergo &c. probatur minor, quia vbi ſolum importat relationē præſentiæ ad Spacium, vel diſtantiæ ad Polos Mundi; ſed ad Relationem non terminatur Motus per ſe, vt expræſsè docet Philoſophus in 5. Phis. c. 2. ergo vbi non eſt per ſe Terminus motus localis; Quinto. Actio non eſt in paciente; ſed in Agente, ſed Motus ſe habet vt Actio, & Mobile vt paciēs, ergo motus potius eſt in Mouente, quam in Mobili?

3 Verior tamen, & nobis defendenda Sentētia eſt, omnem motum præſertim localē eſſe in Mobili per ſe, quamuis per accidens ſit aliquando etiam in Mouente, non vt mouens eſt, ſed quatenus eſt Mobile: ita omnes Ariſtotelici, cum philoſopho in hoc 3. lib. cap. 2. tex. 23. vbi diffinit motum, quod ſit act° Mobilis in eo quod mobile. Eſt etiam mens Ariſt. quod Ter- Vera ſententia proponitur & probatur.

Teminus motus localis eſt vbi;ſed vbi eſt in Mobili tanquam in ſubiecto, ergo & fieri eius,quod eſt motus localis. Idéque docet expreſsè noſter AEgid.in 3·Phis. lect. 3. vbi explicat,quomodo Secunda diffinitio mot', quod ſcilicet ſit actus Mobilis in eo quod mobile ſit veluti materialis reſpectu primæ diffinitionis iam declaratæ, & approbatæ in Dubit. prima præcedenti,& probari poteſt amplius noſtra concluſio, quia in illo ſubiectatur Motus localis,ad quod terminatur; ſed non terminatur ad locum ambiētem, ſed potius ad Vbi,ergo motus ſubiectatur ad vbi: ſed hoc vbi eſt in ipſo Mobili, ergo motus localis eſt in mobili: maior eſt certa, probatur minor expræſſis verbis Philoſophi in 5. Phis. cap. 2. vbi docet, motum ad tria tantum prædicamenta terminari per ſe ſcilicet ad Quantitatē, Qualitatem,& vbi, ergo vbi eſt terminus per ſe motus localis.

Soluũtur rationes oppoſitæ ſententiæ.

4 Ad primum oppoſitæ Sētentiæ Reſpondetur; procedere ex falſo fundamento.nā Terminus motus localis nō eſt locus extrinſecus,ſed vbi, & ad Ariſt. dicimus, non negare omnino,per motum localem Mobile nihil intrinſecè acquirere: ſed eius mēs fuit, quod id, quod acquiritur per motum localem,non eſt ita intrinſecum, ſicut id, quod acquiritur per alterationem, & augmentationē, quia per iſtos motus mobile acquirit quaſdam Formas, quæ ſunt entitates omnino abſolutæ; & in eo permanētes; aſt per motum localem Mobile ſolum acquirit quemdam modum ſe habendi in hoc, vel illo ſpacio, qui Motus non eſt omnino abſolutus, quia dicit reſpectum ad extrinſecum locum includētem, & quia maior potentialitas requiritur ad Formam, quam ad Motum acquirendum, ideo Ariſtot. inquit, motum localem non eſſe ita in potentia. Eodem modo reſpondendum eſt ad teſtimonium D. Thomę. Ad tertium Reſpondetur, negādo antecedens,quod Motus localis primo, & per ſe ſit acquiſitio loci,cum potius per ſe terminetur ad vbi: quia tamen hoc vbi dependentiā habet à loco, ideo ex conſequenti motus localis dicitur terminari ad locum,& propter eandem rationem dicitur localis. Ad Quartum neganda eſt minor, quod per motum localem non acquiratur vbi, & cum dicitur, quod vbi importat relationem, iam in

in Meth. tractat. 2. de Prædicamentis explicuimus, quomodo vbi dicat relationem: ſex namque vltima prędicamenta nec ſunt ſimpliciter quid abſolutum, nec ſimpliciter ſunt quid reſpectiuū, ſed ſunt quædam res ſub aliquo ordine; Vbi igitur eſt pro dependentia locati à loco, & propterea poteſt eſſe motus ad vbi:

Ad Quintum; in ſequenti Dubitatione Reſpondebitur.

DVBITATIO QVINTA.

V. Actio tranſiens ſubiectiuè ſit in Agente vel in paſſo?

Scotiſtæ volunt Actionē eſſe in agente,

1 SCotiſtarum famoſa Sententia eſt apud Maſtrium, & Bellutum Diſput. 7. q. 3. art. 2. φ Actio de ſua ratione formali exigat ſubiectum inhęſionis, illudque non ſit nec Terminus actionis, nec Motus, nec minus Paſſum, ſed ſolummodo Agens, & quod Actio de ſua ratione formali requirat Subiectum inhæſionis, probatur; quia Actio, quæcunque ſit illa, eſt accidens, vt patet, ergo Formaliter petit Subiectum inhæſionis: deinde quod iſtud Subiectū nō ſit Terminus, nec motus, probatur facilè, quia Actio eſt Cauſalitas Agentis, ergo Actio eſt prior natura quam effectus, ac per conſequens non poteſt ſubiectari in ipſo effectu, & Termino producto, quod vero nec motus ſit Subiectum Actionis, probatur ex eo, quia motus ſaltem Secundum id, quod dicit Formaliter, eſt reſpectus Secundū quid realis, vt diximus in Dubit. p. ergo nequit, eſſe ſubiectū entis realis ſimpliciter.

2 Quod vero Actio non ſubiectetur inhæſiuè in Paſſo, à Scotiſtis multipliciter probatur, primo, quia Actio Secundum rationem Formalē non denominat paſſum agere, quia paſſum vt paſſum nō agit, ergo Actio Secundum rationem Formalem non ſubiectatur in Paſſo, probatur cōſequentia, quia nihil aliud eſt, Formā denominare ſubiectū, niſi comunicari Subiecto, & informare Subiectum, albedo enim nequit eſſe in Pariete, abſque eo, quod Paries dicatur albus.

3 Dices. aſſumptum eſſe verum de Forma denominante denominatione intrinſeca, cuius Subiectum eſt Subiectū denominationis, & inhæſionis ſimul, non vero de Forma denomināte denominatione

tione extrinſeca, ſicut eſt Actio reſpectu Agentis, & poteſt aſſignari tum exemplũ; tum ratio: exemplum quidem in cognitione, quæ denominat obiectum cognitũ, non tamen ſubiectatur in ipſo: ratio vero eiuſdem rei eſt, quia Actio eſt talis naturæ, quod ipſa ex ſua ratione Formali non dicit habitudinem inhærendi, ſed emanationis, & pricipij à quo: quod alij explicant, dicentes, Actionem non denominare Agens per modum habentis, ſed p modum exercentis Actionẽ; & ideo talis denominatio nõ conuenit paſſo, ſed Agenti exercenti Actionem.

4 Sed Contra: nam Forma; quæ extrinſecè denominat aliquod, etiam intrinſecè debet denominare Subiectum inhæſionis: ſic cognitio ſi extrinſecè denominat obiectũ cognitum, intrinſecè etiam denominat potentiã cognoſcentem; Actio ergo vt Actio ſi extrinſecè denominat Agens, intrinſecè quod nam Subiectum denominat? non poteſt dici, quod intrinſecè denominat Paſſum, quia paſſum non eſt Agens, ergo &c. Secundo hęc eadẽ Scoti Sententia probatur, quia Actio, & Paſſio ſunt Relationes, quibus adinuicem Agens, & patiens referuntur, ergo in eo ſubiectantur Actio, & Paſſio, in quo eſt fundamentum Actionis, & Paſſionis: ſed fundamentum Actionis, quæ eſt potentia actiua, eſt in Agente, & fundamentum Paſſionis, quæ eſt potentia paſſiua, eſt in Paſſo, ergo Actio eſt in Agente, & Paſſio in paciente. Tertio Actus, & potentia ſunt in eodem, quia vt dicitur in libro de ſomno, & vigilia, cuius eſt potentia, eius eſt actus, ſed potentia actiua, cuius proprius actus eſt Actio, ſeu agere, eſt in Agente; ergo & Actio. Quarto; Ariſt. 8. Phiſic. arguit ſic; ſi Deus produxiſſet Mundum de nouo, fuiſſet mutatus: ſed hæc conſequentia nulla eſſet, ſi Actio non eſſet in Agente: nam ſi non eſſet in Agente, ſed in Paſſo, tunc Agens de nouo poſſet agere ſine ſui mutatione; ergo &c. Quinto. Generatio Diuina, quæ eſt verã Actio productiua; eſt in Patre Producente, ergo & Actio creaturę eſt ſimiliter in Agẽte. 9. comẽtator 8. Meth. ait, quod Calor eſt in Igne, & Actio carpentatoris eſt in Carpentatore. ergo &c.

5 Sed Thomiſtæ cum D. Thoma apud Rubium lib. 3. Phiſ. Tract. p. de motu q. 6. num. 39. & apud Conimbr. lib. 3. cap. 3. q. 1. art. 2. Item apud Argent. in 1. Sent. diſt.

37.q. p. art. 2. docent, Actionem ſubiectiuè, ſeu inhæſiuè non eſſe in Agente, ſed in paſſo, tum primo, quia ſi Actio tranſiens eſſet inhæſiuè in Agente, tunc non eſſet Actio trãſiens; ſed potius immanens; tum Secundo, quia Actio, & Paſſio ſunt idem motus realis, & idem actus realis: ſed repugnat, quod vnus iſte actus ſit in duobus ſubiectis, ergo vbi eſt Paſſio, & motus, neceſſe eſt etiam eſſe Actionem: & cum manifeſtum ſit, Paſſionem, & motum eſſe in Paſſo, ſequitur etiam, Actionem ſubiectiuè eſſe in Paſſo; tum tertio, quia Ariſt. libro 9. Meth. cap. p. tex. 16. Actio eſt in eo, quod efficitur, vt ędificatio eſt in eo, quod ædificatur, & Motus eſt in eo, quod mouetur, ergo &c. quarto, quia ſi actio eſſet in Agente, tunc idem reſpectu eiuſdem ageret, & pateretur, quod eſt implicãtia; nam tunc relationes reales oppoſitæ, quæ ſunt inter actiuum, & paſſiuum, eſſent in eodem indiuiſibili fundamento; probatur ſequela, quia idem eliciendo actionem, realiter ageret, & recipiendo eandem Actionẽ, realiter pateretur. quinto, quia ſi realitas Actionis tranſeuntis eſſet in Agẽte, tunc Creatio quatenus Actio trãſiens, eſſet in Deo Secundam ſuam realem entitatem, quod implicat, quia tunc in omni Creatione Deus realiter mutaretur.

Opinio Thomiſtarũ aſſerit Actionẽ eſſe in paſſo.

6 AEgidius in 3. Sent. diſt. 5. part. p. q. p. in reſolutione articuli principalis §. oſtẽſo Vnionẽ &c. hæc ait. *Ignis poteſt calefacere ſtuppam nõ per calefactionem, quæ eſt in Igne, ſed per calefactionem, quæ eſt in ſtuppa: nam loquẽdo de Actione tranſeunte, idẽ eſt Actio, & paſſio, & illa Actio, & paſſio non eſt in Agente; ſed in patiente, & tamen verè Agens agit, & patiens patitur per Actionem, & paſſionem, quæ de neceſſitatè ſunt in Patiente, non autem ſunt de neceſſitate in Agente: motus enim licet ſit actus, tamen per ſe loquẽdo, non eſt actus Mouentis, ſed Mobilis;* Et ſimilia repetit in eodem 3. diſt. 7. part. p. q. p. in reſolutione art. 3. §. his itaque prælibatis, & in lib. ſex princip. pag. 37. vbi reſoluit. Motum eſſe nõ in mouente tanquam in Subiecto; ſed in corpore moto, & in 3. Phiſic. lect. 4. textu aut neque &c. ſic ait. *Not: autẽ, quod duplex eſt Actio, quædam tranſiens in exteriorem Materiam, & eſt perfectio paſſi, quędam non tranſiens, & eſt perfectio Agentis, cum*

ergo

ergo dicitur, quod Actio vniuſcuiuſque eſt in vno quoque; vt Actio vniuſcuiuſque Agẽtis eſt in vno quoque Agente, intelligendum eſt de Actione non tranſeunte: Motus autem eſt Actio tranſiens in exteriorem Materiam, talis ergo Actio licet ſit Agentis; tamen quia eſt tranſiens extra, non eſt in Agente, vt in Subiecto, ſed in Paſſo.

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO.

Pro Defenſione Vtriuſque Sententia.

7 DIximus in Methaphiſica Tract. 2. q. 6. de ſex vltimis prædicamentis art. p. de Actione Dubit. 2. quod Actio non eſt accidens intrinſecus adueniens; cum non habeat ſolam dependentiã à Subiecto, in quo eſt, ſed eſt accidens extrinſecus adueniens, quia extra dependentiam à Subiecto, in quo recipitur, habet etiam aliam dependẽtiam ab Agente, à quo cauſatur, ex quibus dependentijs Formalior eſt Actioni illa dependentia ab Agente, quam dependentia Subiecti, quia dependentia ſubiecti eſt illi comunis cum alijs accidentibus, atque adeò eſt illi veluti Materialis; depẽdẽtia verò ab Agente eſt tantum propria Actioni, vnde dicitur propria ratio Formalis Actionis: In Actione ergo duo ſunt conſideranda nimirum, & quod ſit accidens, & quod ſit tale Accidens: ſeu in Actione duo ſunt, & entitas realis, quæ eſt accidens, & reſpectus ad Agẽs, in quo conſiſtit ratio talis Accidentis ſcilicet Actionis; quod rectè concordat cum eo, quod Ægidius ſępius docuit, & nos cum illo in Methaphiſica, quod nimirum Actio non eſt res ſimpliciter abſoluta, ſicuti Subſtantia, Quãtitas, & Qualitas; nec eſt res ſimpliciter relatiua, vt Relatio; ſed eſt res ſub ordine, ideſt Secundum id, quod dicit Materialiter, eſt quędam entitas realis; Secundum id verò, quod dicit formaliter, eſt realis reſpectus ad Agẽs: Quoniã verò Relatio vt Relatio non habet in eſſe: cum In Diuinis ſit realis Relatio, & tamen ibi non eſt aliquid, quod alteri ineſt, ſitque tota ratio, cur relatio inſit; quia Relatio eſt accidens, ideò Actio formaliter ſumpta non habet in eſſe; ſed formaliter tãtũ habet reſpicere Agens: habet autem inhærere ſubiecto Secundum id, quod dicit Materialiter, & quatenus nimirum

In Actione duo ſunt cõſideranda.

mirum eſt Accidens.

8 Nunc accipite conciliationem vtriuſque Sententię: Actio Secũdum id, quod dicit materialiter, ideſt quatenus accidens, & quatenus eſt ens reale, non per ſe exiſtens, ſed alteri inhærens, non ſubiectatur in Agente; ſed tãtum in Paſſo; hoc efficaciter conuincunt argumenta Thomiſtarum; neque in hoc Senſu aduerſari poſſunt Scotiſtę; Sensus Thomiſtarum. Nam ſi Actio per Scotiſtas nõ eſt in Paſſo, hoc tantum eſſe poteſt verum de Actione in quantum Actio, ideſt de Actione Secũdum id, quod dicit Formaliter; igitur Actio in quantum Accidens, & Secundum id, quod dicit Materialiter, reſtat, per Thomiſtas, quod non ſit in Agente: ſed in Paſſo.

9 Cum quo tamen etiam ſtat, quod Actio Secundum id, quod dicit Formaliter, ideſt Actio in quantum tale Accidens, & Secũdum quod eſt reſpectus ad Agens, ſic nõ eſt in paſſo, ſed potius in Agente, non quod Actio Formaliter ſumpta inhæreat, & ſit inhæſiuè in Agente, quia Actio formaliter ſumpta eſt reſpectus, reſpectus autem in quanutm reſpectus non inhæret; ſed depẽdet ab alio, vel eſt ad aliud, & quia reſpectus poteſt tribuere denominationem illi, ad quod terminatur; ideò Actio Formaliter ſumpta, quæ eſt reſpectus ad Agens, & denominat Agens, eſt in Agente; non inhæſiuè, ſed cauſaliter, & denominatiuè, & hoc tantum poſſunt concludere argumenta Scotiſtarum, quod ſcilicet Actio Formaliter ſumpta quatenus Actio eſt in Agente non inhęſiuè, ſed Cauſaliter; ideſt progreditur ab Agente, quia Secundum id, quod dicit Formaliter, non eſt aliud quam dependentia ab Agente; iuxta quam acceptionẽ nec Angelici poſſunt contradicere. Senſus Scotiſtarum.

RESPONDETVR IN FORma Argumentis

Vtriuſque Sententię.

9 AD Scotiſtas concedimus, Actionem ſecundum rationem Formalem non denominare paſſum, nec eſſe in paſſo, cũ ſic nullam habeat dependentiam à Paſſo, & quia Secundũ rationem Formalem nimirũ quatenus Actio eſt reſpectus ad Agens, habetque dependentiam tantum ab Agente: ideo Secundum hanc rationem denominat Agens, & eſt in Agente, non inhæſiuè, cum reſpectus vt reſpectus non inſit, ſed tantum cauſaliter;

liter; & denominatiuè, & ſic Reſpondetur ad inſtantiam. Ad Secūdum dicimus, quod Actio, & Paſſio ſi ſumantur Formaliter, quatenus ſunt reſpectus, & relationes, propriè non inhærent: & quia etiam vt ſunt reſpectus, Actio denominat Agens, & Paſſio denominat Paſſum, ideo Secundum hanc eandem rationem Actio eſt in Agente; & Paſſio in Paſſo non inhęſiuè, ſed tantum cauſaliter, ideſt Actio Formaliter ſumpta depēdentiam habet ab Agente, & Paſſio vt Paſſio dependentiam habet à Paſſo. Ad Tertiū Reſpondetur eodem modo, quod in Agente, in quo eſt potentia, eſt etiam actus, ſeu Actio non inhęſiuè, ſed denominatiuè, & cauſaliter. Ad Quartum concedimus, quod ſi Deus produxiſſet Mundum de nouo, fuiſſet mutatus, ſed ex hoc non rectè infertur, quod Actio Formaliter ſumpta eſt in Deo Agente inhæſiuè; ſed tantum ſequitur, quod in eo caſu Actio, vel actus de nouo exijſſet à Deo, propter quod Deus fuiſſet mutatus, quod tantum arguit, Actionem eſſe ab Agente, non in Agente. Ad Quintū Reſpondetur, quod Generatio Diuina non eſt *A*ctio de prædicamento *A*ctionis; ſed eſt vera Relatio, ſeu proprietas conſtitutiua ſuppoſiti Generantis; in propoſito autem loquimur de *A*ctione tranſeunte in exteriorem Materiam, quæ verè eſt accidēs de Prædicamento *A*ctionis, *A*d vltimum ex Commentatore dicendum eſt, quod ſimilitudo illa non currit per omnes pedes: ſed ſēſus eſt, quod ſicut calor eſt in Igne ſubiectiuè; ſic *A*ctio eſt in *A*gente cauſaliter, & elicitiuè; ſeu denominatiuè.

11 Ad Thomiſtas dicendū eſt, Actionem Secundum id, quod dicit Materialiter, & quatenus eſt Accidens reale non per ſe exiſtens, ſed Alteri inhærens, non Subiectatur in Agēte; ſed in paſſo; & hoc probat Primū argumentum, Secundum, & Tertiū. *A*d Quartum Reſpondetur, quod ſi *A*ctio Secundum id, quod dicit Materialiter, eſſet in *A*gente, tunc rectè ſequeretur, quod idem reſpectu eiuſdem ageret, & pateretur; id autem non ſequitur, ſi *A*ctio Secundum id, quod dicit Formaliter, ponatur in *A*gente non ſubiectiuè, ſed denominatiuè; & cauſaliter. *A*d Quintum Reſpondetur eodem modo, ꝙ nimirum *A*ctio Secundum ſuam realitatem, & Secundum id, quod dicit Materia-

liter, non eſt in Agente inhęſiuè; ſicuti nec creatio quatenus Actio tranſiens eſt in Deo; ſed ſicuti creatio eſt in Deo elicitiuè, & Cauſaliter, ita etiā Actio tranſiens præſertim quatęnus Actio, & Secundum id, quod dicit Formaliter, eſt in Agente tantum Cauſaliter,

DE INFINITO.

DVBITATIONES DECEM.

Dubitatio Prima. Quid ſit Infinitum Cathegorematicũ, & Sincathegorematicum, & quomodo vnum ab altero differat?

Dubitatio Secunda. Quæ nam ſint Proprietates, & Attributa Infiniti?

Dubitatio Tertia V. Si eſſent plura Infinita, vnum eſſet maius altero?

Dubitatio Quarta. V. De facto detur in rebus aliquod Infinitum, vel ſaltem dari poſſit per vires naturæ?

Dubitatio Quinta. V. de Potentia Dei abſoluta poſſit creari aliquod Infinitum Cathegorematicum in Genere entis, ſeu Secundum perfectionem Subſtantialem?

Dubitatio Seſta. V. Saltem per Diuinam Potentiam poſſit creari Infinitũ Syncathegorematicum, & in potentia Secundum perfectionem Subſtantialem?

Dubitatio Septima V. ſupernaturaliter poſſit dari infinitum in actu in Genere Quantitatis continuę, vt Infinitum Corpus, vel infinita linea &c.?

Dubitatio Octaua V. per Diuinam Potentiam ſit poſſibile Infinitum in actu in Genere Quantitatis diſcretæ, vt infinitus numerus?

Dubitatio Nona. V. De potētia Dei abſoluta poſſit dari Infinitum in actu in Genere Qualitatis, vt infinitus calor, vel infinita Gratia?

Dubitatio Decima V. Saltem in mente Diuina admictendum ſit infinitum in actu, ſeu an Diuinus Intellectus cognoſcat infinitum cathegorematicum?

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit Infinitum Cathegorematicum, & Sincathegorematicum, & quomodo Vnum ab altero differat?

1 INfinitum ex AEgidio in 3. Phiſic. lect. 7. & in p. Sent. diſt. 39 princ. 2. q. p. poteſt accipi multis mo-

Infinitū multipliciter accipitur.

modis, primo negatiuè, ita vt infinitum dicatur illud, quod non eſt aptum natum pertranſiri, eo quod nō habet Quantitatem in ſe, per quam poſſit finiri, & hoc dicitur infinitum propter quātitatis defectum, vt punctus. 2. accipi poteſt Infinitū pro re, quę de difficili poteſt pertranſiri, vt profunditas Maris, vel eiuſdem Maris arena; ſed de his infinitis non eſt Sermo, quia neutrum in rigore dicitur infinitum nec cathegorematicum, nec Sincathegorematicum. 3. poteſt accipi infinitum poſitiuè, ita vt illud dicatur infinitum, quod non habet eſſentiam, vel magnitudinem limitatā, & hoc infinitum ſic ab Ariſt. diffinitur in 3. Phiſic. tex. 62. & 63. *Infinitum eſt id, cuius partes accipientibus, ſemper eſt aliquod extra ſumere.*

Opinio Scotiſtarum de diffinitione infiniti.

2 Sed dubium graue eſt, an data diffinitio cōueniat vtrique Infinito, an alteri tantū? Scotiſtæ apud Maſtrium, & Bellutum Diſput. 10. q. p. art. p. docent cum Scoto in quolib. 5. §. de primo &c. illam diffinitionem Infiniti tantum Conuenire Infinito Sincategorematico, & in potentia, non vero Infinito in actu, & probant primo, quia *Ariſt.* poſtquam in textu 62. apoſuit diffinitionem Infiniti tradditam ab antiquis, quod ſit id, cuius nihil eſt extra, eādem poſtea impugnans in textu 63. inquit, datam diffinitionem non eſſe Infiniti, quia in rebus nullum eſt Infinitum in actu: ſed tantum in potentia, idque poſtquā probauit, tandem adduxit propriam diffinitionem Infiniti, dicens. *Infinitum eſt id, cuius ſemper eſt aliquod extra ſumere.* Si ergo Ariſt. antequam tradderet diffinitionem de Infinito, impugnauit nedum Infinitum in actu, ſed etiam illam diffinitionē ab Antiquis tradditam de Infinito in actu, ſequitur, ꝙ diffinitio, quam docuit Ariſt. non cōuenit Infinito in actu, ſed tantum Infinito in potentia.

Thomiſtæ docēt diffinitionē de infinito cōuenire vtrique infinito.

3 Sed Thomiſtę cū D. Thom. in hunc eundem textū, quē ſequitur Amicus tract. 8. q. p. Dub. 3. art. 2. voluerunt datam de Infinito ab Ariſt. diffinitionem conuenire vtrique Infinito tam ſcilicet Infinito in potentia, quam etiā Infinito in actu, idque probāt, quia Ariſt. traddidit diffinitionem Infiniti ad deſtruendam diffinitionem poſitā ab antiquis; ſed illi diffiniebant vel Infinitum in actu, vel ſaltē infinitum in Comuni; probatur maior, quia alioquin Philoſophus incide-

rec in Fallaciã æquiuocatio nis:

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

1 AEgidius in 3. Phiſicorum lect. 14. ſuper tex. 57. docet Infinitum in actu, ſeu Cathegorematicum poſſe dupliciter accipi, primo in actu cõpleto, ſeu in actu ſimpliciter, & in facto eſſe, Secundo in actu incompleto, ſeu in actu Secundum quid, & infieri. Infinitum in actu completo ſeu in actu ſimpliciter, & in facto eſſe eſt quoddam totũ, tum quia habet partes, ex quibus componitur totum, tum etiam quia completum & perfectum in habentibus partes eſt pænitus idem, ac totum, Quoniam autem totum eſt id, cuius nihil eſt extra, vt Ariſt. in tex. 63. ideo infinitum in actu completo, ſeu in actu ſimpliciter, & in facto eſſe eſt illud, quale volebant antiqui, quodque ſic diffiniebant. *Eſt id, extra quod nihil eſt*; Infinitum vero in actu incompleto, ſeu in actu Secundum quid, & infieri quamuis etiam habeat partes; non propterea eſt propriè totum, ſed magis habet rationem partis, quã rationẽ totius, quod ſic oſtẽditur, quia ſicut in motu, & in fieri eſt aliquid acceptum, & aliquid accipiendum, & in talibus magis attenditur reſpectus accipiendi, quam reſpectus accepti, ſic in Infinito, quod dicit actum incompletum, ſeu actum infieri, pro vt ponitur in actu, ſemper eſt ibi aliquid acceptum, & aliquid accipiendum; ſed Formalius ſumitur Infinitas reſpectu accipiendi, quam reſpectu accepti; vnde & ſi Infinitum in actu incompleto ratione accepti ſit quodam totum, ratione tamen accipiendi habet rationem partis; quoniam autem de ratione partis eſt, *extra quam aliquid eſt*, Sicut de ratione totius eſt, *Eſſe id, extra quod nihil eſt*, Ideò Infinitũ in actu incompleto, ſeu in actu Secundum quid, & infieri eſt id, cuius partem accipientibus ſemper reſtat aliquid extra ſumere.

Ægidi⁹ dat duplex infinitum in actu.

5 Hac ſtante Ægidij doctrina, dicendum eſt, Diffinitionem Infiniti traditam à Philoſopho, non conuenire infinito cathegorematico, & in actu completo, ſeu in actu ſimpliciter; quia tale Infinitum eſt quodam totum, totum autem eſt id, extra

quod nihil eſt, & hoc probāt argumenta Scotiſtarum:

6 Cum hoc tamen ſtat, ꝙ eadē diffinito tradita à Philoſopho de Infinito non ſolum conuenit infinito Sincathegorematico, & in potentia, ſed etiam infinito Carhegorematico, & in actu incōpleto; ſeu Infinito in actu Secundum quid, & in fieri; quia huiuſmodi Infinitum In actu incompleto magis habet rationem partis, quam rationem totius, pars autē eſt illa, extra quam ſemper eſt aliam accipere, & hoc volunt Thomiſtæ.

Diſtinctio, inter infinitum in potētia, & in actu completo.

7 Ex quo collige, quod Infinitum in potentia; & Infinitum in actu completo, ſeu in actu ſimpliciter diſtinguntur non ſolum in modo eſſendi potentiali, & actuali, ſed etiam quia primum magis habet rationem partis, quam totius; Secundum vero potius habet rationem totius, quam rationem partis: ſed Infinitum in potentia, & infinitum in actu incompleto ſolum diſtinguntur quo ad modum eſſendi, quatenus ſcilicet primū eſt in potētia, aliud vero eſt in actu; in reliquis tamen non diſtinguntur.

RESPONDETVR IN FORma Argumentis

Vtriuſque Sententię.

8 SCotiſtarum diſcurſus tantum conuincit; diffinitionem Infiniti tradditam ab Ariſtotile nō conuenire Infinito in actu completo; ſed vel tantum Infinito in potentia, vel infinito in actu incompleto. Argumentatio vero Thomiſtarum ſolum concludit, eandē Infiniti diffinitionem tradditam à Philoſopho competere vtrique infinito nimirum tam infinito in potentia, quā etiam in actu, non Infinito in actu completo, ſed incompleto.

DVBITATIO SECVNDA.

Quę nam ſint Proprietates, & Attributa Infiniti?

1 PRimo ſolet dici, quod Infinitum mēſurari non poteſt; quod attributum vtrique Infinito conuenit, quia illud dicitur mēſurari, quod determinatè cognoſcitur, quantum ſit, hoc autem de nullo Infinito verificari poteſt. Infinitū menſurari nō poteſt.

2 Sed dices cum Auerſa q. 24. Sect. 1. Infinitum quamuis

uis videatur immeſurabile per menſuram Finitã; tamen non eſt, cur non poſſit menſurari per aliam menſuram pariter infinitam, vt ſi data prius quadam multitudine infinita, illi poſtea comparetur alia multitudo infinita, illique inueniatur ęqualis terminus, tunc dici poteſt, ꝙ tanta eſt vna, quanta eſt alia: ſed hoc non bene dicitur, tũ quia menſurare propriè loquendo, eſt in notitiam Quãtitatis ignotæ per aliam notiorem deuenire, & cum vnũ Infinitum non ſit notius altero, omnino pro menſura Infinitum aſſumi non poteſt: tũ etiam quia æqualitas eſt affectio propria Quantitatis finitæ, & vnum Infinitum propriè, & poſitiuè nõ eſt ęquale alteri, ſed poteſt dici tantum æquale negatiuè, ſcilicet per negationẽ exceſſus: Infinitum igitur propriè mẽſurari non poteſt.

Infinitũ menſurari nõ poteſt.

3 Secundo, ſolet dici; Infinitum totaliter pertranſiri nõ poſſe, quod Ariſt. docuit 3. Phiſic. tex. 41. & ratio eſt euidens, quia illud totum pertranſitur, & numeratur, ad cuius vltimum peruenitur: ſed hoc repugnat Infinito; ergo &c. & hoc attributum cõuenit ſimiliter vtrique Infinito, quia vtrumque caret vltimo.

4 Tertia Proprietas, quæ comuniter Infinito tribuitur, eſt, quod Infinitum ſit ignotum, & cognoſci non poſſit; quod docuit Ariſt. in p. Phiſ. tex. 35. & lib. 3. tex. 65. ſed de hac infiniti proprietate diſcutiemus infra in Dubit. vltima, vbi quęremus, an Infinitum cognoſcatur ſaltẽ ab Intellectu Diuino; pro nunc ſufficiat, quod Infinitum dicitur ignotum, non quia à nullo Intelligi poſſit, quia ab Intellectu infinito optimè queit intelligi: ſed infinitum dicitur ignotum, reſpectu intellectus cognoſcentis ipſum Secundum modum ſuæ infinitatis: modus autem ſuæ Infinitatis eſt accipere alterum poſt alterum: ſed Intellectꝰ, qui cognoſcit hoc modo, ſemper cognoſcit finitum, & in hoc ſenſu ait Ariſt. infinitum eſſe ignotum.

Quomodo infinitũ dicatur incognitũ

Petes, an ſi eſſent plura infinita, vnum eſſet maius altero? huic difficultati in ſequenti Dubitatione reſpondebitur.

DVBITATIO TERTIA.

Vtrũ ſi eſſent plura infinita, vnum eſſet maius altero?

1 QVæſtio procedit ex hypoteſi, quod eſſent plura Infinita

D.Thomas affirmat.

nita, in quo caſu D. Thom. 3.p.q. 10. art. 3 apud Ruuiũ lib. 3. tract. 2. q. 4. aſſerit, vnum Infinitum poſſe eſſe maius alio, non ſolum loquendo de infinito Sincathegorematico, & in potentia, ſed etiam de infinito in actu, cuius Sententię pręcipua ratio illa eſt, quia ſi daretur actu Infinitus numerum Hominum, tunc plures forent oculi, quam Homines, & plures digiti, quã oculi, & multo plures capilli, quam digiti, nam in tali caſu quilibet Homo haberet duos oculos, decem digitos, & innumeros capillos.

2 Sed Scotus Quolib. 5. lect. A. apud Maſtrium, & Bellutum Diſp. 10. q. p. art. 2. §. dicẽdum tamen &c. duo docet, primum eſt, quod maius, & minus Infinito Sincathegorematico competere poteſt, Secundum eſt, maius & minus infinito Cathegorematico ſimpliciter repugnare; probat primam partem, quia ex Ariſt. p. de Cælo tex. 130. Infinitum in actu illud eſt, quo maius eſſe non poteſt: & ideo quia Deus eſt Infinitum ens actu, dicitur ab Anſelmo taliter ſummũ bonum, vt eo maius excogitari no poſſit, & cõfirmatur; quia infinitum in actu, & Infinitũ in potentia debent per oppoſita diffiniri; ſed infinitum in potentia diffinitur id, cui aliquod deficit, & cuius ſemper eſt aliquod accipere; ergo Infinitũ in actu debet diffiniri per hoc, quod nihil ſibi deficit in eo genere, in quo eſt Infinitum. Probat deinde Secundam partem, quod ſcilicet infinitum Sincathegorematicum poſſit recipere magis, & minus, quia infinitum Sincathegorematicum eſt illud, extra quod ſemper aliquid eſt accipere: deinde cum infinitum Sincathegorematicum ſit infinitum in potentia, ſemper poteſt magis, ac magis augeri, & quia non intrinſecè attingit infinitatem; ſed extrinſecè tantum, omnino poteſt magis, & minus ad infinitatem accedere.

3 Ægidius tamen attenta illa diſtinctione de duplici infinito in actu, quam cum eodem in prima Dubitatione docuimus; duplici etiam cõcluſione præſentem difficultatẽ reſoluit. Prima concluſio infinitum in actu completo, ſeu in actu Simpliciter, & in facto eſſe non ſuſcipit magis, & minus; hoc conuincit argumentum pro prima parte aſſertionis Scoti, poteſtque ad hoc idem trahi Sententia Ruuij, & aliorum Recentiorumq; aſſerentium, infinitum formaliter ſumptum ſeu

Infinitum in actu cõpleto nõ ſuſcipit magis, & minus.

ſeu pro ratione Formali infinitudinis, quę cōſiſtit in eo, quod eſt carere termino, nō ſuſcipere magis, & minus.

4 Secunda concluſio. Infinitum in potentia, & etiam infinitum in actu incompleto, ſeu in actu Secundū quid, & in fieri, poteſt ſuſcipere magis, & minus, vt rectè probant tum ratio primæ Sententiæ pro D. Thoma, tum etiam argumenta pro 2. parte aſſertionis Scoti, idque volunt Recētiores apud Ruuium loco ſupra citato, cum dicunt, infinitum Materialiter ſumptum pro Dimenſionibus ſi ſit cōtinuum, vel pro vnitatibus, ſi ſit diſcretum, poſſe ſuſcipere magis, & minus.

Sicut infinitum in pōtia & in actu incōpleto

RESPONDETVR IN FORma Argumentis

Vtriuſque Sententia.

5 AD D. Thomā dicendum, quod infinitum in potentia, & in actu incompleto poteſt eſſe maius alio, vnde ſi actu daretur infinita Hominum multitudo, tūc plures eſſent oculi, quam Homines, & plures digiti, quam oculi &c.

Ad Scotum dicimus, infinitum in actu completo non poſſe eſſe maius alio, quia maius, & minus infinito (intellige in actu completo) repugnat.

DVBITATIO QVARTA.

V. de facto detur in rebus aliquod Infinitum, vel ſaltem dari poſſit per vires Naturę?

1 MAgis clarè hic repetendum eſt, quod in Dubitatione prima ſub obſcuritate docuimus. Infinitū duplex eſt, aliud eſt in potentia, ſeu Sincathegorematicum; aliud eſt in actu, ſeu Cathegorematicum; infinitum in potentia, ſeu Sincathegorematicum, eſt illud, quod re vera in ſe finitum eſt; habet tamen partes infinitas proportionales; quę ſemper poſſunt ſumi minores, & minores in infinitum, vt ſi diuidatur lignum in duas medietates, & vna medietas in alias duas, & ſic ſemper procedendo per eandē proportionem, hoc quidem dicitur infinitum Syncathegorematicum, ſeu cum addito, & in potentia: infinitum vero in actu, ſeu cathegorematicum eſt illud, quod actu conſtat ex infinitis partibus aliquotis, & nō comunicantibus; quæ partes aliquotæ

Explicatur, qd ſit infinitum ſyncathegorematicū; & in actu?

quotę ſunt æquales in determinata Quantitate v. g. vel in Quantitate vnius palmi, vel vnius digiti, & dicuntur non comunicantes, quia vna alteram non includit, & hoc Infinitum dicitur Cathegorematicum, ſeu in actu: nunc nō quærimus in præſenti de Infinito in potentia; nam certum eſt, hoc dari à parte rei, cum quælibet Quantitas cōtinua infinitas habeat partes proportionales; ſed quęſtio tantum eſt de Infinito in actu.

2 Et antiquorum Sententia fuit affirmans, dari ſcilicet in rerum natura, vel ſaltem dari poſſe per vires naturæ Infinitum in actu, habens in ſe infinitas partes aliquotas, quę Sententia ſic primo probatur; datur in rerum natura infinitum in potētia, vt omnes concedunt, ergo datur etiam, vel ſaltem dari poteſt per vires naturæ Infinitum in actu; probatur cōſequētia, quia omnis potentia ordinatur ad actum, ergo ſi datur infinitum in potentia, dari etiam debet Infinitum in actu; nam fruſtra eſt illa potētia, quæ non reducitur ad actum. Secundo; Potentiæ Infinitæ debet reſpōdere actus Infinitus: ſed potentia Dei eſt infinita actu, ergo ei reſpondere debet aliquod Infinitũ in actu. tertio; Finitũ, & Infinitum ſunt proprietates Quantitatis, ſicut par, & impar ſunt proprietates numeri, ergo ſicut dantur numeri in actu pares, & impares; ita debet dari Quātitas actu Finita, & Infinita. 4. In quouis continuo dantur partes proportionales actu Infinitæ copulatæ, & vnitæ ſuis indiuiſibilibus, ergo de facto datur infinita multitudo in actu, quia quęlibet pars eſt ens; ergo à parte rei datur infinitum in actu.

3 Oppoſita tamen Sententia eſt verior in omni Schola peripatetica, & comonior, quod ſcilcet de facto nullum datur infinitum in actu; ſed tantum in potentia; ita Ariſt. expreſsè cap. 5. huius libri, & AEgid. in 3. Phis. Lect. 14. ſuper teſtũ 57. & quod à parte rei detur de facto infinitũ in potentia, probatione non eget; quod vero à parte rei de facto non detur, nec per vires naturæ dari poſſit infinitum in actu, ſic probatur, & in primis id probatur de infinito in actu in genere ſubſtantiæ. Omne ens creatum in genere Subſtantiæ habet eſſentiam, diſtantem ab eſſe, ergo omne ens creatum in genere Subſtantię eſt actu finitum ſimpliciter; de Antecedenti nulli eſt dubium: probatur

De facto non datur infinitũ in actu.

Probatur de infinito genere entis

batur cõſequentia, quia ens, quod habet eſſentiam diſtanctam ab eſſe, non eſt ſuum eſſe, ſed eſt in potẽtia ad eſſe, ſeu habet eſſe receptum, & ex conſequenti limitatum, quia omne, quod recipitur, per modum recipientis recipitur: ſed omnis eſſentia, in qua recipitur eſſe, clauditur in Genere, ergo omne eſſe, quod recipitur in tali eſſentia, eſt finitum: non datur igitur de facto in rebus infinitum in actu Secundum perfectionem in genere Subſtantiæ.

Ididẽ probitur de infinito in genere quantitatis.

4 Probatur idem de infinito in actu in genere Quantitatis Continuæ: Quælibet Quãtitas continua habet actu partes aliquotas non communicantes nõ infinitas, ſed ſimpliciter finitas, ergo nulla Quantitas continua eſt de facto actu infinita; conſequẽtia ſequitur, probatur antecedens: nam quælibet Quãtitas cõtinua finitis partibus aliquotis metiri poteſt, vt patet experientia.

5 Probatur tandem de infinito in actu in Genere Quantitatis diſcretæ, quod ſcilicet nõ detur infinitus numerus; infinito Secundum numerum nulla poteſt fieri additio, ſed de facto nulla eſt entiũ multitudo, cui nõ poſſit fieri additio in infinitum, ergo nulla datur multitudo actu infinita.

6 Ad oppoſita agumẽta antiquorum Reſpondetur, & ad Primum cõceditur antecedens, quod de facto detur infinitum in potentia, ſed diſtinguẽdum eſt conſequens, ergo à parte rei datur de facto infinitum in actu completo, ſeu in actu ſimpliciter, negatur; datur à parte rei, vel ſaltem dari poteſt per vires naturæ infinitum in actu incompleto, ſeu infinitum Secundum quid, & in fieri, cõcedo. Quid ſit autem infinitum in actu incompleto, & infinitum in actu completo? iam oſtendimus cum AEgid. in p. Dubit. præcedenti; Et eodem modo Reſpondetur ad Secundum, concedendo ſcilicet potentiam Dei eſſe actu infinitam, illi tamen nõ eſt neceſſe, vt reſpondeat infinitum in actu completo, ſeu in actu ſimpliciter: ſed ſatis eſt, ſi reſpondeat infinitum in actu incompleto, ſeu infinitum in actu Secundum quid, & in fieri. Similiter ad Tertium Reſpondetur, quod Proprietates Quantitatis vel ſunt Finitum, & infinitum in potentia, vel ſunt Finitum & infinitum in actu incompleto. Ad Quartum reſpondetur, argumentum non concludere de infinito categorematico

Soluuntur argumenta oppoſita.

ematico

ſematico, & in actu comple- to, ſeu in actu Simpliciter, & in facto eſſe, ſed tantum de infinito in actu incomple to, & in fieri.

DVBITATIO QVINTA.

V. De Potentia Dei abſoluta poſſit creari aliquod Infinitum Cathegorematicum Secundũ perfectionẽ eſſentialẽ, ſeu in Genere Entis?

1 Non eſt Sẽſus de infinitate perfectionis eſſẽtialis in tota Latitudine entis: nam infinitũ in hoc ſenſu abſorbet omnem perfectionem poſſibilem in ratione entis, & talis eſt ſola perfectio Diuina, quę eſt incomunicabilis creaturæ, quia infinitas eſſentialis in tota latitudine entis inter cæteras perfectiones includit etiam independentiã, quæ cum repugnet creaturę, repugnabit etiam illi talis infinitas in tota latitudine entis. Senſus ergo quæſiti eſt de infinitate eſſentiali ſub latitudine entis creati, an ſcilicet poſſit dari creatura, quę dicat perfectionem ſpecificam infinitam cum dependentia tamen à Deo; & hoc ſiuè in generę Subſtantię, ſiuè in genere accidentis?

2 Non deſunt etiam ex Recentioribus, qui defendant, non ſolum eſſe poſſibile per potentiam Dei abſolutam infinitum in actu Secundum perfectionem eſſentialem, & Specificam, tam in genere Subſtantiæ, quam etiam Accidentis; ſed etiam de facto dari tale infinitum in eſſentia. ita Auerſa q. 43. Sect. 8. & 9. quamuis oppoſitam Sententiam dicat, eſſe comuniorem, & probabiliorem. Prior pars ſolet primo fundari in eo, quod non poteſt oſtendi aperta repugnantia, cur non poſſit creari à Deo aliqua creatura cum perfectione eſſentiali infinita in ſuo genere vel Subſtantiali; vel accidentali, ergo poſſibile eſt infinitum in actu Secũdum perfectionem eſſentialẽ in aliquo genere 2. poteſt Deus producere ſpeciem perfectiorem in infinitum; ita vt data quacunque, poſſit ſemper producere perfectiorem; ergo poteſt creare aliquam Speciem Infinitè perfectam; probatur cõſequentia, quia in tota collatione Specierũ poſſibilium aliqua tandem debet reperiri, quæ ſit Infinitę perfectionis. 3. Infinitæ potentię actiuæ debet re- | Opinio Recentiorum probat poſſe dari infinitum in actu.

reſpondere effectus proportionatus, ergo potentiæ Dei, quæ eſt Infinita Cathegorematicè, & per eſſentiam, poteſt correſpondere effectus conſimilis. 4. ſi Deus per impoſſibile ageret ex neceſſitatè naturæ, tunc produceret effectum Infinitum, quia tunc applicaret totam virtutem ſuam, ergo idem nunc facere poſſet; probatur conſequentia, quia liberum eſt Deo, applicare, vel nõ applicare totam virtutem ſuam in productionibus rerũ. quinto; poteſt Deus comunicare creaturę Infinitatem quo ad durationem, creando illam ab æterno, & quo ad præſentiam replicando illã vbique, ergo poteſt pariter comunicare illi Infinitatem eſſentiæ participatam, & dependentem. 6. hæc Infinita perfectio in eſſentia ad huc eſſet infra perfectionem Diuinam, quia eſſet dependens, & nõ eſſet in tota latitudine entis, ſed tantum in certo genere; ergo &c.

3 Secunda pars huius Sententiæ, quod ſcilicet de facto detur infinitum in actu Secũdum eſſentiam, ſic probatur ab eodem authore ſupracitato. Vnio Hipoſtatica cum Perſona Diuina eſt infinitæ excellẽtię. Omne opus Chriſti Domini fuit infiniti Valoris. Peccatum dicitur eſſe infinitæ grauitatis, quia eſt offenſa Dei infinitè digni. Viſio Beatifica eſt infinitę excellẽtiæ, quia clarè attingit Deũ. Maternitas Virginis fuit infinita, cum eius Terminus fuerit Filius infinitus. ergo &c.

4 Sed Sententia comunior, & verior in omni Schola, ac propterea nobis defendenda eſt, implicare cõtraditionem, nec poſſe dari etiam per Diuinam potentiam aliquam creaturam infinitam in actu Secundum perfectionem eſſentialem, ſeu quod idem eſt, implicare contradictionem, quod aliqua eſſentia creata ſit actu infinita in aliquo genere. ita Thomiſtæ, & Scotiſtæ apud Maſtriũ, & Bellutum Diſp. 10. art. p. & omnes tum antiquiores, tum etiam Recentiores; Tota difficultas eſt in aſſignanda ratione implicantiæ, quę ab AEgidio in 3. Sent. diſt. 13. part. p. q. p. art. 2. in Corp. ſic deſumitur; & cenſeri debet veluti à priori; quia eſsẽtia creata vt creata non eſt actus purus, nec per Diuinã potentiam eſt ſuum eſſe, ſed ſemper in potentia ad eſſe, ergo talis eſſentia creata nullo modo poteſt eſſe infinita nec quidem in aliquo genere; antecedens eſt inconfeſſo,

Vera ſententia oſtẽditur, et probatur.

Ratio veluti à priori ſumitur ab Ægidio.

quia

quia repugnat, ens eſſe creatum, & eſſe actum purum, vel ſuum eſſe, probatur modo conſequentia, quia omnis potentia paſſiua eſſentialiter dicit imperfectionem: ſed omnis eſſentia creata eſſentialiter eſt in potentia paſſiua ad ſuum eſſe, ergo omnis eſsẽtia creata, vt creata nullo modo eſſe poteſt infinita Secundum perfectionẽ nec quidem in aliquo genere.

5 Ad oppoſita argumenta eſt facilè reſpondere. ad primum pro prima parte, iam aſſignata eſt ratio implicantiæ, quia ſcilicet, ens creatũ eo ipſo quo eſt creatum, nõ eſt ſuum eſſe, ſed ſemper in potentia ad eſſe; & quia potentia paſſiua eſſentialiter dicit imperfectionem, ideò ſequitur, ens creatum vt creatum non poſſe eſſe infinitè perfectum, cũ ſemper eſſentialiter ſit in potẽtia ad eſſe, quæ dicit imperfectionem. Ad Secundũ neganda eſt cõſequentia; nam ex illo proceſſu ſincathegorematico potius ſequitur oppoſitũ, quod ſcilicet nunquam eſt deuenire ad aliquam ſpeciem ita imperfectam, vt ea maior dari non poſſit. Ad Tertium Reſpõdetur, quod effectus correſpondens infinitæ Dei Potentiæ eſt infinitum in actu incompleto, ſeu infinitum in actu Secundum quid, & in fieri: vel eſt illa in exauſta ſucceſſiua productio pluriũ, & plurium ſpecierum poſſibilium, quæ per nullam põtentiam Finitam fieri poteſt: nec propterea ſequitur ex hoc, quod ipſa Dei potentia ſit Finita in infinitum, ſicuti eſt ipſum obiectum poſſibile: nam Potentia Dei eſt tota actu, & per ſe infinitè perfecta in ſua entitate continens eminenter perfectiones Specificas omnium effectuũ ſic infinitorum, & ſi non attingit effectum infinitum in eſſentia, defectus non eſt ex parte Potentiæ Dei; ſed ex repugnãtia rei; præter quam quod effectus valde proportionatus infinitæ potentiæ Dei poteſt dici modus producendi quamlibet rem ex nihilo; qui modus producendi nulli potentiæ creatæ poteſt attribui, vt alibi dicetur. Ad Quartum Reſpondetur, quod etiam admiſſa illa hypoteſi impoſſibili, ad huc non ſequeretur productio infiniti Secundum perfectionẽ eſſentialem, quia cum tale infinitum in eſſentia ſit impoſſibile, & dicat apertam repugnantiam, nullo modo produci poteſt, etiam ſi Deus applicaret totam ſuam virtutem ad agendum. Ad Quintum

Satisfit oppoſitis rationibus.

tum

tum Reſpondetur, negando paritatem; nam cum limitatione creaturæ in perfectione eſſentiali benè ſtat, quod ab æterno poſſit produci, & vbique replicari: ſed infinitas in eſſentia repugnat creaturæ, quia eſſentia ſi eſt creata, iam eſt in potētia ad eſſe, & ex conſequenti non eſt infinitè perfecta. Ad Sextū negatur aſſumptum, nam eo ipſo quo eſſentia eſt infinitè perfecta; iam eſt ſuum eſſe, ac propterea non erit infra perfectionem Diuinam, ſed potius ipſamet perfectio increata.

6 Ad ea alia argumenta, quibus Secundo loco oſtendebatur, dari de facto in ſupernaturalibus infinitum in actu Secundum perfectionē: Reſpondetur, illa omnia nō probare infinitatem Secundum eſſe, ſeu Secūdum eſſentiam, de qua eſt quæſtio, ſed tantum concludere quandā infinitatem Secudum modū: vnde ſicut Materia prima p hoc quod coniungitur Quātitati, dicitur extenſa non per eſſentiam, nec Secūdum eſſe, ſed tantum Secundum modum; ita creatura per hoc quod coniungitur, vel ordinatur ad Deum infinitum; non propterea ſit infinita Secundum eſſe, & per eſſentiam; ſed tantum Secundum modum. ita AEgid. in 3. Sent. diſt. 13. part. p. q. p. art. 2.

Infinitū actu in ſecūdū modum daturde facto.

DVBITATIO SEXTA.

V. ſaltem per Diuinam Potentiam poſſit Creari Infinitum in potētia Secundum perfectionē eſsētialē?

1 SEnſus eſt, an data quacunque Specie rerū quantumlibet perfecta, poſſit Deus ad huc alias perfectiores in infinitū producere; vel perueniri poſſit ad aliquam Speciem, qua Deus perfectiorē facere nequat?

2 Et Prima Sentētia tenet, non poſſe à Deo effici infinitum Sincathegorematicum, ſeu in potentia Secundum perfectionem eſsētialem, ſed vſque ad certam perfectionē Specierum procedi poſſe, & vltra illam perfectiores Species non eſſe poſſibiles. ita Henricus quolib. 8. q. 8. Durand. in p. diſt. 44. q. 2. & ſolet citari Scotus in 2. Meth. q. 6. & in 3. diſt. 13. q. p. ſed Maſtrius, & Bellut. in Diſp. 10, q. 2. art. 2. cum Cauello dicunt, de infinitate Sincathegorematica Specierum nihil certi poſſe colligi ex Scoto, cum-

Quorūdā opinio negātium.

cumque dicunt in locis ſupra citatis, eſſe indeterminatum, & ſemper loqui dubitatiuè: cuiuſcumque tamen ſit hæc Sententia, ſic primo poteſt probari, quia ex D. Dioniſio ita Species procedunt à Deo, ſicut Numerus ab vnitate: ſed aliquis Numerus eſt ita vnitati propinquus, vt inter hanc, & illũ alius numerus nequeat cadere, ergo & aliqua creatura dari debet ita Deo propinqua, vt inter ipſam, & Deum alia effici nequeat, & hæc fortè poteſt eſſe Angelus ſupremus; ſicut è cõtra; datur alia ita infima, vt inferior eſſe non poſſit, vt eſt Materia prima: vnde D. Auguſtinus 12. Cõfeſs. inquit Duo feciſti Domine vnum propè te, ideſt naturam Angelicam, alterum propè nihil ideſt Materiam primam. 2. cum incipiendo à Deo, deſcenditur, neceſſe eſt, dari id, in quod primo deſcenditur: nam inquit D. Dioniſ. infima iunguntur ſupremis per media, ita quod ſupremum infimi debet attingere infimũ ſupremi 3. in eſsẽtialiter ordinatis non datur proceſſus in infinitum; ex 2. Meth. cap. 2. ſed inter omnes Species reperitur ordo eſſentialis, ergo in illis non eſt proceſſus in infinitum. 4. Omne genus entis creati eſt Finitum, & limitatæ perfectionis, & ideò Deus non cõtinetur ſub Genere, ergo non poteſt ſub genere entis creati dari proceſſus in infinitum in Specieb⁹; ſed debet dari ſtatus in vna Specie perfectiſſima, probatur conſequentia, quia non ſolum hæc, vel illa differentia ſpecifica, ſed tota latitudo differentiarum determinatiua Generis eſt limitata, quia debet eſſe proportio inter determinabile, & determinatum, vnde Genus accidentis non poteſt contrahi per differentiam Subſtantialem, nec Genus Subſtantiæ corporeæ per differentiam Immaterialem, ſed vbi eſt finitudo Differentiarum, ibi nequit eſſe proceſſus in infinitum, igitur &c.

3 Sed Oppoſita Sententia verior eſt; & comunior, vnde nobis dicendum eſt, non eſſe poſſibilem imperfectione eſſentiali ſupremam creaturam; quã maior eſſe non poſſit; ſed quacumque data creatura, ad huc poſſe produci perfectiorem in infinitum ſine termino, ita D. Th. contr. gent. cap. 26. & in p. p. q. 25. art. 6. D. Bonau. in p. diſt. 44. q. p. quē pro Schola Scotica ſequuntur Maſtri⁹ & Belluc. in Diſp. 10. q. 2. art. 2. Ægid. noſter cum illo 3. Sent. diſt. 13. princip. p. q. p. art. 2.

Vera ſententia probatur.

D. Tho. D. Bon. Ægid. Argent. Ruuius. Maſtr. & Bell.

cum

tum in Quolib. 3. q. 5. & nos cũ illo in Meth. tract. 2. Diſp. p. q. 2. de Quidditatè Entis Methap. art. p. de rerum eſſentijs Dubit. 5. & 6. Noſter Argentina in 2. diſt. p. q. 2. art. 4. & plures alij apud Ruuiũ lib. 3. tract. 2. de Infinito q. 5. num. 100. probatur autem hæc vera Sententia, quia Eſſentia Diuina eſt infinitis modis imitabilis, & participabilis à creaturis; ita vt à nulla ita perfectè participetur, quin perfectius poſſit ab alia participari, & imitari in infinitum; ergo nulla creabitur ita nobilis, quin nobilior, & nobilior in Infinitum creari poſſit; idque præſertim neceſſarium eſt, quia nõ repugnat nec ex parte Dei, nec minus ex parte creaturę; vt probabitur in ſolutionib' argumentorum: Deinde Deus non poteſt creare aliquam creaturam actu infinitam Secundum eſſentiam, vt probauimus Dubitatione præcedenti, ergo data quacumque creatura, ſemper reſtat alia, & alia perfectior pro creanda.

4 Id que voluit ſignificare AEgidius cum loco ſupra citato inquit, quod inter eſſentias, quæ diſtãt in infinitum, ita vt quodlibet extremum dicat poſitiuè aliquam eſſentiam, vt ſunt Deus, & creatura, ſemper inter tales eſſentias eſt dare mediũ, quia Deus nunquam poteſt facere creaturam ita excellentem, vt non poſſit facere meliorem.

5 Ad argumenta oppoſita Reſpondetur. ad primum dicimus, illam paritatem ſic eſſe explicandam, quod quẽadmodum numeri in vnitate continentur tanquam in radice, & in ea quodammodo vniuntur, & cum ab illa procedunt, multiplicantur in infinitum ſine termino, ita Species omnes in Deo quodammodo vniuntur, & cum ab illo procedunt, multiplicãtur ſimiliter in infinitum: non eſt autem paritas admictenda in eo ſenſu, quo dicitur in argumento, quia inter Deum, & creaturam quantumcunque perfectam ſemper eſt diſtantia infinita, inter vnitatem autem, & numerum binarium non eſt diſtantia infinita. Ad D. Augſtinum dicimus cum AEgid. in 3. diſt. 13. princip. p. q. p. art. 2. quod in deſcendendo eſt dare ſtatum in creaturis: nã Materia prima ordine naturę eſt ita vilis, vt ea nihil vilius eſſe poſſit; eſt enim Secundũ eũdem Augſtinum propè nihil, & ita infimam participat rationem entis, vt ſi minus participaret, non conſtitueret

ret gradum entis, ſed eſſet purũ nihil: aſt in aſcendendo, non inuenitur ſtatus in Genere creatorum, quia vt in præcedenti Dubitatione dicebamus, nullum creatum poteſt eſſe actus purus, nam ſi eſſet actus purus, eſſet ſuũ eſſe, & tunc non participaret eſſe, quod ſi non participaret eſſe, tunc non haberet eſſe ab alio, ac proinde non eſſet quid creatum: eſt ergo aliqua creatura in ſe conſiderata ita infima in ordine naturæ, vt ea inferior eſſe non poſſit: nulla tamen eſt ita ſuprema, qua non poſſit eſſe prçſtãtior: quia in aſcendendo, non eſt ſtatus in rebus creatis, ſed tantum in Creatore.

Non vero in aſcendendo.

6 Dices. ſicut Materia prima inter res creatas eſt propè nihil, ita inter creaturas ſupremus Angelus eſt propè Deum: ſed Materia prima ita eſt propè nihil, & imperfecta; vt dari non poſſit alia Materia imperfectior, ergo Angelus ſupræmus eſt ita propè Deum, & perfectus, vt dari non poſſit alius Angelus magis perfectus. Reſpondetur; nõ eſſe eandem rationẽ, quia in deſcendendo, poſſumus peruenire ad aliquam creaturam, quæ ſit pura potentia per eſſentiam, vt eſt Materia prima, ſed in aſcendendo, non poſſumus peruenire ad aliquam creaturam, quæ ſit purus actus per eſſentiam, cum repugnet, eſſe Creaturam, & eſſe purum actum.

Soluitur quędam inſtantia.

7 Dices iterum. non repugnat, eſſe creaturam, & eſſe puram potentiam, ergo nec minus repugnat, eſſe creaturam, & eſſe purum actum. Reſpondetur; nõ currere paritatem: nam pura potentia poteſt pati dependentiam ab alio efficienter: aſt purus actus non poteſt pati dependẽtiam ab alio, quia eo ipſo quo eſt purus actus, eſt ſuum eſſe, & non participat eſſe.

8 Ad Secundum argumentum dicimus, in deſcendẽdo à Deo, nunquam dari immediatam Speciem productam, quia inter Deum, & Creaturã quantumcumque perfectiſſimam nunquam eſt immediata diſtantia: ſed ſemper diſtãtia infinita; dictũ vero D. Dionifij intelligitur non de Connexione inter Deum, & creaturam; ſed Creaturarum ad inuicem. Ad Tertiũ Reſpondetur; aſſumptum debere intelligi de cauſis eſſentialiter ſubordinatis: nam cum ibi vna eſſentialiter dependeat ab alia, vtique omnes debẽt eſſe actu in rerum natura, atque adeò in Cauſis eſſentialiter ordinatis, proceſſus in-

Satisfit alijs argumentis.

infinitum dari non poteſt, & propterea etiam antiqui philoſophi admictentes ſtatum in Cauſis, admiſerunt etiam primam Cauſam: ſed non ita Species eſſentialiter ſubordinātur inter ſe: ſed tantū in eo ſenſu dicuntur eſſentialiter inter ſe ordinari, quatenus vna ſemper eſt altera perfectior, & nunquam fieri poteſt, vt duæ Species ſint æqualis perfectionis. Ad quartum Reſpondetur; quod ſicut natura Generis non eſt vna in omnibus Speciebus per inexiſtentiam; ſed per ſolam indifferentiam; & ideo multiplicatur, & partitur iuxta numerum Specierum: ita potentia Generis non eſt vna ad omnes differentias: ſed multiplex, & ita non eſt infinita niſi Secundum multitudinem; ſicuti ſunt differentię ipſæ, & quando etiam eſſet vna potentia ad omnes differentias, ad huc negandum eſſet, quod talis foret infinitè perfecta, quia potentia paſſiua nullam dicit perfectionem: vnde Materia prima habet vnicam potentiam ad omnes Formas poſſibiles, quę tamen in illa nullā dicit perfectionē.

DVBITATIO SEPTIMA.

V. De Potentia Dei abſoluta poſſit dari infinitum in actu in genere Quantitatis continuę, vt Infinitum Corpus, vel Infinita linea. &c.?

1 DVæ poſſunt referri cęlebriores ſentētiæ, quarum prima docet, eſſe poſſibile de potentia Dei abſoluta Infinitū in actu in genere Quantitatis continuę, vt infinitam lineā, vel Infinitum Corpus. Ita Greg. in p. diſt. 43. q. 4. Argent. noſter in 2. diſt. p. q. 2. art. 4. conclus. p. & ex recētioribus plures; huiuſque sētētiæ fundamēta ſunt huiuſmodi, primo, illud, cuius ratio non repugnat; ſed congruit enti creato, illud non implicat contradictionē: ſed Infinitum Secundum magnitudinem eſt huiuſmodi, ergo &c. probatur minor, quia vt dicitur primo Phiſic. ratio infiniti congruit Quantitati. Secundo; illud non eſt denegandū Diuinæ potentię, cui⁹ oppoſitum per nullam rationem demonſtratiuam poteſt conuinci: ſed oppoſitū huius concluſionis, quod ſcilicet Infinitum in actu Secundum Quan-

Proponitur ſētentia affirmās

Quantitatem continuã poſſit exiſtere per Diuinam potentiam, non poteſt demonſtratiuè conuinci, ergo &c. maior eſt nota; minor vero probari poteſt, ſoluẽdo omnia argumenta contraria. 3. Deus eſt actu Infinitę potentiæ, ergo poteſt actu facere Infinitum in Genere continui: conſequentia ſequitur, quia Infinitas potentię ex infinitate actus deſumitur; ſed Deus habet infinitam potentiam actu, ergo poteſt infinitum in actu producere, vt infinitum corpus &c. Quarto In continuo ſunt infinitæ partes proportionales: ſed Deus poteſt eas omnes ſeparatim conſeruare, ergo poteſt etiã Infinitum in actu producere, maior patet, minor vero probatur, quia quicquid Deus conſeruat mediãte cauſa Secunda, multo magis poteſt per ſe ipſum conſeruare, ſed Deus conſeruat in continuo partes proportionales interuentu vnionis earũdem partium, ergo poteſt eaſdem ſine vnione cõſeruare. Quinto; Infinitum eſt ens reale, nam 3. phiſic. tex. 63. diffinitur, eſt proprietas Quãtitatis, ex p. Phiſic. tex. 32. & Quantitas ipſa diffinitur; imo ſi Infinitum daretur, in Prædicamento Quantitatis reponi deberet, ergo &c. Sexto Infinitudo non repugnat enti, vt ens eſt, cum detur primũ ens Infinitum, nec enti creato, vt creatum eſt, quia poſſet eſſe Infinitum in Quantitate, quod non eſſet infinitũ Secundum Eſſentiam: nec tandem repugnat Quantitati, vt Quantitas eſt, quia ponitur eius affectio; ergo &c.

2 Nihilhominus altera Sẽtentia, quæ proculdubio eſt verior, & probabilior, nobiſque ſubſtinẽda, negat omnino, eſſe poſſibile infinitum in actu completo in genere Quantitatis continuæ. Ita D. Thom. Quolib. 9. art. p. & p. p. q. 7. art. 3. Diuus Bonauent. in p. diſt. 43. q. 3. Scotus in 2. diſt. p. q. 3. AEgid. in p. Sent. diſt. 39. princip. p. q. 3. Tolet. & Conimbric. hoc loco, & ferè omnes Recentiores; fundamentum autem vnicum, & efficax huius veritatis deſumi poteſt ex his, quę docet Ægidius loco mox citato lict. O. vbi hæc habet. *Infinitas perſe, & Primo, principaliter repugnat entitati, Quantitati autem non repugnat, niſi quodammodo ex conſequenti, in quantum ratio entitatis reſeruatur in Quanto.* Et paucis interiectis lict. p. ſic proſequitur. *Si ponitur Infinitum Quantitati congruere, non propterea ponitur eſſe; quia Infinitas* di-

Vera ſententia negat in finitũ in actu cõpleto.

Ægidij Doctrina.

directè repugnat entitati, non Quantitati. Et ſub eadem lictera vlterius ſic diſcurrit. *Igitur ſi poneretur ēs aliquod Infinitum, quia ſequeretur illud eſſe Quantum, omnino Quantitas Infinitati, vel infinitas Quantitati directè repugnare non poteſt, ex ipſa ergo entitate rei oporteret huiuſmodi repugnantiam accipere.* Ex quibus omnibus conficitur ratio ſic in forma. Implicat contradictionem, poſſe dari ens creatum actu Infinitum in Genere entis, ſeu Secundum perfectionem eſſentialem; ergo implicat etiam ſaltem ex conſequenti, poſſe dari Infinitum in actu in Genere Quantitatis continuæ; antecedens iam ſtabilitum fuit in Dubit. 5. præcedenti, probatur nunc conſequentia, quia omne Quantum Continuum eſſentialiter eſt ens, & ratio entis intrinſecè reſeruatur in omni Quanto continuo; ſed cuilibet Entitati creatæ primo, & per ſe repugnat omnis Infinitas, ergo cuilibet Quanto continuo eadem infinitas repugnabit ſaltem ex conſequēti.

3 Ad argumenta primę Sētentiæ Reſpondetur, & ad primum, conceſſa maiori, neganda eſt abſolutè minor: nā ſufficienter oſtenſum eſt, infinitatem repugnare primo, & per ſe cuilibet ētitati creatæ, & quia entitas creata reſeruatur in omni Quanto cōtinuo, omnino etiam Quantitati continuæ repugnabit Infinitas ex cōſequenti: quādo autem dicitur, quod ex Ariſt. ratio infiniti Quantitati congruit; ſenſus eſt, quod Quantitas quantum eſt ex ſe, ſi poſſet eſſe ſine vlla entitate, vtique poſſet eſſe Infinita, quia ratio Infiniti primo, & per ſe non repugnat quantitati: ſed tantum entitati: ſed quia eſt impoſſibile etiam per Diuinam Potētiam, poſſe dari quantum continuum, quod non ſit ens, & repugnat enti eſſe Infinitum, vt iam vidimus, omnino repugnabit etiā Infinitas Quantitati continuę. Ad Secundum, neganda eſt minor, quia iam oſtendimus rationem repugnātię, cur per Diuinam Potentiam eſſe non poſſit Quantum cōtinuum infinitum in actu. Ad Tertium Reſpondetur, eodem modo quo diximus in Dubit. 4. quod Actus proportionatus infinitę potentię nō eſt infinitum in actu completo: ſed vel infinitum in actu incompleto, vel Infinitum Secundum quid, & in fieri Ad Quartum; cōceſſa maiori, neganda eſt minor, quod ſcilicet Deus poſſit conſeruare omnes partes continui ſe- *Soluūtur rationes in oppoſitæ.*

pa-

paratas ad probationem dicimus; Deum poſſe per ſe ipſum facere quicquid facit per cauſas Secūdas; dummodo non implicet contradictionem, poteſt enim Deus per albedinem facere parietem album, ſed hoc ſe ſolò facere non poteſt, quia implicat, Deum poſſe per ſe ipſum concurrere in Genere cauſæ formalis: ſic ad propoſitum, repugnat, continuū poſſe actu diuidi in omnes partes, ex quibus cōſtat, quia tunc partes, & eſſent diuiſibiles, & non eſſent diuiſibiles; eſſent diuiſibiles, quia eſſent partes continui, non eſſent diuiſibiles, quia iam earum partito eſſet exauſta, poteſt ergo Deus mediante vnione, partes illas conſeruare in continuo, quā ſine vnione non poteſt conſeruare diuiſas, quia hoc repugnat cōtinuo. Ad Quintum; Reſpondetur, quod philoſophus in 3. Phiſic. non diffinit Infinitum in actu completo, imo hoc reijcit vt omnino impoſſibile, ſed ſolū ibi diffinitur vel Infinitum in potentia, vel Infinitum in actu incompleto: & ſi Idem philoſophus poſuit Infinitatem eſſe paſſionem Quantitatis, iam dictū eſt, quod Infinitas Quātitati non repugnat directè; vnde ſi per impoſſibile poſſet dari Quantitas, quę non eſſet ens, vtique talis Quantitas poſſet habere infinitatem: aſt quia Infinitas directè repugnat entitati, & entitas reſeruatur in Quantitate, omnino etiam infinitas ſaltē ex conſequenti repugnat Quātitati, & per hæc etiam patere poteſt ad Sextum: nam infinitas quāuis non repugnet Enti, vt ens eſt, repugnat tamen enti vt creatū eſt, & ex cōſequēti repugnat etiā Quātitati, in qua reſeruatio ratio entis creati.

DVBITATIO OCTAVA.

V. Supernaturaliter ſit poſſibile Infinitum in actu in genere Quantitatis diſcreta, vt Infinitus Numerus &c.

1 INfinitum Sincathegorematicum, & in potentia in Genere Quātitatis diſcretæ negari non poteſt: nam in numeris concedūt omnes, poſſe dari proceſſum in Infinitum: & Quātitas continua in Infinitū diuidi poteſt; de hoc igitur infinito nullus relinquitur dubitādi locus, ſola difficultas, eaque per ardua eſt de Infinito Cathegorematico, an ſcilicet per Diuinam Potētiam poſſit dari Infinitum in actu in Genere Quantitatis Diſcretæ; vt Infinitus numerus Hominum; vel Angelorum? Aperitur ſenſus dubitationis.

2 Et

2 Et Prima ſententia reputat omnino impoſſibile tale Infinitum in actu in Genere Quantitis diſcretæ, refertur pro hac Opinione D. Thom. p. p. q. 7. art. 3. & 4. Scotus in 2. diſt. p. q. 3. & in 3. diſt. 13. q. 2. D. Bonau. in p. diſt. 43. art. p. q. 3. & probari ſolet primo, quia ſi poſſet dari actualis multitudo Infinita, tunc vnũ Infinitũ eſſet maius altero: ſed hoc Philoſophus non concedit, ergo &c. probatur ſequela, quia ſi producta Infinita Hominum multitudine, crearet Deus Infinitos Angelos ad eorum cuſtodiam, tunc maior eſſet multudo infinita Hominum, & Angelorum ſimul, quã Infinita multitudo Hominum tantum. 2. ſi poſſet Deus producere Infinitum in actu in Genere Quantitatis diſcretę, ſequeretur, quod pars eſſet æqualis toto, & totũ non eſſet maius ſua parte, ſed vtrũque quod ſequitur, eſt falsũ, ergo &c. probatur ſequela; creet Deus Infinitam multitudinẽ Hominum, & ex tali multitudine detrahat poſtea decẽ, vel centũ Homines (hęc enim detractio non eſt impoſſibilis, quia cum totam multitudinẽ produxerit Deus, vtique poteſt aliquas ex illis deſtruere) vel tũc cęteri Homines, qui remanerent, ſunt finiti; vel Infiniti? ſi primũ, ergo tot' numerus erat finitus; ſi Secundum; cum illud reſiduum ſit pars numeri præcedentis, ſequeretur, quod pars eſſet ęqualis toto, & totũ non eſſet maius ſua parte. 3. & difficilius. implicat cõtradictionem etiam per Diuinam potentiam, poſſe dari Infinitum in actu in genere Quantitatis continuę, vt Infinitũ corpus, Infinitã lineã &c. ergo pariter repugnabit, poſſe dari per Diuinam potentiam Infinitũ in actu in Genere Quãtitatis diſcretę, vt infinitũ numerũ Hominum, vel Angelorũ; antecedens iã cõceditur, & nos illud oſtẽdimus in Dubit. pręcedenti; probatur modo cõſequentia; ideo repugnat Infinitum in actu in Genere Quantitatis cõtinuę, quia tale continuum, quod ſupponitur Infinitum, debet eſſe ens, & Infinitas repugnat entitati: ſed etiã Quantũ diſcretum ſi poneretur Infinitũ, deberet eſſe ens, ergo ſi Infinitas repugnat ẽtitati; repugnat etiã Infinitum in actu in genere Quantitatis diſcretæ.

D. Tho. Scotus. D. Bon. negant.

Argumenta opinionis negantis.

3 Authores in pręcedẽti Dubitatione relati, qui affirmarunt, eſſe poſſibile per Diuinam potentiam Infinitũ in actu in Genere Quãtitatis cõtinuæ, cõſequenter nunc aſſerũt, poſſe ſimiliter per poten-

Refertur opinio affirmans.

rētiam Dei creari Infinitū in actu in Genere Quantitatis diſcretę, vt Infinitū numerū Hominum &c. idque ſuadere conātur his argumētis. p. poteſt De⁹ producere quicquid ſub obiecto Diuinę Potentiæ continetur, ſed ſub obiecto Potentię Diuinæ continetur Infinitum in actu, ergo &c. 2. Deus poteſt producere quicquid cognoſcit per Scientiā Simplicis Intelligentię: ſed p Scientiā Simplicis Intelligentiæ cognoſcit Infinitum in actu, quia cognoſcit Infinita poſſibilia; ergo &c. maior eſt certa, quia non eſt minus potens Infinita virtus exequutiua ad efficiendum, quam Diuina virtus Intellectiua ad Intelligendum; tertio, Deus in quolibet inſtanti tēporis poteſt producere vnū Hominē, vel Angelum: ſed in tempore ſunt infinita inſtantia, quibus copulātur infinitę partes proportionales temporis, ergo in fine temporis daretur infinita multitudo Hominū, vel Angelorū, ergo Diuinitus poteſt produci Infinitū in actu in genere quātitatis diſcretę.

Ægidi⁹ ad eius ſentētiā pręmittit pulcrā doctrinam.

4 Ægidi⁹ in primo Sent. diſt. 39. princip. 2. q. 3. litt. A. ad propoſitum eius, ꝙ quęritur, docet, quod non eodē modo eſt ens totum diſcretum, & totum cōtinuum: nam in toto diſcreto partes ſunt actu, propterquod totum diſcretū propriè non eſt vnum, cum ei⁹ partes ſint actu, licet ſucceſſiuè, ideſt vna poſt aliam: & quia totum diſcretum deficit ab vnitate, deficit etiā ab entitate, atque adeò nō ideo eius partes ſunt entia, quia ipsū eſt ēs: ſed potius è cōtra ideo ipſum quantum diſcretū eſt ens, quia eius partes ſūt entia, quod ſi eius partes nō eſſent, nec ipsū diſcretū eſſet, Quantū ergo diſcretū eſt ens per ſe nō principaliter; ſed ex conſequenti: Aſt in Quāto cōtinuo totū è cōtra, nam partes eius ſunt entia in potentia, vnde in tali toto ideo partes ſunt, quia totū eſt; Entitas ergo magis propriè, & magis per ſe dicitur de quāto cōtinuo, quā de Quāto diſcreto; nam de continuo dicitur per ſe primo, & principaliter, de diſcreto vero ex conſequēti;

Entitas magis propriè dicitur de quāto continuo, quā diſcreto.

& quia infinitas directè nō repugnat Quantitati, imo Quātitati congruit, vnde ponitur eius paſſio, & ſi repugnat Quātitati, hoc ſolū eſt ex conſequenti, quatenus ſcilicet in Quantitate reſeruatur ratio entis, cui repugnat Infinitas, ideò eadē Infinitas magis repugnat quantitati continuę, quā diſcretę, quia ratio entis, cui directè repugnat infinitas, magis propriè, & per ſe dicitur de continuo, quam de diſcreto.

Infinitas magis repugna cōtinuo q̄ diſcreto.

Hac

5 Hac doctrina pręmiſſa, videtur Ægidius ſentire, quod Infinitum in actu in Genere Quãtitatis diſcretę nõ implicat; quia infinitas nõ repugnat Quãtitati, ſed entitati; & ideò nõ poteſt dari Infinitũ in actu in genere Quãtitatis cõtinuę, quia quantitas cõtinua nullo modo poteſt habere eſſe reale Infinitũ, vt latè probatũ eſt in pręcedẽtibus; ſed Quãtitas diſcreta poteſt aliquo modo habere eſſe reale infinitũ, ergo poteſt etiam dari infinitũ quãtum diſcretum, probatur minor, quia Quãtitas diſcreta pręſertim numerus formaliter conſiſtit in Intellectu numerãte, vnde ſi p impoſſibile nullus eſſet Intellect' numerans, nullus eſſet numerus actualis, & ſolũ multitudo vnitatũ poſſet dici numerus materialiter, habet ergo numer' ſuum eſſe formale in Intellectu numerãte: ſed in Intellectu Diuino põt numerus habere eſſe Infinitũ, ergo nõ repugnat Infinitum in actu in Quantitate diſcreta.

IVDITIVM AVTHORIS EX AEGIDIO.

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

6 IN hac difficultate plura sũt ſupponẽda, vt omnis controuerſia reſoluatur. primo ſupponẽdũ eſt id, ꝙ docet Ægid. in 3. phiſ. lect. 14. ꝙ Infinitũ in actu põt dupliciter cõſiderari, primo in actu cõpleto, ſeu ſimpliciter, & in ſacto eſſe, quod quidẽ eſſet quodã totũ cui' partes eſſent ſimul, & extra ipsũ nihil eſſet, vt oſtẽdimus in dubit. p. Aliud Infinitũ in actu eſſet in actu incõpleto, ſeu in actu Secundũ quid, & in fieri, quod quamuis etiã habeat partes, nõ propterea tamen eſſet propriè quodã totũ; ſed magis haberet rationẽ partis, quam rationẽ totius, quia hui' modi Infinitũ Formaliter cõſiſteret in quadã ſucceſſione; vnde eius partes formales nõ eſſent ſimul, ſed vna eſſet poſt aliã: atque adeo ſicut in motu, qui eſt actus incompletus, ſemper eſt aliquid acceptum, & aliquid accipiendum; ita in Infinito Secundum actum incompletum ſemper eſt aliquod acceptum, & aliquod accipiendum, & Formalius in tali infinito ſumitur infinitas reſpectu accipiendi, quã reſpectu accepti; & quia ſicut acceptũ habet rationẽ totius, ita accipiendũ habet rationẽ partis, ideò Infinitum in actu incõpleto, ꝙ formalius cõſiſteret in eo, quod eſt accipiendũ, quã in eo, quod eſt acceptũ, diffinitur, quod ſit id, cuius partẽ accipientibus, ſemper reſtat aliquod extra ſumere. Infinitum duplex in actu cõpleto, & in actu incompleto.

Ex

7 Ex quo licet colligere, quod infinitum in potentia, & infinitum in actu completo vniuerſaliter diſtinguũtur; quia primum magis habet rationem partis, quam rationem totius: Secundum vero totum è contra magis habet rationem totius, quã rationem partis: Sed Infinitum in potentia, & Infinitũ in actu incompleto non diſtinguntur eſſentialiter, ſed ſolum quo ad modum eſſendi, quatenus ſcilicet primum eſt in potentia: ſecundum vero in actu, licet incompleto, ſeu per modum fieri.

8 Nunc dupplici concluſione poteſt reſolui omnis difficultas. Prima concluſio. Repugnat etiam per Diuinã potentiam, poſſe dari Infinitum in actu completo in Genere Quantitatis Diſcretæ, & hoc efficaciter probant argumenta primæ Sententiæ, quibus poteſt adiungi, hæc alia ratio, quæ non eſt minus efficax: quia repugnat partes Numeri formaliter eſſe ſimul, & in actu veluti completo, cum formalitas Numeri conſiſtat in Intellectu, numerante vnam Vnitatem poſt aliam: vnde in Metaphyſica tract. 2. agentes de Quantitate diſcreta dub. 4. num. 4. in ſolut. ad quintum argumentum diceba-

Repugnat Infinitũ in actu cõpleto.

mus cum Ariſt. nullum eſſe Numerũ ſine Intellectu numerante, quia omnis vnitas eſt tãtum numerus in potentia, ſicuti quælibet res eſt Intelligibilis in potentia, & ſicuti nulla res actu intelligitur ſine Intellectu, ita nec vlla vnitas conſtituit Numerũ ſine Intellectu numerante; propter quod ſi daretur aliqua multitudo, quæ nunquã poſſet per Intellectũ numerari, talis multitudo materialiter tãtum eſſet Numerus, ſed non formaliter; quia igitur formalitas numeri depẽdentiam habet ab Intellectu numerante, & intellectus numerans nunquam numerat vnitates ſimul, ſed vnam poſt aliam, ideo numerus formaliter nunquam poteſt eſſe in actu completo, atque adeò repugnat etiam per Diuinam potentiam, poſſe dari Infinitum numerum in actu completo.

9 Secunda Concluſio. per Diuinam potentiam poteſt dari Infinitũ in actu incompleto, ſeu Infinitum in actu per modum fieri, quia poteſt Deus creare infinita poſſibilia, quæ tamen multitudo in tali caſu, & eſſet infinita, & non eſſet infinita in actu: eſſet infinita in actu incompleto, ratione partium materialium Numeri, quæ ſupe-

ponuntur Infinitæ, ſed formaliter Numerus non eſſet Infinitus in actu completo, quia nullus Intellectus numeraret omnes illas vnitates actu completo, ſeu actu ſimul, ſed ſemper numeraret ſingulas vnitates vnam poſt aliam, & quia hoc eſt de eſſentia Infiniti in actu incompleto, hoc Infinitum in actu incompleto non repugnat; & adiungi poteſt, quia Infinitas directè non repugnat Quantitati, imo Quantitati congruit, vt ſæpius dictum eſt; Sed ſi Infinitudo repugnat Quantitati, hoc tãtum eſt ex conſequenti; ſcilicet ratione Entitatis, cum ergo Quantitas diſcreta per ſe primo non ſit ens, ſed in tãtum ſit ens, in quantum eius partes ſunt entia, ideo fit, quod Infinitudo non repugnat ſimpliciter Quantitati diſcretæ, ſed ſolum repugnat eſſe ſimul, cum partes Quãtitatis diſcretæ eſſentialiter petant, produci ſucceſſiuè.

Formaliter numerus nõ poteſt eſſe infinitus in actu completo.

10 Concluditur ergo, quod ſi daretur Infinita multitudo Hominum, vel Angelorum, tunc illa non eſſet Infinita in actu completo, & per modũ totius, quia eius partes ſemper eſſent ſucceſſiuæ vna poſt aliam: quamuis in Intellectu Diuino omnes eſſent ſimul ſecundum eſſe obiectiuum.

RESPOND. IN FORMA Argumentis

Vtriuſque Sententiæ.

11 AD primum Primæ Sententiæ Reſpõdetur, quod de Infinito in actu incompleto non eſt inconueniens, concedere, quod vnum ſit maius altero; vt diximus in dubit. 2. præcedenti. Ad ſecundum Reſpondetur, procedere ex falſa ſuppoſitione: nam ſupponitur ibi, quod Deus produxerit Infinitam multitudinem, & quod veluti finierit productionem multitudinis Infinitæ, quod falſum eſt; nã nunquam tot poteſt Deus producere, quin ſemper plures remaneant producendæ; atque adeò ex eadem multitudine non poſſunt detrahi, nec decem, nec mille, in forma igitur ad argumentum, Reſpondetur, quod ſi poſſet Deus producere actu infinitos Homines, vel Angelos, ita vt ſe poſſet expedire ab actuali productione: vtique ſequerentur illa incõmoda, quæ ponuntur in argumento, ſed eſt impoſſibile, quod Deus ſe expediat ab actuali productione; nec vnquam tot poteſt producere, quin ſemper in infinitum plures rema-

Deus nõ poteſt ſe expedire ab actuali productione rerum.

remaneant producendæ.

12 Petes. Cur non poteſt omnes ſimul producere per modum vnius? Reſpondetur, quia multitudo, & numerus non eſt ens per ſe primo, ſed ideo eſt ens, quia partes eius ſunt entia, partes autem petunt produci vna poſt aliam. Ad tertium iam ex Ægidio aſſignata eſt diſparitas de Infinito in Quantitate continua, & Infinito in quantitate diſcreta.

13 Ad argumenta Secundæ Sententiæ Reſpondetur, & ad primum dicendum eſt, quod Infinitum in actu cōpleto, quod eſt per modum vnius totius, non cadit ſub obiecto potentiæ Dei, quia tale ſubterfugit rationem Entis; Infinitum autem in actu incompleto, quod eſt per modum fieri, poteſt à Deo produci, quia tale eſt actus proportionatus Diuinę potentiæ; ſed talis multitudo infinita non eſſet per modum vnius totius, ſed potius per modum fieri. Ad ſecūdum Reſpondetur, non eſſe eandē rationem de factione & intellectione: nam cognoſcibilia poſſunt eſſe per modum vnius in intellectu cognoſcente: non tamen poſſunt eſſe per modum vnius in potentia faciente; quia hoc repugnat ex parte rerū; quæ petūt fieri vna poſt aliā: vel dicendum, quod Deus poteſt facere totum id, quod cognoſcit, eo modo, quo cognoſcit eſſe factibile; & quia non cognoſcit res, eſſe factibiles in actu completo, & ſimul, ſeu per modum vnius; quia hoc repugnat ipſismet poſſibilibus, quæ eſſentialiter ſunt plura; & cognoſcit eſſe poſſibilia, ſeu factibilia in actu incompleto; ſeu per modū fieri; ideo ſic ea poteſt producere. Ad tertium Reſpondetur, concedēdo, poſſe Deum in ſingulis inſtātibus producere vnū Hominem, vel Angelum; ſed negandū eſt in fine temporis eſſe productum infinitum in actu completo; ſed ſolum ſequitur, in fine temporis eſſe productum infinitum in actu incompleto: quia ſicut inſtantia in tempore ſe habent non per modum vnius, ſed per modum plurium, ita & Angeli producti ſic ſe haberēt per modum vnius ſed per modum plurium.

in Geneₑ re Quali tatis nō poteſt dari infinitum ſecundū eſſe.

(§) † (§)

DVBITATIO NONA.

V, de Potentia Dei abſoluta poſſit dari infinitum in actu in Genere qualitatis, vt infinitus calor, vel infinita Gratia?

1 DVplici concluſione integro quæſito ſatisfaciemus, Prima cõcluſio. in Genere Qualitatis repugnat etiam per Diuinam potentiã, poſſe produci infinitum in actu ſimpliciter, ſeu infinitũ in actu completo, quod eſt infinitum ſecundum eſſe. Eſt comunis tum apud Thomiſtas 3. p. q. 7. art. 11. tum apud Scotiſtas relatos à Maſtrio, & Bellut. in diſp. x. q. 5. eſtque expreſſa Ægidij in p. ſent. diſt. 4. princ. 2. q. 3. & diſt. 17. princip. 2. q. 4. & in 3. ſent. diſt. 13. princ. p. q. p. art. 2. ratio fundamentalis eſt illa, quam ſæpius annuimus in præcedentibus, ſed præcipuè in dub. 5. quia ſcilicet repugnat, aliquod ens eſſe creatum phiſicè, & eſſe ſimpliciter infinitũ, quia nullum creatum poteſt eſſe Actus purus: nam ſi eſſet actus purus, eſſet ipſum eſſe; & nõ participaret eſſe; quod ſi non participaret eſſe, non diceretur habere eſſe ab alio; propter quod potius eſſet ens increatum, quam creatura; repugnat igitur etiam Diuinitus in Genere Qualitatis poſſe dari ĩfinitũ in actu completo; ſeu infinitum ſimpliciter, & ſecũdum eſſe; quia tale non eſſet ens creatum; ſed potius ens Diuinum.

In Genere Qualitatis nõ poteſt dari infinitum ſecundũ eſſe.

2 Secunda concluſio: Sicut in Genere ſubſtantiæ poteſt dari ſimpliciter infinitũ ſecundum quid, ſeu infinitum in actu incompleto, vt vnio hypoſtatica, & in Genere Quãtitatis poteſt dari infinitum in actu ſecundum fieri, vt infinitus numerus; ita in Genere Qualitatis poteſt etiam dari infinitum ſecundum quid, ſeu infinitũ ſecundum modum, vt Gratia &c. eſt etiam certa apud omnes, eamque docet Ægid. loco ſup. ci. probatur, q. a licet quælibet creatura ſimpliciter ſit finita, tamẽ poteſt habere quandam rationem infiniti, quatenus habet quemdam ordinem ad infinitum bonum; & ſic Gratia habet quemdam modum infinitũ, quia nos coniungit infinito bono.

Infinitũ ſecundũ modum in Genere Qualitatis nõ repugnat.

3 Et ſic omnia argumenta; quæ probant, repugnare infinitum in actu in Genere

Qua-

Qualitatis, tãtum conuincũt de infinito ſimpliciter ſecũdum eſſe, ſeu de infinito in actu completo: illa vero argumenta, quæ probant, poſſe dari infinitũ in actu in Genere Qualitatis, ſolum conuincunt de infinito in actu ſecundum modum; ſeu in actu incompleto, & ſecundum quid.

DVBITATIO DECIMA.

V. Saltem in mente Diuina admittendum ſit infinitum in actu? ſeu an Diuinus Intellectus cognoſcat infinitum in actu?

1 PRima in hac difficultate ſentẽtia docet, obiecta á Deo cognita tum poſſibilia, tum futura per totam Æternitatẽ eſſe actu, & cathegorematicè infinita: nam licet à parte rei non ſint poſſibilia, nec futura niſi cum ſucceſſione ideſt finita in infinitum, tamen in Intellectu Diuino, qa habẽt ſimultatem in eſſe cognito, ideo in tali eſſe obiectiuo conſtituunt in mẽte Diuina infinitum cathegorematicũ. Ita multi ex Antiquioribus præſertim D. Thom. p. p. q. 14. art. 12. &13. D. Bonau. d. p. diſt. 39. art. p. q. 3. Argent. etiam in p. diſt. 38. q. p. art. 3. & ex recentioribus ferè omnes, vt Ruuius lib. 3. tract. 2. de infinito q. 2. num. 78. Conimbr. lib. 3. cap. 8. q. 4. art. p. Beccan. in p. p. D. Thom. cap. 10. q. 13. primo autem hęc ſentẽtia probatur ex īfinita perfectione Diuinæ cognitionis, cui omnia futura in quacunque differentia temporis ſunt pręſentia in eſſe obiectiuo, ſeu in eſſe cognito, vnde Diuinæ cognitioni pręſentes ſunt omnes cogitationes Hominum, & Angelorum per totam æternitatem futuræ: ſed pręſentia vt pręſentia ſunt actu ſecundum illud eſſe, ſecundũ quod ſunt pręſentia, ergo in mente Diuina admittendũ eſt infinitum in actu, atque adeò ſi in modo eſsẽdi extra cauſas in aliqua determinata temporis differentia non dicuntur eſſe actu, quia ſecũdum hoc eſſe nõ ſunt omnia ſimul, nec actu; tamen ſecũdum eſſe obiectiuum, ſeu ſecundum eſſe cognitum non ſunt in potentia; ſed potius omnia ſunt in actu, & omnia ſimul pręſentia. ſecundo; de ratione infiniti Syncathegorematici eſt aliqua potẽtialitas, & ſucceſſio quo ad exiſtentiam, poteſtque ei fieri additio: ſed creaturę in Di-

Authores qui affirmãt

D. Tho. D. Bon. Argent. Ruuius Conimbr. Beccanus.

Diuina mente quo ad exiſtétiam obiectiuam nullam habent potentialitatem nec ſucceſſioné, nec earum multitudini poteſt fieri additio, alioquin Deus omnia poſſibilia non attingeret, ergo cum talia non ſint numero finita, erunt infinita Cathegorematicè. Tertio; omnia Poſſibilia, & omnia futura per totam æternitatem ita per Diuinam cognitionem accipiuntur, vt non remaneant alia cognoſcenda, ergo in eſſe cognito illa non ſunt infinita ſinchategorematicè; patet conſequētia, quia ſicut in eſſendo ideo res dicuntur ſincathegorematicè infinitę, quia non tot exiſtunt, quin poſſint exiſtere plures; ita in cognoſci, tunc res dicuntur ſyncathegorematicè infinitæ, quando nō tot cognoſcuntur, quin plures cognoſci queant; Demū de cogitationibus Hominū, & Angelorum nullo modo dici poteſt, quod ſint infinitæ in potentia, cum illa attingantur a Deo ſcientia viſionis, quæ terminatur ad rem, vt exiſtentem a parte rei, ergo cogitationes futuræ per totam Æternitatem quamuis extra Deum secūdum eſſe reale ſint futuræ cū aliqua ſucceſſione, tamen ſecundum eſſe obiectiuum in Mente Diuina conſtituūt infinitum in actu.

2 Secunda vero ſententia negat abſolutè, obiecta cognita à Diuino Intellectu eſſe actu, & cathegorematicè infinita, ſed ea dicunt, eſſe finita in infinitum. Referuntur pro hac ſententia plures ſcotiſtæ apud Maſtrium, & Bellutum diſp. 10. q.6.§. dicendum eſt cōſequentur &c. probatur p. q̄a dicitur in p. phiſ. tex. 35. quod infinitū ſecundū quod infinitum eſt ignotum, ſed quod ſecundū ſe eſt ignotū, a nullo poteſt ſciri; ergo &c. ſecundo; loquendū eſt de rebus in Mente Dei, ſicut ſunt poſſibiles, vel futuræ a parte rei, quia Deus cognoſcit omnes res ſicuti ſunt: ſed a parte rei nulla reperitur infinitas cathegorematica, ergo nec in menteDiuina; atque adeò ſicuti à parte rei omnes res ſunt finitæ in infinitum; ita eodem modo cognoſcuntur à Deo nimirum finitæ in infinitum. tertio, vel Deus cognoſcit omnes illas diuiſiones continui, in quas continuum diuidi poteſt, vel non? ſi cognoſcit, ergo continuum ſaltem in mente Diuina eſſet actu diuiſum, atq; adeò eſſet cōpoſitum ex indiuiſibilibus, quia Deus intelligeret partes continui nō vlte-

Opinio Scotiſt. cū ſuis fūdamétis.

vlterius diuiſibiles; ſed omnes apprēderet diuiſas: quod nemo concedet, ſi Deus non cognoſcit actu omnes diuiſiones continui, ergo neque cognoſcit infinita poſſibilia actu, quia eadem eſt ratio.

3 Ægidius in p.ſent. diſt.39. princip. p, q. 3, litt. E. ad propoſitum ſic diſcurrit. *Deterius dicunt, qui volunt, quod ſi poneretur tale infinitū eſſe, quod Deus ipſius non haberet notitiam: nam tota cauſa, quare infinitum ſubterfugit modū cognitionis, eſt, quia ſubterfugit rationem entis non ſolum actualis, ſed etiam potentialis, & quia ſi poneretur eſſe, tolleretur ab eo id, per quod dicitur incognitum, ideo infinitum ſecūdum Quantitatem diſcretam, quia eſſet ens ratione infinitarum vnitatum, illud de neceſſitate eſſet Deo notum.* Et Paulo infr. in litt. B. ſic proſequitur: *Ergo poteſt Deus infinitas lineas intelligere, quæ ſi omnes componerentur, magnitudinem infinitam efficerēt: poteſt etiam infinita corpora, vt infinitos homines intelligere, quæ omnia ſi componerentur, infinitum corpus efficerent, quia ſic intelligere infinitum quantum, non ſubterfugit modum cognitionis:* patet ergo quod Ægidius ſentit, Deum cognoſcere iufinitū in actu.

IVDITIVM AVTHORIS ex Egidio pro deſenſione *Vtriuſque Opinionis.*

4 NOn difficilè vtrāque ſententiam poterimus ſubſtinere, ſi doctrinam Ægidij in præcedentibus ad notatā præ oculis habeamus; præmittendum igitur, quod ſicut infinitum in actu poſſet eſſe dupliciter in rerum natura, vel ſcilicet in actu cōpleto, & per modum totius, vel in actu incōpleto, & per modū partis; ſic infinitum ſecundum eſſe obiectiuum dupliciter cōſiderari poteſt, primo in actu ſimpliciter, & & in actu completo; ſeu actualitate intrinſeca ex parte rerum cognitarū: & admodum vnius totius; ſecundo in actu in cōpleto, & admodum partis, ſeu actualitate extrinſeca ſe tenente ex parte Intellectus cognoſcentis.

5 Qua præmiſſa doctrina, dicendum eſt, Obiecta cognita à Diuino Intellectu nō ſunt infinita in actu completo, ſeu in actu ſimpliciter, vel actualitate intrinſeca, ſe tenente ex parte rerum cognitarum, quia quod non eſt, nō ſcitur, ex Ariſt. ſed infinitū

in mente diuina nullũ datur infinitũ in actu cõpleto.

in actu completo nullũ datur, nec in genere ſubſtãtiæ, nec in genere Quantitatis, nec minus in genere Qualitatis, vt iam ſufficiẽter oſtẽſum eſt in pręcedentibus; ergo in mente Diuina nullum datur infinitum in actu ſimpliciter, ſeu in actu completo, vel actualitate intrinſeca. hoc conuincunt argumenta ſecundæ ſententiæ. Nec multitudo diuiſionum continui in mente diuina eſt infinita in actu ſimpliciter, ſeu in actu completo, vel actualitate intrinſeca, quia Deus non cognoſcit omnes diuiſiones continui per modum vnius totius, ſeu omnes diuiſiones continui non ſunt omnes ſimul in mente Diuina, ſimultate intrinſeca, ſicut nec omnes ſunt ſimul in re extra.

6 Cum hoc tamẽ etiam dicimus, quod Obiecta cognita a Diuino intellectu ſunt infinita in actu incompleto, ſeu in actu actualitate extrinſeca ſe tenente ex parte Intellectus Diuini, ſeu in actu ꝑ modũ fieri; probatur, quia ſi tale infinitum datur in rebus tanquam actus proportionatus Diuinæ potentiæ, multo magis cõſtituendum erit in Diuino Intellectu; & hoc probant argumenta primæ ſententiæ: nam Deus cognoſcit omnia poſſibilia actu, non quidem actu actualitate completa, ſeu intrinſeca rebus poſſibilibus, cum potius poſſibilia extra Deũ ſint ſucceſſiua, & ſimpliciter in potentia, ſed cognoſcit omnia poſſibilia actu actualitate extrinſeca rebus, ideſt actualitate obiectiua, ſe tenente ex parte Intellectus Diuini: Et propterea dicimus, obiecta cognita a Diuino Intellectu eſſe infinita in actu non ſimpliciter, & in actu completo; ſed ſecundũ quid, & in actu incompleto, quia res, quæ a parte rei habent eſſe ſucceſſiuè; in Diuino Intellectu habent eſſe ſimul.

Deus cognoſcit infinitũ in actu in cõpleto.

RESPOND. IN FORMA Argumentis

Vtriuſque Sententiæ.

7 AD Authores primę ſententię cõcedimus, Diuinum Intellectum cognoſcere infinitum in actu incompleto, ſeu infinitum in actu actualitate extrinſeca, ſe tenente ex parte Intellectus Diuini propter rationes ab eiſdem authoribus aſſignatas; idque tantum conuincit primum argumentum: nam omnia poſſibilia, & futura ſunt quidem omnia ſimul actu

actu præſentia in mente Diuina, ſed præſentialitate, & actualitate, ac ſimultate extrinſeca, ſe tenente ex parte Diuini Intellectus, non ſimultate,& actualitate intrinſeca, ſe tenente ex parte rerum, cum potius ipſæ res in ſe ſint ſucceſſiuæ, & in potētia. Ad ſecundum Reſpondetur,eodem modo. Ad tertium dicendum, quod omnia poſſibilia, & futura in Diuino Intellectu non ſunt īfinita ſyncathegorematice, & in potentia, ſed potius in actu: aſt non ſunt infinita in actu completo, & per modū vnius totius, cum hoc nullo modo poſſit eſſe, ſed in actu incompleto, & per modum plurium modo pluries explicato, idq; etiam probat vltimum Argumentum.

8 Ad Authores Secundæ Sententiæ dicendum eſt, tā-tum probare, quod Diuinus Intellectus nō cognoſcit infinitum in actu completo, & per modum Totius, quia huiuſmodi nullo modo eſſe poteſt, idque conuincit primū, & ſecundum Argumentum. Ad tertium cōcedimus, Deū cognoſcere omnes illas Diuiſiones continui,in quas cōtinuum diuidi poteſt; ſed iā ſupra num.4.diximus, multitudinem diuiſionum continui in mente Diuina non eſſe infinitam in actu completo, quia Deus nō cognoſcit omnes diuiſiones continui per modū vnius totius; ſed eſſe infinitam in actu incompleto, quia omnes diuiſiones in re extra ſucceſſiuæ ſunt,& per modum plurium.

QVÆSTIO II.

De Loco, Vacuo, & Tempore, de quibus Ariſtoteles in quarto Phiſicorum.

DE LOCO.

DVBITATIONES IV.

Dubitatio Prima. Quid ſit eſſentialiter locus, & an rectè ab Ariſtol.diffiniatur?

Dubitatio Secunda. an omnibus rebus competat eſſe in loco?

Dubitatio Tertia. Vtrum vnum, & idem numero Corpus poſſit ſaltem ſupernaturaliter eſſe ſimul,& ſemel in pluribus adequatis locis circumſcriptiuè?

Dubitatio quarta. Vtrum plura corpora ſimul, & ſemel poſſint eſſe Diuinitus in vno, & eodem loco?

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit eſſentialiter Locus, & an rectè ab Ariſtotele diffiniatur?

1 PHiloſophus in 4. Phiſicor. textu 41. ſic locum diffinit. *Eſt vltima ſuperficies corporis cōtinētis immobilis.* In qua diffinitione duæ ſunt particulæ, quæ important maximā difficultatem, prima eſt ly *ſuperficies vltima corporis cōtinentis*; altera eſt, ly *immobilis.* contra priorem particulam obſtant argumenta ſequentia. In primis videtur, quod locus nō ſit ſuperficies vltima corporis continentis; ſed potius interuallū, quod occupatur, & repletur à corpore, quia locus ex philoſopho debet eſſe ęqualis locato: ſed locatū eſt corpus, ergo, & locus. Secūdo videtur, quod illud ſpaciū, quod repletur à corpore, non ſit quid reale; ſed potius immaginarium, & ita loquuntur non nulli Recentiores præſertim Amicus, tract. 20. q. 3. dub. 2. Tolet. 4. Phiſic. p. 3. concl. 4. Conimbr. cap. 5. q. p. art. 2. Hurtad. diſp. 14. idque ſic probant; quia locus eſt Terminus, ſeu finis motus localis, ergo ille dicetur locus; qui per motū localem acquiritur: ſed per motum localem acquiritur ſpacium immaginarium, & non vltima ſuperficies. ergo &c. Maior patet, probatur minor, quia ſi motus fieret in vacuo, non acquireretur ſuperficies continens, cum nullum eſſet ibi corpus continens, neque ſpacium reale. Tertio locus eſt ille, qui repletur aliquo corpore: ſed ſolum ſpacium immaginarium, & non ſuperficies repletur a corpore, ergo &c. 4. locus eſt immobilis ex Ariſtotele; ſed ſuperficies eſt mobilis, & ſolum ſpacium immaginarium eſt immobile, ergo ſolum ſpacium, & non ſuperficies erit locus.

2 Deinde contra illam particulam (immobilis) obſtāt etiā hęc argumēta, & ſit quītū in ordine, quia moto corpore, mouētur ōnia, quæ sūt in corpore etiā accidentia; ſed locus eſt accidēs intrinſecum inhærens corpori locato, ergo moto tali corpore, mouebitur etiam locus ſaltē per accidēs: deinde Turris cuius præcipuus locus eſt ſuperficies Aeris circumſtātis, ſi fuerit Ventus, per Vētum illa mouebitur, ergo ſi locus eſt ſuperficies, locus erit mobilis.

3 Sententia tamen Ariſto-

telica ; nobiſque probanda, docet, locum propriè non eſſe illud ſpacium, nec dimẽtionatum, neç minus immaginarium, ſed ſolam ſuperficiem realem corporis continentis, immobilis; ita omnes Peripatetici præſertim D.Th. 4.phiſ.lect.6.Scot. Quodlib. 11. art.2. apud Maſt.& Bell. diſp.11. q.p.art.p.&2. Ægid. in 4.phiſic. lect.7. & 8. in hac autẽ noſtra concluſione tres sũt partes probãdę. Prima eſt, quod locus non ſit ſpacium nec dimentionatũ, nec immaginariũ, quę pars ſic probatur, quia locus eſt quid poſitiuum reale: ſed ſpacium quomodocumque explicetur, non eſt quid poſitiuum reale, ergo ſpatium non eſt locus: maior eſt Ariſtot. probatur minor, ſpaciũ nec eſt ſubſtantia, nec Accidẽs; ergo non eſt poſitiuum reale.

Vera sẽtentia probatur.

Secũda pars eiuſdem noſtræ concluſionis eſt, quod locus eſt ſuperficies corporis continentis, quæ ſic probatur, quia omnes conditiones loci, quod ſcilicet contineat locatum, quod ſit ei æqualis, quod conſeruet locatum, & aliæ, quæ de loco dicũtur, non poſſunt cõuenire ſpacio præſertim immaginario, nec ſuperficiei immaginariæ, ſed tantum reali, ergo &c. probatur tandem 3. pars noſtræ ſententiæ, quod nempe locus ſit immobilis; ſi locus eſſet mobilis, nulla res mutaret locũm, etiam ſi moueretur localiter, ſed cõſequẽs eſt abſurdum; ergo &c. probatur ſequela: nam quotieſcumque moueretur res, moueretur etiam cum ea locus, & ſic ſemper eſſet res in eodem loco, neç vnquam mutaret locum: abſurditas autem patet, quia ea, quæ mouentur motu Reali, & recto, debent acquirere nouum locum, & alium deperdere, quod fieri non poſſet, ſi locus eſſet mobilis. Et confirmatur, quia ſi locus eſſet mobilis, ſequeretur, idem moueri, & non moueri; moueretur ex ſuppoſitione, & non moueretur, quia non mutaret locum.

Singulæ partes concluſionis probãtur.

4 Vt autem completè reſpondeamus argumentis in contrarium. notãdũ prim. ex Ægid. in 4. phiſic. lect.7. tex. quare Terminus &c. quod in diffinitione loci duo ponuntur ab Ariſt. primũ eſt, quod ſit ſuperficies, ſecundum eſt, quod dicat continentiam immobilem: primũ ponitur pro materiali, ſecũdũ verò pro formali; & ratio eſt, quia locus cũ ſit accidẽs cõcretũ, & accidẽs potius diffiniatur per ſubiectum, tanquam per

quid materiale, quã per Genus, hinc eſt, quod in diffinitione loci ponitur ly ſuperficies tãquã pro materiali, nõ quod ſuperficies ſe habeat tanquam quid extrinſecum, & accidentale in ordine ad locum, (vt aliqui falſo putant,): ſed ſe habet vt quid intrinſicum in ſuo ordine, ſicut album v. g. dicit corpus ſub albedine, primũ pro materiali, & pro ſubiecto, ſecundũ pro formali, & vtrũq; intrinſecum in ſuo ordine; quando ergo dicitur, quod locus ſit immobilis, non cõſideratur locus pro materiali, & pro ſubiecto; ſcilicet pro ſuperficie; nam certum eſt, hanc eſſe mobilẽ; & locũ ſecũdum ſuperficiẽ etiã eſſe mobilẽ; ſed pro formali ſcilicet ꝑ ordine, & diſtãtia, quã habet talis ſuperficies reſpectu vniuerſi ſcilicet reſpectu Cæli, Cẽtri, & Polorum; quæ diſtantia cum ſemper ſit eadem, ſemper etiam facit locum immobilem.

5 Not. ſecundo, quod ſuperficies dppliciter poteſt cõſiderari, primo ſecundum ſe; & abſolutè, ſecundo cum reſpectu ad partes fixas Vniuerſi: primo modo eſt ratio materialis loci, cuius ratio formalis eſt reſpectus ad vniuerſum; completa igitur ratio loci conſiſtit in ſuperficie cum reſpectu ſcilicet cũ tali diſtantia, ita vt materiale loci ſit ſuperficies corporis continentis, formale vero in loco ſit ordo ad Vniuerſum: & quia huiuſmodi ordo eſt omnino immobilis, ſuperficies vero quamuis ſit immobilis per ſe, eſt tamen mobilis per accidẽs: ideo locus acceptus formaliter, & vt locus eſt: eſt imobilis per ſe, & per accidens: materialiter vero poteſt moueri per accidens; ſed non per ſe.

Locus formaliter eſt omnino immobilis.

6 Nunc ad argumenta in cõtrarium Reſpondetur. Ad primum dicimus, quod locus debet eſſe æqualis locato non æqualitate dimenſionis, ſed continentiæ; & ideò quamuis locatum ſit corpus, non eſt tamen neceſſe, quod etiam locus ſit corpus. Ad ſecundum, & tertium, quibus oſtendebatur, locum eſſe ſpatiũ immaginarium; iam dictum eſt in probatione noſtræ aſſertionis: in forma autem neganda eſt minor, quod ſcilicet per motum localem acquiratur ſpatiũ immaginariũ, & ad probationem dicendũ, quod ſi motus fieret in vacuo, tunc per motũ acquirẽtetur vbi reale inhærens mobili. Ad tertium Reſpondetur; minorem eſſe falſam, & denegandam. Ad quartum

iam

iam dictum eſt, quod ſuperficies quãuis ſit mobilis per accidẽs; per ſe tamen eſt immobilis. Ad Quintum conceſſa maiori, & minori, diſtinguendum eſt conſequẽs, ergo mouetur locus, vt habet rationem ſuperficiei inhærentis ipſi locanti; concedo cõſequens; mouetur locus, vt habet rationem cõtinentis, negatur; locus enim vt locus immobilis eſt; quod idem eſt, ac ſi dicamus, locũ eſſe mobilem ſecundum rationem materialem, non vero ſecundum rationem formalem, & ad exemplum Turris Reſpondetur, quod licet ſuccedant diuerſę ſuperficies aeris, non tamen Turris mutat locum, quia non ſuccedunt diuerſę ſuperficies cum diuerſo reſpectu, ſed ſẽper cum eodem; & ſic illa loca mouentur quidem materialiter ſaltẽ per accidẽs; non vero formaliter.

Locus eſt mobilis materialiter, non formaliter.

DVBITATIO SECVNDA.

An omnibus rebus competat eſſe in loco?

1 RES, de quibus poteſt eſſe dubium, ã ſint in loco? vel ſunt ſpirituales, vt Deus, Angeli, & Anima Rationalis ſeparata, vel ſunt corporales, vt corpora cælestia, & ſublunaria; de Deo certum eſſe debet, eſſe vbique propter eius immenſitatem, nec diffiniri, vel circumſcribi a loco; De Angelis, & Anima Rationali certum quoque eſſe debet, determinari à loco, eſſeque in loco diffinitiuè: cum vbique eſſe non poſſint, per quid autem ſibi ſit loco, & quomodo in loco ſe habeant, nõ pertinet ad phiſicos, ſed potius ad Theologos.

Reſtat difficultas de corporibus, quæ ſunt in duplici differẽtia: nã vel ſunt ſublunaria, vel cæleſtia? ſublunaria, vt elementa ſic ſunt à natura diſpoſita, vt Grauia ſint ſub leuibus, & ab eis circumſcribantur: vnde Terra partim cooperta eſt Aquis, partim vero ab Aere, vt poſſint conſeruari Viuentia, & Animalia terreſtria multiplicari. Aqua circũmſcribitur ab Aere, Aer ab Igne, Ignis (ſi elementaris datur, quod poſtea videbitur ſuo loco in 2. Tract. de Cælo, & Mundo, vbi agemus de Elementis,) proximè continetur ſub concauo lunæ, à quo tanquam à proprio locó circumſcribitur, & primũ Cælum à ſecundo, ſecundum à tertio, & ſic vſque ad vltimum, quod apud Ariſtotele

eſt Firmamentum, ſeu Cælũ ſtellatum, ideoque ab eo appellatur primum Mobile.

3. An autem ſupra hoc Cælum Empireum; & quomodo Empireum, quod eſt ſedes Dei, & Beatorum, ſit in loco? in ſequenti Tractatu reſoluetur.

DVBITATIO TERTIA.

Vtrum vnum, & idem numero Corpus poſſit ſaltẽ ſupernaturaliter eſſe ſimul, & ſemel in pluribus adequatis locis circumſcriptiuis?

1 NOn eſt quæſtio de locis inadequatis intra propriã ſpheram exiſtentibus; nam defacto videmus, vnũ Corpus plura partialia loca occupare ſecundum diuerſas partes, ex quibus integratur locus adequatus, correſpondens toti corpori. Nec quæſtio eſt de pluribus locis adequatis ſecundum vires naturæ; nam certũ eſt apud õnes, id eſſe impoſſibile: ratio enim formalis eſſendi in loco circumſcriptiuè eſt ſola Quantitas; ſed Quantitas cuiuslibet corporis eſt finita, & limitata ad vnum effectum adequatum, ſicut ceteræ Formæ, ergo ſolum ſe extendit ad occupandum vnum locũ, intra cuius terminos clauditur, & ex conſequenti nõ poteſt plura occupare; reſtat igitur difficultas: an per potẽtiam Dei abſolutam poſſit ſimul, & ſemel vnum, & idem numero Corpus eſſe in pluribus locis circumſcriptiuis?

Statuitur punctus difficultatis.

D. THOMAS, & cum eo omnes eius diſcipuli in 3. p. q. 75. art. p. ad 3. & q. 81. art. p. ad 2. & in 4. ſent. diſt. 10. q. p. art. 1. ſentiunt, eſſe omnino impoſſibile etiam per Diuinam potentiam, vnum, & idem numero Corpus ſimul, & ſemel poſſe eſſe in pluribus locis adequatis, & circũſcriptiuis. Ita etiam ſentiũt ex Recẽtioribus Vaſquez 3. p. diſp. 189. & alij apud eũdem. Cuius ſententię fundamenta potiſſima ſunt ſequẽtia. Primo. quia eſſe in loco circũmſcriptiuè eſt circũdari à ſuperficie vltima corporis continentis, & intra terminos eius claudi, àbeaque comprehendi, ita vt totum corpus intra illam ſit, & nihil extra; ergo repugnat, vnum corpus eſſe in vno loco, & extra illum contineri ab alio, quod præſertim verum eſt, quia Quantitas eſt forma limitata, ergo ſolum poteſt habere effectum formalem occupandi vnum locum;

D. Thomas negat.

Fundamẽta huius ſententiæ.

ſto cum;

cum, ſicut albedo ſolum poteſt cõſtituere vnum album. ſecundo ſi vnum, & idem Corpus poſſet eſſe in pluribus locis adequatis circumſcriptiuè, plura ſequerentur abſurda, imo & contradictoria: quia ponamus corpus in vno loco calefieri, & in alio infrigidari; vel in vno loco occidi, & in alio non tangi, tunc idẽ Corpus eſſet viuũ, & mortuum; ſic etiam ſi idẽ Corpus in vno loco peccaret, & in alio oraret; tũc de illo eſſet verum dicere, quod ſimul, & ſemel eſſet iuſtum, & non iuſtum, amicum Dei, & inimicum; quæ contradictoria ſunt; & nec per Diuinam Potentiam verificari poſſunt.

Tertio. ſi vnũ Corpus poſſet eſſe in duobus, vel tribus locis, eadem ratione poſſet eſſe in omnibus locis, ſed hoc eſt impoſſibile; quia eſſe vbiq; eſt propriũ ſolius Dei, ergo &c. 4. ſicut res per naturam ſe habet ad ſpeciem, ita corpus per Quantitatem ſe habet ad locum: ſed implicat, quod vna, & eadem res per vnam numero naturam ſit in duabus ſpeciebus, ergo pariter repugnat, quod vnum, & idem Corpus per vnam Quantitatẽ ſit in pluribus locis. Quinto quod eſt hic, non eſt alibi, & quod eſt alibi, non eſt hic: ſed Corpus dum eſt in vno loco, eſt hic, & non alibi, ergo dum eſt in vno loco, non poteſt eſſe in alio loco.

3 SCOTVS cum ſuis ſequacibus in 4. diſt. 10. q. 2. Argent. in 4. diſt. 10. q. p. art. p. Et maior pars Recentiorum, vt Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 8. ſect. 4, Conimbr. & Ruuius Tract. de natura loci q. 7. docent, vnum, & idẽ numero corpus de potentia Dei abſoluta poſſe eſſe ſimul, & ſemel in pluribus locis adeqnatis circumſcriptiuis, quam ſententiam ſic ſtabiliunt primo, quia idem Corpus Chriſti eſt circumſcriptiuè in Cęlo, & Sacramentaliter in altari, ergo multo magis idem numero Corpus Chriſti per Dei potentiam poteſt eſſe in duobus locis circũſcriptiuis; antecedẽs eſt de fide, conſequentia probatur, quia pręſentia Sacramẽtalis eſt longè altior, quam circumſcriptiua: ſed primũ iã fit ſupernaturaliter, ergo, & ſecũdũ: maior patet, quia difficilius eſt, rẽ ponere extra ſuum modum naturalẽ, quam cum modo naturali; ſed pręſẽtia Sacramẽtalis eſt ſupernaturalis, circumſcriptiua vero naturalis, ergo &c. ſecũdo, nulla eſt repũgnãtia, quin duo corpora ſimul, & ſemel ſint in eodem loco pe-

Scotus affirmat

Fundamenta Scotiſt.

metratiuè; ergo nec vlla eſt repugnantia, quod vnum Corpus ſit ſimul, & ſemel in duobus locis adequatis circũſcriptiuis. Tertio. D. Ambroſ. dum ſacra faceret Mediolani; affirmauit, ſe interfuiſſe Turoni Eſequijs D. Martini, ergo non repugnat de potentia abſoluta idẽ Corpus eſſe poſſe in pluribus locis adequatis circumſcriptiuis.

ÆGIDIVS in quolib. p.q.p. & in Theoremat. de Corp. Domini prop. 3. & 4. mouẽs hanc eandem quæſtionem, duo docet, primum eſt, quod idẽ numero corpus per vnã; & eandem numero Quantitatem nõ poteſt nec per diuinam potẽtiam eſſe in pluribus locis adequatis circum ſcriptiuis, quia ſicuti ſe habet res ad ſpeciem per ſuam naturam, ita ſe habet corpus ad locum per ſuam Quantitatem: ſed eſt impoſſibile, etiam ſupernaturaliter, quod vna, & eadem res per vnam tantum naturam ſit in duplici ſpecie adequata, ergo etiã eſt impoſſibile, vt per Diuinam potẽtiam vnum, & idẽ corpus per vnam numero Quantitatem ſit in pluribus locis circumſcriptiuis: maior inde patet, quia ſicut ratio eſſendi in ſpecie eſt ſola Natura, ita ratio eſſendi in loco circumſcriptiuè eſt ſola Quantitas: minor autem etiam conſtat. Nec valet inſtantia de motu, qui in ſe vnus exiſtens per eandem naturã eſt in diſtinctis ſpeciebus, imo, & in diſtinctis generibus; & vt procedit ab Agente, eſt Actio de prædicamẽto Actionis, vt vero eſt in Paſſo, eſt Paſſio de Prædicamento Paſſionis:

Fundamẽtum. ſentẽtiæ Egidij.

Inſtãtia cõtra fũdamẽta. lem rationem Egidij.

5 Nam tunc eadem res, quę eſt entitas Actionis, & paſſionis; non eſt in diſtinctis ſpeciebus, vel indiſtinctis generibus per vnam, & eandẽ naturã; quia illi diuerſi modi eſſendi eiuſdẽ rei quamuis propriè non ſint diuerſæ naturæ: ſinguli tamen diuerſi modi eſſendi habẽt rationem diuerſarum naturarũ, & faciunt totum illud, quod faceret diuerſitas naturarũ.

6 Et vt omne tollatur effugium, poteſt eadem ratio ſupra facta, magis reſtringi, quia vna, & eadẽ res eſt impoſſibile, quod vel per vnã naturam, vel per vnum tantum modum eſſendi ſit in pluribus ſpeciebus; ergo etiã eſt impoſſibile, quod per potentiam Dei vnum Corpus per vnam tantum Quantitatem ſit in pluribus locis circumſcriptiuis; antecedẽs nõ poteſt amplius violentiam pati, probatur conſequentia,

roboratur ratio fundamentalis Egidij.

quia ſicut Ratio eſſendi in ſpecie eſt ſola natura; vel modus eſſendi rei; ita ratio eſſendi in loco circumſcriptiuè eſt ſola Quantitas: non quod Quantitas ſit formalis ratio eſſendi in loco circumſcriptiuè; cum talis ratio ſit vbi; ſed Quãtitas eſt ratio cauſalis eſsẽdi in loco circũſcriptiuè, quia vbi cauſatur a loco, qui eſt ſpecies Quantitatis.

7 Alterum; quod locis ſupracitatis docet Ægidius, eſt, quod vnum, & idem numero corpus per plures Quãtitates poteſt eſſe ſimul, & ſemel in pluribus locis etiam adequatis; vt patet de Corpore Chriſti; quod ſimul eſt in cęlo, & in Altari; idque oſtẽditur ex ea ratione, quia ſicut vna res per plures naturas poteſt eſſe in pluribus ſpeciebus; ita poterit vnum Corpus per plures quantitates eſſe in pluribus locis; nã ſicuti Natura eſt ratio eſſendi in ſpecie; ita Quantitas eſt ratio eſſendi in loco.

(§) .✝. (§)

IVDITIVM AVTHORIS ex Ægidio pro defenſione.

Vtriuſque Opinionis.

8 SI pręſens difficultas tantum peteret, an vnum corpus poſſit eſſe ſimul in pluribus locis, ita vt in vno ſit vno modo ſcilicet circumſcriptiuè; & in alio alio modo ſcilicet ſacramentaliter, iam data Ægidij doctrina eſſet ſufficiens ſine alia declaratione, ad omnem controuerſiam ſedandam inter Sanctũ Thomam, & Scotum: At quia ſtatus, & Punctum litigij eſt: an vnum Corpus poſſit eſſe in pluribus locis adequatis vtrobique circumſcriptiuè, & Thomiſtæ id ſimpliciter negant; Scotiſtæ vero affirmant; ideo,

9 Ad doctrinã Ægidij ſuperius adductam adde, id quod ipſemet docet in Theorematibus de Corp. Domini propoſ. 42. quod ſcilicet Quantitas Panis in Sacramento altaris eſt circũſcriptiuè in hoſtia non minus, ac Quantitas propria Corporis Chriſti in Cęlo, ex quo inferes, quod ſicut Corpus Chriſti per propriam Quantitatem eſt circumſcriptiuè in

Cęlo;ita idē Corpus Chriſti per Quantitatem alienam. ſcilicet Panis eſt etiam circū ſcriptiuè in Altari,& per plures Quātitates Panis eſt circūſcriptiuè in pluribus Altaribus.

10 Hac doctrina pręmiſſa, dicimus primo; nullum corpus per vnam numero Quātitatem poſſe eſſe in pluribus locis adequatis, & circumſcriptiuè; quia ratio eſſendi in loco circumſcriptiuè eſt ſola Quantitas, ſicut ratio eſſendi in ſpecie eſt ſola natura, vel ſolus modus eſſendi: ſed repugnat, vnam rem per vnā naturam ſeu per vnum modum eſſendi eſſe in pluribus ſpeciebus, ergo repugnat etiam, vnum corpus per vnam numero Quantitatem eſſe circūſcriptiuè in pluribus locis adequatis. ſic eſt accipienda sētentia D.Thomę.

11 Cum hoc tamen ſtat, quod vnum corpus per plures Quanticates, quarum vna ſit propria, & alia, vel aliæ alienæ, poteſt ſimul, & ſemel eſſe circumſcriptiuè in pluribus locis etiam adequatis, quia ſi Quantitas eſt ratio eſſendi in loco circumſcriptiuè, quoties vnum corpus habet plures Quantitates, eaſque commenſuratas cū Quantitatibus locorum; toties tale corpus erit in pluribus locis circumſcriptiuè: & propterea Corpus Chriſti; quod per Quantitatem propriam eſt circumſcriptiuè in Cælo, ſimul etiam per Quantitatem panis eſt circū ſcriptiuè in Altari. Et ita sētimus cum ſcotiſtis.

RESPOND. IN FORMA Argumentis.

Vtriuſque ſententiæ.

AD D. Thomam cōcedimus, vnū corpus per vnam numero Quantitatē nullo modo eſſe poſſe in pluribus locis adequatis circumſcriptiuè. Et ad Primum concesſo antecedente, diſtinguēdum eſt conſequens, ergo repugnat, vnum Corpus per vnam numero Quantitatem eſſe in vno loco, & extra illū contineri ab alio, cōcedo cōſequentiam; repugnat, vnum Corpus per plures Quantitates commenſuratas Quātitati loci eſſe in pluribus locis; negatur.

Ad ſecundum ommiſſis omnibus alijs reſpondendi modis, dicimus, quod licet ſit impoſſibile, & ſit aperta contradictio, quod idem Corpus ſimul quieſcat, & moueatur ſecundum idem vbi; tamen ſecundum diuerſa vbi, & ſecundum diuerſas

magnitudines, & Quantitates id non controdicit, atque adeò vt affirmatio, & negatio de eodem ſubiecto contradictoria implicet, nō ſufficit, quod affirmatio, & negatio ſit de eadem re: ſed requiritur, quod hoc fiat ſecundum idem, & reſpectu eiuſdem, & in eodem tempore, & ſecundum eandē Quātitatem; cum igitur omnia illa prædicata, quę dicerē-tur de vno corpore conſtituto in pluribus locis, non cōuenirent eidem corpori reſpectu vnius, & eiuſdē Quātitatis, ideo non eſſent contradictoria. Ad tertium Reſpondetur, quod etiam dato, quod vnū corpus poſſet habere infinitas Quantitates, non propterea ex hoc ſequeretur, quod illud corpus foret vbique; quia illæ infinitæ Quantitates non eſſent infinitæ in actu completo, & per modum vnius totius; ſed forent infinitæ in actu incompleto, & ſic per eaſdem infinitas Quantitates occuparet Corpus infinita loca, non tamen eſſet vbique, quia per infinitas illas Quantitates non foret immenſum.

13 Ad Scotum dicendum eſt, eius argumenta concludere, poſſe vnum Corpus eſſe in pluribus locis per plures Quantitates, & adæquate mum, concesso antecedente, quod idem Corpus Christi per Quantitatem propriam ſit circumſcriptiuè in Cęlo; & per Quantitatem Panis ſit etiam circumſcriptiuè in Altari, diſtinguendum eſt conſequens, ergo multo magis idem Corpus Chriſti poteſt eſſe in duobus locis circumſcriptiuis per duas, ſeu plures Quantitates commēſuratas Quantitati loci, conceditur conſequentia; per vnam tantum modo Quantitatem, vel per plures Quātitates, quarum vna ſit commenſurata Quantitati loci, & alia non, negatur conſequentia. Ad ſecundum conceditur etiam conſequēs cū eadem cautela, quod ſcilicet vnum Corpus poſſit eſſe in pluribus locis adequatis per plures Quantitates; Ad tertium de D. Ambroſio poteſt primo reſponderi, quod potuit ita per viſionem imaginariam ſibi repreſentari ſepultura Beati Martini adeò clarè, quod ſibi videretur inter fuiſſe eius eſeqijs; ſecundo dici poteſt, quod per Angelum ſupplentem vicem Beati Ambroſij fieri potuit, quod qui interfuerunt dictæ ſepulturę, crederent Beatum Ambroſium ibi interfuiſſe. Vel tertio poteſt reſponderi; quod ſi idem corpus

pus D. Ambroſij fuit Mediolani, & Turonis; id non fuit per vnam numero Quātitatem, ſed per duas, ambas commenſuratas Quantitati loci.

DVBITATIO QVARTA.

V. Plura corpora ſimul, & ſemel poſſint eſſe Diuinitus in vno, & eodem loco?

1 COmunis, & vera ſententia in omni ſchola peripatheticorum eſt, non implicare contradictionē, plura corpora Quanta ſimul, & ſemel eſſe poſſe in vno, eodemque loco. Ita D. Thom. in 4. diſt. 43. q. 2. art. 2. D. Bonau. in 4. diſt. 40. par. 2. art. 2. q. p. ſchola ſubtilis apud Maſtriū diſp. 11. q. 7. §. dicimus ſecundo & c. Ægidius in Theorematibus de Corp. Domini prop. 7. in fine, & manifeſtè colligitur ex ſacra ſcriptura, nam Sancti Patres vnanimiter docent, Chriſtum Dominum, Illeſo Virginis Vtero, eſſe natum, clauſo ſepulcro reſurrexiſſe, clauſis Ianuis ad diſcipulos fuiſſe ingreſſum: & in Aſcenſione Cęlos penetraſſe Hebr. 4. deinde probatur ratione deſumpta ex Ægidio vbi ſupra: nam tota ratio, quare duo corpora naturaliter eſſe non poſſunt in eodem loco, eſt, quia vnum corpus expellit aliud ab eodem loco, vel quia Quantitas vnius reſiſtit Quantitati alterius; ſed hęc ratio non babet locum in ordine ad Diuinam Potentiam; ergo &c. probatur minor: quia non eſt minus annexa actualis extenſio in ordine ad locum cum Quātitate, quam actualis impenetratio, & actualis expulſio, ſeu Reſiſtētia vnius corporis cum Quantitate alterius: ſed poteſt eſſe Quantitas ſine actuali extenſione in ordine ad locum; vt patet in Sacramento Altaris, ergo poterit ſaltem Diuinitus dari Quantitas ſine actuali impenetratione, & ſine eo, quod Quantitas vnius corporis vel reſiſtat, vel expellat Quantitatem alterius; ergo &c. Adde cum Ægidio vbi ſupra, quod tota cauſa, quare vnū corpus cum alio corpore ſimul eſſe non poteſt, ſumitur ex eo, quod dimenſiones dimēſionibus reſiſtunt: ſed per potentiam Dei dimenſiones Corporis Chriſti ſimul coexiſtunt cum dimenſionibus Panis, ergo per Diuinam potentiam poſſunt plura corpora eſſe ſimul in eodem loco.

Probatio veræ ſententię ex Exigidio.

Sed

2 Sed in oppoſitum obijcies primo, inquit Ariſtot. quod per ſe eſt, dimenſiones vnius corporis non poſſe cōpati ſecum alias dimenſiones: ſed quod conuenit alicui per ſe, tolli non poteſt ab eo, ergo non poteſt fieri ſine implicantia, vt Dimenſiones vnius corporis cum Dimenſionibus alterius corporis coexiſtant. Reſpondetur; quod Dimenſiones dimenſionibus reſiſtere non eſt ita per ſe, ſicuti per ſe Homo eſt animal, vel ſicuti per ſe ſuperius eſt in inferioribus: ſed eſt ita per ſe, ſicuti per ſe eſt Actiui Agere: nā ſicut calor habet dupplicē comparationem vnam ad ſubiectū, ſecundum quam dat ei, eſſe calidum, & aliam ad obiectum ſecundum quam eſt ratio calefaciendi: ſic Quantitas pro vt comparatur ad ſubiectum, dat ei, eſſe Quantum, per comparationem vero ad exteriora, ſiue pro vt comparatur ad alias dimenſiones, competit ei, reſiſtere, vel expellere &c. ſicut ergo abſque implicantia contradictions poteſt eſſe calidum, abſque eo, quod calefaciat, & calor poteſt dare eſſe calidum, abſque eo, quod ſit principium calefactionis: ſic & dimenſiones poterunt dare eſſe Quantum abſque eo, quod alijs dimenſionibus reſiſtant, vel alias expellant.

Obiectio.

Solutio.

Expulſio non cōpetit quātitati in primn modo dicē di per ſe

3 Obijcies 2. ſi duo corpora poſſunt eſſe in eodem loco, ergo pariter poſſunt duæ partes eiuſdem corporis ſe inuicē penetrare, quia ſicut naturaliter diuerſis corporibus debentur diuerſa loca, ita diuerſis partibus eiuſdem corporis diuerſæ debētur partes eiuſdem loci: ſed hoc eſt impoſſibile, quia partes eiuſdem corporis ab intrinſeco habent, quod vna ſit extra aliam, & ſi plures partes eiuſdē corporis eſsēt ſimul, ſequerentur mirabilia, & paradoxa, nam ſequeretur, partem fore æqualem toti, totum includi in quauis minima parte; Item poſſe maximam Quantitatem tranſire per foramen acus; & totum Cælum, imo, & totū vniuerſum in vno pugillo recludi, quę omnia repugnant ad ſenſum, ergo &c. Reſpōdetur nullam inuoluere repugnantiam; quod vna pars corporis ſimul ſit cum alia eiuſdem corporis in eodem loco penetratiuè; & conſequenter omnes partes vnius corporis, imo & totum corpus in loco minimę ſuę partis includi, quia per Diuinā potentiam poteſt fieri, vt dimenſiones vnius partis, vel vnius corporis non reſiſtant di-

dimenſionibus alterius partis;vel alterius corporis:nec illa, quæ reputantur abſurda in argumento, ſunt abſurda, licet talia videantur noſtris ſenſibus.

4 Obijcies tertio. ſi duo Corpora eſſent in eodem loco compenetrata, tunc corpora, & eſſent duo ex hypoteſi, & eſſet vnum,quia eſset ſimul; nam ſicut punctum cum alio puncto ſimul non facit niſi punctum, & ſuperficies cum ſuperficie non facit niſi vnam ſuperficiem; ita in eo caſu Corpus cum Corpore ſimul poſito non faceret niſi vnum Corpus. Reſpondetur;verũ eſſe,quod vnum punctum additum alteri puncto non facit maius: falsũ tamẽ eſt, quod nõ ſint duo: vnde fiunt vnum penetratiuè, quatenus non faciunt maius,quam vnum;ſed non fiunt vnũ entitatiuè: ſic in propoſito duo corpora fierent vnũ penetratiuè,quia non facerent maiorem molem, quam ſi eſſent vnum tantum; eſſent tamen duo Corpora entitatiuè.

5 Obijcies 4. eſt impoſſibile, quod Quantitati conueniat oppoſitũ illius, quod eſt de ſua ratione formali, ergo eſt impoſſibile, quod Quantitas cõtinua ſit alicubi modo indiuiſibili, antecedens patet; probatur conſequentia, quia de ratione formali Quantitatis continuæ eſt habere partes extenſas ad inuicem copulatas termino comuni; ſed habere partes extenſas, & habere modum indiuiſibilem ſibi mutuo pugnant, ergo &c. Reſpondetur, quod in corpore locato eſt duplex poſitio, altera eſt intrinſeca, & eſt ordo partiũ in toto,alia eſt extrinſeca,& eſt ordo partium in loco: prima poſitio eſt de eſſentia Quantitatis continuæ; non ſecunda; quæ eſt poſterior Quantitate cõtinua; eſtque differentia ſitus: poteſt ergo Quantitas continua Diuina Virtute eſſe ſine ſecunda poſitione; ſed nulla virtute eſſe poteſt ſine prima.

DE VACVO.

DVBITATIONES TRES.

Dubitatio Prima. V. detur, vel dari poſſit Vacuum in Natura?

Dubitatio Secunda. An ſi daretur Vacuum, poſſet in eo fieri motus naturaliter?

Dubitatio Tertia. An motus in Vacuo fieret in inſtanti, vel ſucceſſiuè?

DVBITATIO PRIMA.

Vtrum detur, vel dari poſſit Vacuũ in Natura?

INtegro quæſito duplici concluſione reſpondendum eſt. Prima concluſio, Nullum de facto datur Vacuũ in natura. Ita Ariſt. hic, & cum eo omnes Philoſofi indifferenter. poſſet hoc primo probari multis experiẽtijs, quibus apparet, naturam Vacuum abhorrere; vnde multos motus violẽtos admittit, vt fugiat Vacuum, ſic Aqua ſurſum aſcẽdit ſi per fiſtulam attrahatur Aer. ſecundo id idem probatur à poſteriori, quia ſi daretur Vacuũ, illud eſſet fruſtra, quia ad nullum finẽ ordinaretur, & potius eſſet ad deſtructionem vniuerſi, quam ad eius perfectionem, ſed natura abhorret, quod eſt fruſtra, ergo &c. Tertio adiungi poteſt ratio, quæ in præſenti materia cenſenda eſt fundamentalis: quia naturalis, & conuenientiſſima diſpoſitio totius Vniuerſi, & compoſitio ab Authore naturæ in prima eius conditione conſtituta, ita requirit, etenim Mundus eſt quodam modo quodam totũ mixtũ diuerſis corporibus tanquam ex partibus conſtitutum ad ſimilitudinem corporis viuentis, propter quod ita ſe habent corpora cæleſtia, & ſublunaria in Vniuerſo, ſicut in corpore noſtro ſe habent caput, braccia, & pedes: ſicut ergo in viuente, eſt neceſſaria Vnio partiũ ad cõſeruationem Totius, ita vt partes nullo modo conſeruari poſſint ſeparatæ, quia ſic ſeparatæ nõ poſſent accipere influxum ab Anima, nec vna pars in aliã influere iuxta modum ſuę virtutis; ita in hoc Vniuerſali corpore huius Mundi neceſſe eſt, omnia corpora tam ſublunaria, quam cæleſtia eſſe inter ſe vnita, vt per contactũ vnius cum alio poſſint conſeruari, & inferiora à ſuperioribus influxum recipere: vnde Ariſt. in primo lib. meteor. inquit, *oportet, Mundum hunc inferiorem contiguũ eſſe lationibus ſuperioribus, vt inde eius virtus regatur, & gubernetur.*

Sed contra hanc primã concluſionem obijcies primo. Quando corpus aliquod mouetur localiter, vel mouetur ad locum vacuum, & ſic habetur intentum, vel ad locum plenum, & ſic daretur de facto penetratio corporum, quod eſt falſum. ſi reſpondebis, non inde ſequi pe-

penetrationem corporum; quia adueniente corpore mobili, aliud expellitur, & ſic vnum alteri cedit. contra hoc eſt; nam ſequeretur; ad motũ illius corporis totũ Mundũ moueri; probatur ſequela, quia corpus mobile expulſum à loco, expelleret aliud corpus, & hoc aliud, & ſic ſine termino: ſed Reſpondetur; falſam eſſe ſequelam; quia licet ita veniret, ſi omnia corpora eſſent ſolida, tamen in corporibus liquidis hoc euenire, nõ eſt neceſſe, quia Corpus liquidũ facile rareſit, & condenſatur.

3 Obijcies ſecundo quando ex raro fit denſum, vt cũ ex Aere fit Aqua, tunc denſum occupat minorẽ locũ, quam occupat rarum, ergo manet vacua iſta pars loci, quam occupat Aer. Reſpõdetur; negando conſequentiam, quia in tali caſu partes Aeris vicini ſuccederent ad replendum illum locum, quem Aqua propter denſitatem occupare non poteſt; quando enim vnum corpus condenſatur, tunc aliud fit rarum, & è contra, & ſic quando Aqua condenſatur, tunc Aer rareſit &c.

4 Obijcies tertio, ſumatur Vas fortiſſimum plenum Aqua calida, quod ſit omni ex parte concluſum, cui ab extrinſeco applicentur Agentia frigidiſſima, tunc vel Aqua congelabitur, vel non? non poteſt dici ſecundum, alias Agenti naturali debitè approximato Paſſo, non ſequeretur Actio: ſi cõgelabitur, ergo cum Aqua congelata per condenſationem occupet minorẽ locũ, quã antea, & per os Vaſi nõ poſſit aliud corpus intrare, neceſſario dabitur Vacuum. Reſpondetur; in caſu poſito, vel Aquam non congelari, quia reſiſteret efficacitati Agentium frigidorum, vel ſi congelabitur, & nulla pars Aeris poſſet ingredi; tunc vas frangeretur, vel ſi non frangeretur, Vacuum illud impleretur aliquibus vaporibus, quæ neceſſario ab Aqua calida dimanarent.

5 Obijcies quarto. ſumantur folles vndique complicati, & orificio follium immittantur Vaſi fortiſſimo vndique concluſo, ita vt nõ poſſit ingredi Aer, & poſtea eleuentur latera follium, tunc in Vaſe dabitur Vacuum, quia tunc folles non habent, vnde Aerem trahant niſi à Vaſe, cumque in Vaſe non poſſit denuo ingredi, remanebit Vacuum in Vaſe; Reſpondetur, in illo caſu non poſſe ſeparari latera follium, niſi apponatur magna

vis, qua poſita, ſi vas ſit nimis forte, tunc rumpentur latera follium, vt nouus Aer ingrediatur.

6 Secunda Concluſio. Secundum ordinem Diuinæ diſpoſitionis per nullã creatam virtutem cauſari poteſt Vacuum in natura; eſt etiam Aſſertio hæc indubitata apud omnes, & probatur, quia nullum inferius Agẽs poteſt, virtutem ſuperare ſuperioris; ergo ſi Deus determinauit, Vniuerſum contiguum, & colligatum eſſe, non poterit talis ordo ab vlla creatura perturbari; hinc ad Hebr. 2. dicitur. *non ſubiecit Deus Angelis orbem Terræ.*

7 Petes. præſcindendo a quocunque ordine Diuinæ diſpoſitionis, & ſpectatis puris viribus naturę, poſſet ne dari vacuum in natura? Reſpondetur; partem affirmatiuam poſſe concedi, quia omnia argumenta, quæ probant oppoſitum, ſolum conuincunt, ſpectata determinatione Diuinæ voluntatis; vnde exiſtentia Vacui dicitur miraculoſa, non quod ſecũdum ſe ſit abſolutè ſupra vires naturæ: ſed quia eſſet ſupra ordinem Diuinæ Diſpoſitionis,

DVBITAT. SECVNDA

V. Si daretur Vacuum in natura; poſſet in eo fieri Motus naturalis?

1 SVpponimus ſaltem virtute Diuina poſſe dari Vacuum in natura; eo autem ſuppoſito, quærimus, an in tali Vacuo poſſet naturaliter fieri motus?

2 D. Thomas in 4. phiſ. lect. 2. & in 4. diſt. 44. q. 2. apud Ruuium Tract. de natura Vacui q. 3. nu. 31. Scotus in 2. diſt. 2. q. 9. apud Maſtrium, & Bellutum diſput. 12. q. 3. art. p. & alij non pauci affirmant, quorũ prima ratio eſt, quia ſi eſſet Vacuum v. g. inter concauũ Cæli Lunæ, & Terræ, & in Terra poneretur ignis: tunc Ignis tenderet ſurſum, & ſi in concauo Cæli Lunæ poneretur lapis, ille tenderet deorſum, ergo in Vacuo (ſi illud daretur) poſſet naturaliter fieri motus, ſecũdo probatur id de motu progreſſiuo animaliũ; nam ſi Animal poneretur à Deo in Vacuo, haberet virtutem progreſſiuam, haberet concurſum Dei, haberet ſpacium, ergo quid deeſſet, vt non poſſet in Vacuo fieri motus? quod ſi ſe- Sententia affirmans.

ſemel concedatur motus progreſſiuus in Vacuo, non eſt, cur alij motus in eodem Vacuo denegentur. Tertio ſi Angelus proijceret lapidē in Vacuo, tunc lapis ille tēderet ad centrum tanquam ad proprium locum, ergo in Vacuo poteſt naturaliter fieri motus.

3 Alij viri non indocti reſolutè negant, poſſe in Vacuo fieri naturaliter motum. ita Gregor. in 2. diſt. 6. q. 3. art. 2. Albert. Magn. tract. 2. cap 6. & 7. ſuorum Comēt. ſuper 4. phiſic. & videtur expreſſa ſententia Ariſt. cap. 8. & 9. huius libri, quibus in locis non ſolum aſſeruit, ſed probauit contra antiquos philoſophos, qui admijciebant Vacuum propter motū localem, illos potius eundē motum de medio abſtuliſſe, quia repugnat, motum fieri per vacuum, & inter Argumenta, quibus vtitur, vnum eſt; quia in vacuo non eſsēt differētię poſitionis ſurſum, & deorſum, quibus ſignificantur determinata loca, ad quæ tendūt motus, & à quibus ſpeciem capiunt.

Ariſtoteles, & alij negant.

4 ÆGIDIVS in quolib. 6. q. 7. §. declarato igitur &c. cōſenſiens cum ſupra relata ſecunda Opinione, negat motum in Vacuo, & ſic diſcurrit. *Dicemus, ergo quod eſt impoſſibile, fieri motum in Vacuo ſecundum ordinem, quem videmus, quia ille motus non reduceretur in motum Cæli; cū ergo nullum Corpus poſſit moueri localiter ſecundum ordinem, quē videmus, niſi motus ille reducatur in motum Cæli, quia vt vult Philoſophus 8. phis; motus Cæli eſt vt vita ſubſiſtentibus omnibus; quæ ſunt natura, ideſt in omnibus mobilibus: mobilia enim dicūtur eſſe naturæ, quia quæ non ſunt mobilia, non ſunt de conſideratione naturali, vt vult Comment. quod motus Cæli eſt quaſi vita rebus mobilibus, quia eſt quaſi principium rebus mobilibus, ſicut Anima eſt principium rebus viuis, ergo ſicut eſt impoſſibile, eſſe viuum ſine Anima, ſic ſecundum ordinem, quem videmus, eſt impoſſibile, quod aliquod Corpus moueatur hic inferius, & non moueatur per influentiam Cæli: & quia ſi aliquod moueretur in Vacuo, ad illud non poſſet attingere influentia Cæli, quia illud mobile non attingeret Cælum immediatè, nec mediatè, cum nullum eſſet ibi corpus medium, per quod Cælum poſſet attingere tale mobile, ideo eſſet ille motus ſine influentia Cæli, nec cauſatus a motu Cæli, quod eſt impoſſibile.* hæc Ægid.

Egidius etiā negat motum in Vacuo.

IVDITIVN AVTHORIS ex Ægidio pro deſenſione

Vtriuſque Opinionis.

5 IN hac controuerſia, vel loquimur de motu in Vacuo, ſpectato ordine Diuinæ diſpoſitionis, atque eo ordine rerum, quem de facto Deus inſtituit pro conſeruatione totius Vniuerſi; & hoc modo nullatenus naturaliter poſſet in Vacuo fieri motus propter rationes ſecundæ ſentētiæ, præſertim propter illam, quam attulit Ægidius loco ſupra relato; Aſt ſi loquamur de Motu in Vacuo, præſcindēdo ab omni ordine Diuinæ diſpoſitionis, & a determinatione Diuinę Voluntatis; ſic motus in Vacuo non eſt naturaliter impoſſibilis: nā omnia Argumenta, quę videntur probare impoſſibilitatem motus in Vacuo, ſolū conuincunt, ſpectato ordine Diuinę diſpoſitionis, & in hoc ſenſu eſt accipienda ſententia Thomiſtarum, & Scotiſtarum.

6 Quorum Argumētis dicendum eſt, quod ſpectato ordine Diuinæ diſpoſitionis, nec lapis in Vacuo moueretur deorſum, nec ignis ſurſum, nec Animal moueretur motu progreſſiuo, nec lapis ab Angelo proiectus poſſet per Vacuum moueri; quia deficeret inſiſtentia Cæli, quæ eſt principaliter requiſita ad quemcumque motum naturalem.

DVBITATIO TERTIA.

Vt ſi motus fieret in Vacuo, fieret in inſtanti, vel ſucceſſiue?

1 SCotiſtę apud Maſtrium, & Bellutum diſp. 12. q. 3. art. 2. docent, in Vacuo motum fieri ſucceſſiuè, non in inſtanti; idque probāt; primo, authoritate philoſop. 6. phiſ. cap. 3. vbi ait, in omni motu locali prius debere eſſe Mobile in Termino à quo, deinde in medio, & poſtmodum in termino ad quem; ſed hoc requirit ſucceſſionē; ergo &c. ſecundo; ſucceſſio non ſolum ſumitur ex parte reſiſtentiæ medij, ſed etiam ex parte ſpacij; ſed ſpacium Vacui nō poteſt pertranſiri in inſtanti, ergo licet non ſit ibi reſiſtentia medij, tamen propter diſtantiam ſpatij, nec poſſet motus fieri in inſtanti; maior patet, probatur minor; quia alias eſſet verum dicere, quod mobile,

Scotiſtę volunt motum in Vacuo fieri ſucceſſiue.

quod moueretur per Vacuũ. eſſet ſimul ſurſum,& deorsũ, ſurſum,& non ſurſum,qnod implicat. Tertiò; quia ſi lapis in Vacuo moueretur in inſtanti à concauo Cęli vſq; ad centrum; vel in vno, & eodem inſtanti erit in Cælo, & in Terra, vel in vno inſtãti erit in Cælo, & in alio inſtanti in Terra? non primũ, quia hoc dicit implicantiã, ſi ſecundum; cum inter duo inſtantia mediet tempus, ſequitur; quod lapis moueretur in illo tempore intermedio;atque adeò ſucceſſiuè, & non in inſtanti; quarto; ſi eſſet in Vacuo aliqua colũna, & duo lapides ſimul deſcenderent, vnus tamẽ à ſũmitate columnæ, & alter à medio; tunc illi non ſimul in inſtanti deſcenderent: ſed qui eſt a medio columnæ, deſcenderet prius,quam ille, qui deſcenderet à ſummitate,ergo ſucceſſiuè.

Alij docẽt motum in Vacuo fieri in inſtanti.

2 Alij Doctiſſimi Viri nõ minus probabiliter aſſerunt, omnem motum in Vacuo debere fieri in inſtanti, tum quia Ariſt. 4. phiſic. tex. 65. demonſtrat, Vacuum deſtruere motum, quia neceſſario debet fieri in inſtanti. ſecundo,quia omnis ſucceſſio motus (loquendo de ſucceſſione continua) prouenit ex reſiſtentia medij; ſed in Vacuo nulla eſt reſiſtentia medij cõtinui,neq;ergo ſucceſſio: minor eſt certa, probatur maior,quia quãto magis Agens inuenit reſiſtentiam medij, tãto magis tardius operatur,ergo ſi nullam habet reſiſtentiam, operabitur in inſtanti.

3 ÆGIDIVS in quolib. 6. p. 6. ĩ medio,vbi loquitur de motu in Vacuo, hæc habet formalia verba. *Tamen ſi hoc poneretur in eſſe,quia motus ille fieret in inſtanti ſecundum Philoſophi ſententiã in 3. Phiſicor. quã credimus, eſſe verã, in eodem inſtanti corpus illud ſic motum eſſet ſurſum,& eſſet deorſum.* sẽtit ergo Ægidius cum Ariſtotele,motum in Vacuo fieri in inſtanti.

IVDITIVM AVTHORIS, ex Ægidio pro defenſione *Vtriuſque ſententiæ.*

4 TOtius controueſiæ ſtatus pendet ab explicatione, quo tempore menſuretur ille motus, qui fieret in vacuo? & propterea ſummopere adnot. eſt cum Ægid. tum in 4. phiſic. lect. 24. tum etiam in quolib. 6. q. 8. quod ille motus, qui fieret in Vacuo, non menſuraretur Tempore con-

Doctrina Egidij valdenotāda.

continuo, quod eſt paſſio Primi Motus; quia ille motus, qui fieret in Vacuo, nō reduceretur in motum Cæli: ſed tempus, quo menſuraretur motus in Vacuo, eſſet tēpus diſcretum, quod eſſet compoſitum ex pluribus inſtantibus, ſicuti Motus in Vacuo eſſet pariter compoſitus exmutatis eſſe; quod ſic oſtenditur, quia cū Vacuum non habeat naturam, vnde reſiſtat mobili, & tota cauſa, quare requiratur tempus in motu Grauium, & leuium, ſit reſiſtentia medij, motus ille, qui fieret ſine omni reſiſtentia, componeretur ex mutatis eſſe, & quia cuilibet mutato eſſe reſpondet inſtans, ideo tempus menſurans talem motū, eſſet compoſitum ex inſtantibus: quoniā vero ſi omnes puncti componantur ſimul, nullam efficient magnitudinem, ideo omnia illa inſtantia non valent, pluſquam vnum inſtans: motus ergo factus in Vacuo eſſet ſucceſſio mutatorum eſſe, & Tempus reſpondens illi motui, eſſet ſucceſſio plurium inſtātium, atque adeò Motus, qui fieret in Vacuo, & eſſet in eodem inſtanti ſurſum, & deorſum, & nō eſſet in eodē inſtanti; ſed in vno inſtanti ſurſum, & in alio inſtanti deorſum, quia loquendo de inſtanti menſuræ propriæ nō eſſet motus in vno inſtanti ſurſū, & deorſum; ſed quot erunt ibi ſucceſſiones mutatorum eſſe, tot erunt ibi ſucceſſiones inſtantium: nec inter illa inſtantia caderet Tempus medium, ſed ſuccederēt ſibi inuicem immediatè: ſicuti motus, qui in Vacuo fieret ſine reſiſtentia medij, eſſet compoſitus ex mutatis eſſe, ſibi inuicem immediatè ſuccedentibus; ſed loquēdo de Motu in Vacuo per ordinem ad menſuram alienam, ſic in eodem inſtanti erit corpus ſic motū in loco ſurſum, & in loco deorſum, quia omnibus illis inſtantibus, ex quibus eſſet compoſitū Tempus diſcretum, non reſponderet in Cælo, niſi vnum inſtans.

Motus in vacuo ad dupplicem mēſurā cōpari poteſt.

5 Hac Ægidij doctrina ſic præmiſſa, dicimus, quod ſi motus in Vacuo comparetur ad inſtans menſuræ alienæ; ſic fieret in inſtanti, & hoc voluit Philoſophus cū inquit; motum in Vacuo fieri in inſtanti, intellige de inſtanti menſuræ alienæ. Aſt ſi comparetur idem motus in Vacuo ad inſtans menſuræ propriæ, ſic motus in Vacuo non fieret in inſtanti; ſed in inſtātibus, & quia poteſt eſſe ſucceſſio abſque eo, quod

per ordinē ad mēſurā propriā fieret ſucceſſiū in tēpore diſcreto.

quod fiat aliquod maius, poterit etiam eſſe ſucceſſio inter inſtātia menſuræ propriæ; Quod ſi Tēpus diſcretum compoſitum ex pluribus inſtātibus habet ſucceſſionē; Motus quoq; qui mēſurabitur tali Tempore diſcreto, erit ſucceſſiuus, non ſucceſſiuus, quia fortè fieret in Tempore continuo: ſed ſucceſſiuus, quia fieret in tempore, in cuius inſtantibus eſt ſucceſſio, & hoc modo ſaluari poteſt altera ſententia, affirmans, motum in Vacuo fieri in Tempore, intellige de Tempore non continuo; ſed diſcreto.

RESPOND. IN FORMA Argumentis *Vtriuſque ſententiæ.*

6 AD Scotiſtas concedimus, motum in Vacuo fieri ſucceſſiuè, & in tempore, ſed per ordinem ad menſuram propriam, quæ eſſet Tempus diſcretum, compoſitum ex pluribus inſtantibus, ſibi inuicem ſuccedentibus, & hoc voluit Ariſt. in loco citato pro primo argumento. Ad ſecundū cum eadem diſtinctione reſpōdemus, quod ſcilicet ſpatium Vacui per ordinem ad menſuram propriam non poteſt pertranſiri in vno inſtanti, ſed neceſſaria, eſt ſucceſſio pluriū inſtantium ſibi inuicem ſuccedentium, ſicuti Motus, qui fieret per tale ſpatium, eſſet compoſitus ex pluribus mutatis eſſe. Ad tertium Reſpondetur, quod motus, qui fieret in Vacuo, licet per ordinem ad menſuram alienā fieret in vno, & eodem inſtanti; tamen per ordinem ad menſuram propriam in vno inſtāti lapis eſſet in Cęlo, & in alio inſtanti eſſet in Terra; nec inter talia inſtantia eſſet dare Tempus medium, quia menſura propria talis motus nō eſſet Tempus continuum, ſed diſcretum, quod eſt compoſitū ex pluribus inſtantibus ſibi inuicē ſuccedentibus.

Explicātur Scotiſtæ de motū in Vacuo per ordinē ad mēſurā propriā

7 Ad alios Authores pro ſecunda ſententia, pro qua ſtat Ariſt. & Ægidius, Reſpondetur, conuincere de motu in Vacuo per ordinē ad menſuram alienam, reſpectu cuius non fieret in Tēpore continuo, ſed in vno inſtāti; quia, motus, qui fieret in Vacuo ſine vlla reſiſtentia medij, eſſet compoſitus ex mutatis eſſe, & quia cuilibet mutato eſſe ſemper reſponderet inſtans, ideo Tempus menſurans talem motū, eſſet compoſitum ex pluribus inſtan-

ſtantibus, quibus omnibus in Cælo non correſponderet niſi vnum inſtans, quia ſicut omnes puncti ſi componantur ſimul, non efficiunt magnitudinem, ita omnia inſtantia non valent plus, quam vnũ inſtans.

DE TEMPORE

DVBITATIONES DVÆ.

Dubitatio Prima. V. Tempus ſit verum ens reale?

Dubitatio Secunda. V. Tempus ſit realiter vnum, & Idem cum motu, vel diſtinguatur realiter ab illo?

DVBITATIO PRIMA.

V. Tempus ſit verum ens reale?

1 CVm diſtinctione tota euacuabitur difficultas. Tempus quantum ad ſuum eſſe materiale eſt verum ens reale ſimpliciter, independens ab omni actu Animę, quantum vero ad eſſe formale, & completiuum ſic dependet ab actu rationis. Ita Ariſt. 4. Phiſic. tex. 131. Thomiſtæ cum D. Thom. opuſc. 44. cap. p. Scotus eiuſque diſcipuli apud Maſtrium, & Bellut. diſp. 14. q. 4. art. 2. Ægid. in 4. phiſ. lect. 3. & in p. ſent. diſt. 19. par. p. princip. 2. q. 2. art. p. lict. C. & D. Item in ſecundo ſent. diſt. 12. q. 2. art. p. ad 3. Argẽtina, noſter in 2. diſt. 2. q. p. art. 2. Probatur autem prima pars, quia illud, quod realiter eſt idem, quod motus Primi Mobilis, eſt ens reale, ab actu rationis penitus indepẽdens: ſed Tempus quãtum ad ſuum eſſe materiale eſt realiter idem, quod Motus Primi Mobilis, vt patet 4. phiſic. vbi Philoſophus ait, quod Tẽpus nihil aliud eſt niſi prius, & poſterius cõceptum, vel numeratum in motu Primi Mobilis, idque nos clarius oſtendemus in dubit. ſequent. ergo &c.

Tempus ſecũdũ eſſe materiale eſt ens reale.

2 Probatur modo ſecunda pars, quod ſcilicet Tempus quantum ad ſuum eſſe formale neceſſario dependet ab Anima; quia eſt impoſſibile, eſſe numeratũ actualiter ſine actu numerante, ſed Tempus ſecundũ eſſe formale eſt motus numeratus actu ſecundũ prius, & poſterius, ergo impoſſibile eſt, eſſe Tempus ſecundum eſſe formale ſine Anima actu numerante. Minor eſt Ariſt. in 4. phiſ. text. 101. vbi ait, quod *prius, & poſterius in motu, vt ſunt ab Anima numerata, hoc eſt Tẽpus,*

Tẽpus ſecũdũ eſſe formale pẽdet ab Anima.

pus, quod Comentator apud Ægid. in p. ſent. vbi ſupr. dupliciter explicat, primo, quia Tempus habet rationẽ numeri numerati, ſed non eſt aliquid actu nomeratũ, niſi ſit Anima actu numerãs, ergo licet Tempus poſſit habere eſſe potentiale abſque Anima. Actualitatem tamẽ ab Anima ſuſcipit. Secundo, cum Tempus materialiter ſit quid cõtinuum; prius, & poſterius non ſunt ibi in actu, niſi quod per Animam ſignantur, & ideo niſi eſſet Anima ſignans, & numerãs, licet Tempus potentialiter eſſet, eo quod numerari, & ſignari poſſet, actu tamen nõ eſſet, & propterea Comentato ſic concludit. *Poſſibile eſt*, vt Motus ſit abſque eo, quod Anima ſit, ſecundum quod tamen prius, & poſterius ſũt in eo numerata in potentia, ſic eſt Tempus in potentia; ſecundum quod vero prius, & poſterius ſunt numerata in actu, ſic eſt Tẽpus in actu; Tempus igitur in actu ſecũdum ſuum eſſe formale non eſt, niſi Anima ſit, potentia vero erit, etiam ſi Anima non ſit.

3 Sed contra primam partẽ, quod ſcilicet Tempus ſecundum eſſe materiale eſt quid reale, ſic obijci poteſt; primo, partes Temporis nihil ſunt, ergo Tempus nihil eſt; conſequentia eſt euidẽs, probatur antecedens, partes Temporis ſunt prçteritum, & futurum: ſed præteritum iã non eſt, & futurum non dum eſt, ergo de Tẽpore nihil eſt. Reſpondet Ægid. in 2. diſt. 12. q. 2. art. 2. ad ſecundum, quod eſt latum diſcrimẽ inter eſſe permanẽtium, & ſucceſſiuorum: nam eſſe permanẽtium eſt in ſimultate partium; tũc enim ſunt permanentia, quando eorum partes ſunt ſimul, ſed ſucceſſiua habent eſſe nõ in ſimultate; ſed in ordine partium; & tũc eſt motus, & Tempus, quando vna pars ordinatur ad aliam, ſicut autem ordo partium motus conſeruatur in mobili, ita vt quando fluit mobile, per cuius fluxũ motus factus ordinatur ad motum faciendum; tunc dicitur continuari motus: ſic in ipſo inſtãti reſeruatur ordo Temporis, & ſicut ex fluxu mobilis cauſatur motus, ſic ex fluxu inſtantis cauſatur Tempus, mobile namque fluens cauſat motum; & inſtans currens cauſat Tẽpus, ſicut ergo ad hoc, vt ſit motus, ſufficit, quod ſit Mobile fluens; ſic ad hoc, vt ſit Tẽpus, ſufficit, quod ſit inſtans currens.

4 Obijcies 2. de Tempore nihil

nihil eſt, niſi præſens, ſeu Inſtans: ſed Inſtans non eſt Tempus, nec pars Temporis, ergo de Tēpore nihil eſt. Reſpondetur, quod Inſtans quāuis non ſit Tempus, eſt tamen ordo Temporis; & quia eſſe ſucceſſiuorum conſiſtit in ordine partium, ideo ad eſſe Temporis ſufficit, quod ſit Inſtans fluens, in quo reſeruatur ordo Temporis, id eſt ordo præteriti ad futurum, per cuius fluxum continuatur Tempus, ſcilicet præteritum cum futuro.

Eſſe ſucceſſiuorum cōſiſtit in ordine partiū.

5 Obijcies tertio: ſi Tempus ſecundum eſſe materiale eſſet quid reale, id maximè eſſet, quia Tempus eſt realiter idem cum motu Primi Mobilis; ſed hoc eſt falſum; ergo, & illud, ex quo ſequitur; probatur minor, quia omnium tēporalium eſt vnum Tempus: ſed omnium mobilium nō eſt idem motus, ergo &c. Ad hoc argumētum plenius reſpondebitur in dubitatione ſequenti, pro nunc dicimus, quod Tempus non eſt idem realiter cum quolibet motu, ſed cum motu primi mobilis, qui eſt vnus tantū, ad quē omnes alij motus reducuntur, & ideo ſicut omnium mobiliū eſt vnus primus motus, ita omnium Temporalium eſt vnum Tempus, quod realiter identificatur cum primo motu; motus autem ſecundarij ſunt plures iuxta pluralitatē mobilium ſecundorum, & ab his motibus realiter diſtinguitur Tempus.

Tempus non eſt idē realiter cū quolibet motu.

6 Obijcies p. contra ſecundam partem aſſertionis, ad probandum, quod Tempus nullo modo pēdeat ab Anima. Motus Cæli nullo modo pendet ab Anima, ergo nec Tempus; antecedens eſt certum; probatur conſequentia, quia quando ſubiectum alicuius paſſionis eſt extra Animā, & independens ab Anima, tunc & ipſa paſſio erit etiam omnino independens ab Anima: ſed motus eſt ſubiectum Temporis, & Tempus eſt paſſio motus, ergo &c. Reſpondetur, hoc argumētum probare primā partem noſtræ concluſionis; ſed contra ſecundam partē non concludere.

7 Obijcies ſecundo, ſi Tempus dependentiam haberet ab Animā, ſequeretur, quod non exiſtente Anima, Tempus non eſſet: ſed ante creationē Animarum, quæ fuit producta ſexta die, erat Tempus menſurans alia temporalia, ergo Tempus non dependet ab Anima. Reſpondetur cum Ægid. in [illegible] quod Tempus [illegible]

numerantem; & cum non erat Anima humana numerans, erat Anima Mundi, ideſt Deus, qui ſicut Ethera firmabat ſurſum, & librabat fontes Aquarum, ſic numerabat prius, & poſterius in illo primo motu, per quam numerationem complebatur ratio Temporis. Præterquam quod ante Animam actu numerantem erat Tempus ſecundum eſſe reale, potentia numerati.

quando nõ erat Anima humana numerans erat Deus.

8 Obijcies 3. Comment. in 4. phiſi. com. 131. inquit, quod diſpoſitio rerum naturalium talis eſt, vt habeant eſſe ſine Anima, ſed Tempus eſt ens naturale, quia eſt menſura motus, qui eſt res naturalis, ergo &c. Reſpondetur, quod diſpoſitio rerum naturalium, quæ ſimpliciter ſunt naturales, tum quoad eſſe materiale, tum etiam quoad eſſe formale, talium quidem diſpoſitio eſt, vt non dependeant ab Anima; ſed Tempus non eſt res naturalis ſimpliciter, quia Tempus ſecundum ſuum eſſe formale concernit numerationem, quæ ſine Anima actu fieri nõ poteſt.

Tẽpus non eſt res naturalis ſimpliciter.

9 Obijcies 4. illud, quod dependet ab Anima, habet eſſe in Anima; ſed Tempus non habet eſſe in Anima, ergo non dependet ab Anima. probatur minor, vel Tempus habet eſſe in Anima ſubiectiuè, vel obiectiuè; non primum, quia omne, quod eſt ſubiectiuè in Anima, eſt indiuiſibile, & ſpirituale, quod repugnat Tempori. ſi ſecundum, vel conceptui obiectiuo Temporis reſpondet aliquid a parte rei; vel nihil; ſi nihil, ergo Tempus eſt figmentum; ſi aliquid, ergo tempus ſecundum ſuum eſſe eſt res naturalis independens ab Anima. Reſpõdetur, quod Tempus habet eſſe in Anima obiectiuè; & ſibi correſpondet in re extra prius, & poſterius numerata in motu Primi Mobilis; ex hoc tamen non ſequitur, quod Tempus ſecundum ſuum eſſe formale non dependeat ab Anima; nam multa ſunt, quæ obiectiuè ſunt in Intellectu, & ſubiectiuè extra Animam, quæ tamen dependent ab Anima quo ad ſuum eſſe complectiuũ, vt patet de omnibus artificialibus,

Tempus habet eſſe in Anima obiectiuè.

Obijcies 5. Idem Rubio in Tract. de Tempore q. 1. num. 2. Tempus ex Ariſt. diffinitur, quod ſit *menſura motus ſecundum prius, & poſterius*: ſed antecedenter, & independenter ad omnem Intellectum datur numerus, & menſura motus ſecundum prius, & poſterius; ergo ante-

tecedēter, & independēter ad omnem Intellectum datur Tempus: Reſpondeo cū Ægid. in 2. diſt. 2. q. 1. art. 2. in ſolutione ad ſecundum, quod Tempus per ſe comparatur ad motum, ita vt nec Motus eſſe poſſit ſine Tempore, nec Tempus ſine Motu, loquendo de Tempore, pro vt eſt quid reale, & non pro vt actu numerat, ſed pro vt aptum eſt numerare Motum; illa namque diffinitio Temporis, quod ſit numerus motus, accipienda eſt ſecundum aptitudinem, non ſecūdum actum; vnde ſi diffiniatur Homo, quod ſit animal greſſibile, bipes &c. Si quod eſt bipes, actu curreret, non propterea perderet diffinitionem illam ſecundū Porphirium; quia id, ad quod aptum natum eſt, ſemper dicetur; Tempus ergo, & ſi nulla eſſet Anima Hominis, nec Anima Cæli, quæ numeraret, de ſe tamen ſemper eſſet natū aptum, vt ſit numerus motus.

(§) ✝. (§)

DVBITATIO SECVNDA.

VTrum Tempus ſit realiter omnino idem cum Motu, vel diſtinguatur realiter ab illo?

VIdetur, quod inter Tempus, & Motum ſit realis diſtinctio: tum primo, quia omnium temporalium eſt vnum Tēpus; ſed non omnium mobilium eſt vnus Motus; ergo &c. tum 2. quia Tempus nō eſt velox, nec tardum, cum velocitas, & tarditas Tempore menſurentur; Motus autem eſt velox, vel tardus; tum tertio, quia Tempore Ioſue ſtetit ſol, & alia corpora cæleſtia; & tamen ſecundum D. Auguſtinum 11. Cō feſſ. fuit Tempus. tum 4. quia ſi Tempus fuiſſet idem, quod Motus, tunc ſequeretur, quod vnum, & idē identificaretur habitui, & priuationi ſibi oppoſitæ: quod eſt impoſſibile; probatur ſequela, quia qua ratione Tempus eſſet idem, quod Motus, eadem ratione eſſet idē, quod quies: nam vt patet 4. phiſ. ſicut Tempus menſurat Motum, ita menſurat etiā quietem, quæ priuatiuè opponitur Motui. tum 5. quia Tempus per ſe eſt quantum, cum ſit

Suadetur multipliciter tempus, & motum realiter diſtingui.

ſit ſpecies Quantitatis: Motus autem non eſt quantus per ſe, quia ſecundum Comment. 3. phiſic. tex. 9. motus eſt, vel fluxus Formæ, vel Forma fluens, ſi eſt fluxus Formę, ſic eſt in Genere Paſſionis, ſi vero eſt Forma fluens, ſic eſt in eadem ſpecie cum Termino, ad quem eſt Motus. Motus igitur non eſt per ſe continuus. cum 6. quia Tempus eſt menſura Motus, ergo non poteſt eſſe realiter idem, quod Motus, antecedens eſt certum; probatur conſequentia, quia menſuratum realiter refertur ad menſuram; ſed quæ realiter ſunt idem, vnum nō poteſt realiter referri ad aliud; cum extrema realis relationis neceſſario debeāt eſſe realiter diſtincta, ergo &c. cum denique quia Tempus eſt paſſio Motus; Paſſio autem realiter diſtinguitur à ſubiecto, in quo fundatur.

2. Sed ſi cum ea diſtintione procedamus, quam traddidit Ægidius in 2. ſent. diſt. 2. q. p. art. 2. facilè poterimus omnem dubitationem reſoluere. dicimus ergo quod Tempus poteſt ad duplicem motum comparari, primo ad motum primi Mobilis, in quo eſt tanquam in ſubiecto, & reſpectu cuius eſt menſura intrinſeca, ſecundò ad diuerſos motus temporalium, reſpectu quorum non eſt menſura intrinſeca, ſed extrinſeca. Si Tempus comparetur ad motum Primi Mobilis, in quo eſt tanquam in ſubiecto, & reſpectū cuius eſt menſura intrinſeca; ſic Tempus realiter identificatur cum Motu; & Nūc Temporis realiter idētificatur cum ſubſtātia Primi Mobilis; quia Tempus realiter nihil aliud eſt niſi ipſe Motus ſecundum prius, & poſterius. ſic Ægid. in 4. phiſ. & in Quæſtionibus de menſura Angelorum, ſecundum quam conſiderationem ſicuti vnus eſt motus, ad quem reducuntur omnes alij motus, ita vnum eſt Tempus, quod eſt idem cum primo Motu.

Tēpus realiter identificatur cū motu Primi Mobilis

Si vero Tempus comparetur ad diuerſos motus rerum temporalium, reſpectu quorum eſt menſura extrinſeca, ſic Tempus realiter diſtinguitur ab huiuſmodi motibus, quia Tempus non eſt menſura intrinſeca reſpectu eorumdem motuum, ſed extrinſeca nec in temporalibus eſt Tempus: ſed Quando, atque adeò Tempus per comparationem ad temporalia non eſt vnū, ſed multiplex ad multiplicationem motuū temporalium.

Accipite doctrinam Ægidij loco ſupra citato. *Et vt per ea, quæ videmus in Tempore, inueſtigemus, quæ ſunt dicenda de Aeuo, dicemus, quod Tempus illud vnum, quod eſt menſura omnium temporaliũ, eſt ſupra omnem rem temporalem, quia eſt in corpore caleſti, quod eſt ſupra omnia temporalia; in ipſis tamen temporalibus non eſt Tempus, ſed Quando; quod ideo eſt, quia propter variabilitatem, quam habent iſta temporalia, numerus prioris & poſterioris repertus in motibus eorum, nõ habet rationẽ menſuræ, & per conſequens non habet rationẽ Temporis, ſed dicitur eſſe Quando, quod idem ſonat, quod eſſe aliquando, & inde eſt, quod ſi Quando poſſet dici Tempus, & poſſet habere rationem menſuræ, & quæreretur nobis, Vtrum eſſet vnum Tempus omnium temporaliũ, diceremus, quod non, ſed tot ſunt Tempora, quot ſunt temporalia: nam ſi loquimur de Tempore, quod eſt menſura extrinſeca omnium temporalium, & quod non ponitur eſſe in aliqua re temporali, ſic eſt vnum Tempus omnium temporalium; ſed ſi loquimur de Tempore, quod eſt in ipſis tẽporalibus, ſic eſt Tempus in quolibet temporali.*

Tẽpus realiter diſtinguitur in motu temporaliũ.

3. Ad Oppoſitas rationes ſic Reſpondetur, ad primã iam patet, quomodo Tempus, & *M*otus ſint vnum, & quomodo ſint plura. Ad ſecundum dicimus, quod Tẽpus: & Motus Primi Mobilis quamuis realiter idẽ ſint; formaliter tamen differunt; & ideo aliqua proprietas poteſt competere vni formaliter ſumpto, quæ competit alteri etiam ſumpto formaliter. Ad tertium Reſpondetur, quod ex ſacra ſcriptura nõ habemus aliud, niſi quod ſol ſtetit; quia tamen tunc Motus Primi *M*obilis, cum quo ponimus Tempus realiter identificari, nõ ceſſauit, ideo nec dicimus Tempus ceſſaſſe. Ad probationem autem dicimus, quod ſicut illa quies ſolis fuit miraculoſa, & ſupernaturaliter, ſic proportio corporũ cæleſtiũ pænes ſuos motus fuit miraculosè reformata. Ad 4. Reſpondetur, quod Tempus non identificatur cum illo motu cum oppoſitam quietem menſurat; nam ceſſante primo motu, ceſſaret etiã Tempus, & ideo Tempus nõ poſſet menſurare quietem oppoſitam primo Motui. Ad Quintũ Reſpondetur, quod Tempus non eſt continuum niſi ratione motus, ſeu in quantum eſt idem cum motu: nam ſecundum ſuũ eſſe

formale cum Tempus ſit numerus, magis eſt quid diſcretum, quam continuum, & propterea ait Philoſophus 6. phiſ. motus habet cótinuationem à magnitudine; Tẽpus vero à motu. Ad 6. dicimus, quod licet menſuratum realiter diſtinguatur à menſura extrinſeca; ſic enim Deus realiter differt à creaturis, reſpectu quarum eſt menſura extrinſeca: non tamen eſt neceſsè, vt menſuratum realiter differat à ſua menſura intrinſeca; nam ad relationẽ menſurati ad mẽſuram intrinſecam ſufficit differẽtia formalis, quę non naſcitur ex diuerſitate rerũ, ſed ex diuerſitate habitudinum: & quia Tempus eſt mẽſura intrinſeca Motus Primi Mobilis, ſed extrinſeca motuum temporaliũ; ideo Tẽpus non diſtinguitur realiter à Motu Primi Mobilis, ſed tantum ab aliis motibus temporalium. Ad vltimum Reſpondet Ægidius in 2. diſt. 2. q. p. in reſponſione ad argumenta dubij 4. quod cum dicitur; quod Tempus eſt paſſio motus, oportet, quod paſſio accipiatur largè; nam ſi Tempus eſt paſſio motus, non poteſt eſſe paſſio niſi illius motus, in quo fundatur; cum ergo fũdetur in primo motu, erit paſſio Primi motus, & quia Tẽpus eſt realiter idẽ quod primus motus, & idem paſſio quod ſuum ſubiectum, quod eſſe non poteſt verum, niſi Paſſio accipiatur largè: dicitur ergo Tẽpus eſſe paſſio motus, quia habitudo Temporis fundatur in habitudine Motus: nam, & ſi eãdem rem dicit Motus, & Tempus: tamen res illa prius habet, quod ſit Motus, & quod ſit actus Mobilis, quã quod ſit Tempus, vel numerus prioris, & poſterioris; fũdatur enim vna inſtar habitudinum in alia, & propterea Tempus dicitur eſſe Paſſio motus, non quod addat rem aliam ſupra motũ, ſed quia addit habitudinem quandam cóſequentem motum, & fundatam in motu.

4 Sed dices. Illa, quę ſic ſe habent, quod vnum poteſt manere, altero realiter non manente, illa non ſunt idem realiter: ſed primum mobile poteſt manere, non manẽte nunc Temporis. ergo &c. probatur hęc minor, quia nunc Temporis non poteſt eſſe ſine Tempore, nec per conſequens ſine Motu: Primum autem Mobile poteſt eſſe, & quandoque erit ſine motu; & per conſequens ſine nunc, & ſine Tempore. Reſpondetur, quod nunc

Temporis eſt idem realiter cum ſubſtãtia Primi mobilis non quomodocunque ſumpta, ſed vt eſt fluens; & vt ſubijcitur motui, & iſto modo non manet ſubſtãtia Primi Mobilis, non manente nunc Temporis.

QVÆSTIO III.

De ſpeciebus, Vnitate, atque Diſtinctione Motus, de quibus Ariſtot. in Quinto Phiſicorum.

DE SPECIEBVS Motus.

DVBITATIO VNICA.

Ad quæ Prædicamenta ſit per ſe Motus?

1 POteſt ſumi Motus in laciſſima ſignificatione, quatenus dicit acquiſitionem nouã cuiuſlibet entitatis realis in ſubiecto, & ſic ad omnia Prædicamenta eſt motus, vt Ariſt. 3. phiſic. tex. 3. & in Methap. text. 19. ſecundo ſumi poteſt magis propriè pro acquiſitione ſucceſſiua alicuius termini per ſe, & hoc modo inquirimus in præſenti, ad quę prędicamẽta ſit per ſe motus?

2 Cui integro quęſito hac vnica Cõcluſione ſatisfaciendum putamus. Ad ſubſtãtiam propriè non eſt motus, ſed mutatio, ſcilicet Generatio. Ad illa vero tria Prędicamenta ſcilicet ad Quantitatem, Qualitatem, & vbi, eſt propriæ per ſe motus, ita vt ad Quantitatem ſit Augmentatio. Ad Qualitatem Alteratio, & ad vbi Motus localis: ſed ad Reliqua Prædicamenta, nec mutatio, nec motus eſt per ſe, ſed tantum per accidens, vt hæc concluſio probetur quoad ſingulas partes, aduertendum eſt, quod ad hoc vt aliquid per ſe terminet motum, plures requiruntur conditiones, quæ ad duas poſſunt reduci, & ex natura motus accipiuntur, cũ enim motus habeat inter contraria verſari, & petat fieri ſucceſſiuè, neceſſe eſt, quod id, quod debet motum terminare, hęc duo etiam debet habere ſcilicet cõtrarietatem, & latitudinem aliquam ſucceſſiuè tranſeũdam per motum, latitudinem quidem, ita vt non conſiſtat in indiuiſibili, alias in momento per-

Cõdictiones requiſitę ad terminãdũ motum.

percurreretur, debet etiam habere contrarietatem non iam; quæ eſt in rigore, & reperitur ſolum in his, quę ſub eodem genere maximè diſtant; ſed ſufficit ea contrarietas, quæ dicit incompoſſibilitatem terminorum; vnde inter calorem remiſſum, & intenſum non datur contrarietas in rigore, ſed incompoſſibilitas terminorum, quia repugnat, calorem remiſſum, & intenſum eſſe ſimul.

4 Ex quo poteſt inferri, quòd ad ſubſtantiam propriè non eſt per ſe motus; quia ſubſtātia nec de ſe habet contrarietatem, nec minus latitudinem, vel ſi alteram ex his habet, hoc non eſt ratione ſui, ſed potius ratione Quantitatis, illam excedentis, vel ratione Qualitatis, cui propriè conuenit habere contrarium, quia igitur ſubſtantia eſt de ſe indiuiſibilis, & non habet contrarium, ideo ad ſubſtātiam potius eſt mutatio, quā motus; Rurſus ad Actionem, & Paſſionem non datur per ſe motus, quia id, in quo datur per ſe motus, debet motū terminare: Actio autē, & Paſſio cum non ſint termini, ſed viæ, non poterunt motum terminare. Vlterius ad Relationem non eſt per ſe motus; quia Relatio, nec habet per ſe contrarietatem, nec minus latitudinem, & ſi habet, non eſt à ſe, ſed ratione fundamenti. Tandem nec eſt per ſe motus ad Situm, cum hoc Prædicamentum nō habeat has conditiones niſi tātum ratione Vbi. Probatur modo, eſſe propriè per ſe motū ad illa tria Prædicamenta ſcilicet ad Quantitatē, Qualitatem, & Vbi; hæc tria Prędicamenta habent omnia requiſita ad terminandum per ſe motum, ergo ad eadē Prædicamēta eſt per ſe motus: conſequentia ſequitur, probatur antecedens, & primo de Quantitate: nam Quantitas habet latitudinē cum de eius eſſentia ſit extēſio, & inter maiorem, & minorem Quantitatem eſt cōtrarietas ſaltem incompoſſibilitatis, non enim idem corpus poteſt ſimul habere Quantitatem quatuor palmorum, & vnius palmi. Probatur deinde de Qualitate: nam hęc habet perfectam contrarietatem, & etiam latitudinem gradualem circa ſubiectum, cum non poſſit ſimul introduci ſine expulſione contrarij. Tandem id idem probatur de vbi; nā hoc continet contrarietatē, quia extrema vbi ſunt ſur-

ſurſum, & deorſum, quæ aliquo modo ſunt contraria; habent etiam latitudinem ſucceſſiuè percurrendā; quia Vbi acquiritur per motum localem; nec poteſt acquiri in inſtanti propter reſiſtentiam medij, ergo ad hæc tria Prædicamenta datur per ſe motus.

4. Sed Obijcitur, quod ad Quantitatem nō fit motus: Ariſt. lib. 5. tex. 23. ait, impoſſibile eſſe, quod aliquid continuo augeatur, ergo ex mente Philoſophi augmentum fit in inſtanti. Reſpondetur; dupliciter poſſe intelligi, quod augmentum non ſit continuum, primo ita vt duret toto tempore continuo, in quo viuit alitum, & hoc modo intelligit Ariſt. eſſe impoſſibile; quod augmentum ſit continuū; quia augmentum ſæpe interrumpitur; alio modo ita vt quando augetur, res non fiat in inſtanti, ſed in aliquo tempore continuo, & hoc modo fit ſucceſſiuè.

5. Obijcies ſecundo, in accretione non generatur noua Quantitas, ſed ſolum Quantitas Alimenti vnitur cum Quantitate aliti; ſed hæc vnio fit in inſtanti, ergo & accretio; maior patet, quia Quātitas eſt coæua Materiæ in ſententia communiori; minor probatur: nam illa vnio fit mediāte indiuiſibili vnitiuo Quantitatis alimenti cum Quantitate Aliti: ſed indiuiſibile producitur in illo inſtanti, in quo vna Quantitas tangit aliam, ergo talis vnio fit in inſtanti, atque adeo ad Quantitatem non eſt per ſe motus propriè ſumptus. Reſpondetur; vnionem vnius Quantitatis cum alia fieri quidem in inſtanti: ſed in Augmētatione nō vniuntur omnes partes Quantitatis alimenti ſimul cum Quantitate Aliti; ſed vna pars poſt aliam; ſicut non ſimul diſponuntur ōnes partes per Alterationem, ſed vna poſt aliam, & propterea non in inſtāti, ſed ſucceſsiuè fit Augmentatio.

DE VNITATE, ET diſtinctione Motus.

DVBITATIONES DVÆ.

Dubitatio Prima. A quo deſumatur vnitas Generica, & Specifica motus?

Dubitatio Secunda. A quo motus deſumat Vnitatem numericam?

DVBITATIO PRIMA.

A quo deſumatur vnitas Generica; & Specifica motus?

1 IN qualibet mutatione, & motu quinque neceſſario concurrũt. ſcilicet terminus à quo, terminus ad quem, Agens, ſubiectum, & Tempus; videndũ eſt modo, à quo nam ex his quinque deſumatur vnitas ſpecifica, & Generica motus?

2 Prima ſententia tenet, Motũ non ſpecificari à Termino ad quem, ſed tantum à termino a quo; primo quia id, quod non eſt, non poteſt tribuere vnitatẽ, vel diſtinctionem ſpecificam; ſed quando eſt motus, non eſt terminus ad quem, ergo &c. ſecundo, Motus ſpecie diſtincti poſsũt habere terminos ad quẽ eiuſdem ſpeciei; ergo &c. probatur antecedens; nam Motus ab albo in fuſcũ denigratur, & quod à nigro infuſcum, dealbatur; ſed dealbatio, & denigratio ſunt ſpecie diſtincti & habent terminos eiuſdem ſpeciei, cũ vterque tendat in fuſcũ, ergo &c. tertio; ſi lapis, & Aer moueatur ad centrũ Terrę, tunc ibi ſunt duo motus ſpecie diſtincti: nã vnus eſt naturalis lapidi, & alter Aeri violentus, & tamẽ habent eundem terminum ad quem.

Opinio tenens motum ſpecificari à termino à quo.

3 Alij volunt, Motũ ſpecificari ab Agente, quia in 3. phiſic. tex. 23. motor ponitur in diffinictione motus; ergo ab Agente ſpecificatur motus 2. Generatio vniuoca, & æquiuoca ſolum differunt penes Agentia, & tamẽ ſpecie diſtinguntur; idem dici poteſt de Generatione Hominis, eiuſque reſurrectione, & de alijs motibus tã naturalibus, quam ſupernaturalibus reſpectu eiuſdem termini comparatis.

Alij aſſererũt ſpecificari ab Agente.

4 Alij dicunt, Motũ ſpecificari tum à termino à quo, tũm à termino ad quem, & à ſubiecto, quia quilibet motus, imo & quęlibet mutatio hæc tria eſſentialiter includit, ergo ab his tribus ſpecificatur; ſecundo, quia naturale, & violentum ſunt cõtraria ex Ariſt. p. cæli, tex. 10. contraria autem ſpecie differunt, ſed naturalitas, & violentia ſumuntur per ordinem ad ſubiectum, ergo &c. denium inquit Ariſt. 5. Phiſic. cap. 4. quod motus magis denominatur à termino ad quem, quam à termino à quo, ſupponit ergo Ariſt. motum etiam denomi-

Alij à termino ad quẽ, & a ſubiecto.

minari à termino à quo, licet minus principaliter.

5 Cæterum noſtra Aſſertio vera, & defendenda eſt, motum non ſpecificari neque ab Agente neque à Termino à quo, ſiue poſitiuo, ſiue priuatiuo, neque à ſubiecto; ſed tantum à Termino ad quem; eſt expreſſa tū Ariſt. hic, tum etiam D. Thomæ in p.p.q.23. art.p. ad 3. vbi hæc ait. *Motus non accipit ſpeciem à termino à quo, ſed à termino ad quem, nihil enim refert, quantum ad rationem dealbationis, vtrum ille, qui dealbatur, fuerit niger, vel pallidus &c.* Eſt etiam Scoti in p. ſent. diſt. 2. q. 7. apud Maſtrium, & Bellut. diſp. 15. q. 7. art. p. Et expreſſius eandem ſententiā docet Ægid. in 4. phiſ. lect. 5. Et in p. ſent. diſt. 13. princip. 2. q. 2. lict. P. & in 2. diſt. 2. q. 5. in reſolutione dubij 5. & clarius in 3. diſt. 33. q. 3. vbi hæc habet. *Actus morales ſumunt ſpeciem ex fine, ſicut motus naturales ex Forma: vnde dicitur in 3. phiſ. text. 13. quod motus eſt in eodem Genere cū calore, & etiam in eadem ſpecie, nam huiuſmodi non eſt niſi quædam calefactio, quæ eſt quidam calor incompletus, & eſt in eodem Genere, & in eadem ſpecie cū ipſo calore.* Et quod motus non ſpecificetur ab Agente; eſt Ariſt. 5. Phiſic. text. 34. vbi loquens de ſpecificatione motus, nõ aſſignat motorem; tum quia eadem forma ſpecifica poteſt à diuerſis Agentibus ſpecie produci, ergo: Et eadem mutatio; (forma enim magis dependet ab Agente, quam mutatio) tum quia motus ex ſe non reſpicit Agẽs; neque *Agens* eſt extremū illius relationis importatæ per motū, ergo motus nõ ſpecificatur ab *Agente.*

Vera ſẽt. Ariſt. D.Tho. Scoti.

AEgid.

Probatur motum nõ ſpecificari ab Agente

6 Secondo probatur, quod Motus nõ ſpecificetur à termino à quo, nec ab illo deſumat vnitatem Genericam. tum primo; quia non ſumit ſuam vnitatem à termino à quo negatiuo, quia quod non eſt, nõ poteſt ſpecificare ens reale. tum 2. quia terminus à quo negatiuus euaneſcit in motu, neq; p ſe intẽditur à natura; vnitas autẽ ſpecifica deſumẽda eſt ab eo, quod manet in motu, & per ſe intenditur à natura. Nec minus ſumitur à termino à quo poſitiuo; quia *Ariſt.* in 5. Phiſ. text. 47. inquit, motum à termino à quo non denominari: ſed à termino ad quem; deinde termini motus ſūt omnino incõpoſſibiles ex Ariſt. 5. phiſ. text. 36. ſed Terminus à quo poſitiuus plura al-

Nec à termino à quo.

bedo remiſſa ſtat ſimul cum termino ad quem ſcilicet cũ albedine intenſa, ergo terminus à quo poſitiuus non erit per ſe terminus motus; & ex conſequenti nullam motus à tali termino poterit aſſumere vnitatem.

7 Tertiò probatur, quod Motus nec à ſubiecto deſumat per ſe vnitatem ſpecificam, quamuis ab illo deſumat vnitatem Genericam; nam idem calor ſpecie eſt, qui eſt in Aqua, & qui eſt in ligno, ergo eadem æductio, & motus erit eſſentialiter ab vtroque ſubiecto: quia ſubiectum immediatius cõcurrit ad formam, quam ad motum.

nec motus ſpecificatur à ſubiecto.

8 Quod tandẽ omnis vnitas ſpecifica motus deſumatur tantum à ſolo termino ad quem; probari poteſt primo ex ſufficiẽti excluſione aliorum. ſecũdo; quia terminus ad quem eſt per ſe intentus in motu, & ad ipsũ motus ordinatur, & ſe habet vt finis: vnde ab eodem termino ad quem denominatur, vt calefactio à calore, ſanatio à ſanitate &c. item à termino ad quem accipit perfectionem, vnde Generatio eſt pfectior alteratione, quia Forma ſubſtantialis, ad quam eſt Generatio, perfectior eſt Qualitate, ad quam eſt Alteratio.

9 Ad Argumenta primæ ſententiæ. Reſpondetur, & ad primum dicimus, nõ eſſe neceſſe, vt id, quod ſpecificatur, exiſtat actu, nam ſciẽtia ſpecificatur extrinſecè ab obiecto non exiſtente, vt cũ habemus ſcientiam de roſa in hieme: poteſt motus ſpecificari extrinſece a termino ad quem non exiſtente. Ad ſecundum negatur antecedens, ad cuius probationem dici debet, quod motus ab albo in fuſcum, & à nigro in fuſcum ſunt re vera motus eiuſdem ſpeciei, quia vtriuſque idem eſt terminus ad quem ſcilicet color fuſcus; & idem terminus à quo ſcilicet Priuatio coloris fuſchi: Albedo ergo, & nigredo ſolum ſunt termini à quibus per accidens. Ad tertiũ Reſpondetur eodẽ modo, quod ſcilicet motus illi reuera sũt eiuſdem ſpeciei, cum vnus, & idem ſpecie ſit terminus ad quem, nam violentũ; & naturale quatenus talia sũt, nõ diſtinguuntur niſi accidẽtaliter, quatenus ex diuerſis principijs procedunt.

Reſpõdetur argumẽtis primæ ſententiæ.

10 Ad primum ſecundæ ſententiæ Reſpondetur; Ariſtotelem ibi enumeraſſe ea, quæ neceſſario concurrunt ad cauſandum motum effectiuè, non tamen ea, quæ

ſpecificant motum. *Ad* ſecundum Reſpondetur, quod ſi Generatio vniuoca ſumitur pro toto progreſſu, quo productum generatur complete, ſic ſpecie differt à Generatione æquiuoca, ſi ſumatur eodem modo; quia diuerſi ſpecie ſunt termini inducti ab illis *Agentibus* in materia: aſt ſi Generatio Vniuoca, & Æquiuoca ſumantur pro introductione vltimæ Formæ, ſic erũt eiuſdem ſpeciei, ſumendo illas in ratione mutationis, & ſolum diſtinguntur per connotationes diuerſorum *Agentium*. Et idem dicendum eſt de Generatione Hominis, & Reſurrectione, & de alijs motibus; differunt enim ſolum extrinſicè non intrinſecè: vel ſumuntur Generationes in ratione productionis, & in hoc ſenſu *Agens* ingreditur ſaltem ex conſequenti ſpecificationem Earum; non vero in ratione mutationis; & hoc modo poſſunt intelligi omnes illæ doctorum authoritates, quibus oſtenditur, *Agens* concurrere ad ſpecificationem motus, intellige de motu, quatenus habet rationẽ *Actionis*, ſeu productionis, nõ quatenus eſt trãſitus de vno termino ad alium. *Ad* Primum tertiæ ſententiæ Reſpondetur, non eſſe verum, quod quodlibet ſpecificatur ab eo, quod ingreditur in ſuo conceptu eſſentiali: ſed id ſolum eſt ſpecificatiuum alterius, quod ſe habet, vt determinans: vnde & ſi Materia ſit de Intrinſeco conceptu cõpoſiti phiſici, nõ tamẽ materia ingreditur ſpecificationẽ cõpoſiti cũ tota cõpoſiti ſpecificatio proueniat à Forma: ſubiectũ ergo eſt minus comune, & poteſt recipere plures motus non ſolum numero, vel ſpecie diſtinctos, ſed etiã genere; ideoque vnitas generica poteſt aliquo modo ab ipſo deſumi; ſed non ſpecifica; Nec terminus à quo poteſt ſpecificare motum; cũ Terminus à quo ſit nõ ens, & ſolum concurrat recedendo: adde, quod Priuationes ſpecificantur à Formis, quibus opponuntur, ex quo inferri debet, quod tota ſpecificatio ad ipſam Formam eſt reducenda. *Ad* tertiam dicimus, quod naturale, & violentum reduplicatiuè ſunt vtique contraria, & ſpecie diſtincta, ſed non ſpecificatiuè, & ſimpliciter, quia naturalitas, & violentia accidunt motui, ſicut Quantitati accidit rectum, & circulare. *Ad* vltimum, Reſpondetur, *Ariſtotelem* ſumpſiſſe

Soluuntur argumẽta ſecũdæ ſẽtẽtiæ.

ly magis pro ſimpliciter, ita vt fuerit sēſus, quod motus ſimpliciter denominatur a termino ad quem, & nullo modo a termino à quo, vt patere poteſt ex exemplis ab eodem philoſopho adductis ibid. tex. 46. de ſanatione, & ægrotatione, quæ nullo modo denominantur à terminis à quibus.

DVBITATIO SECVNDA.

A quo nam motus deſumat Vnitatem numericam?

1 TOta difficultas eſt de Mobili, ſeu de ſubiecto motus, an ſcilicet ad vnitatem numericam motus concurrat aliquo modo ipsū mobile, quod eſt ſubiectum motus? & ratio dubitandi eſt, quia vnus numero motus poteſt eſſe in duobus numero ſubiectis; imo in duobus ſubiectis ſpecie diſtinctis; ergo motus non ſumit vnitatem numericam à ſubiecto mobili, conſequentia tenet, probatur antecedens; quia ſi Homo caderet ex alta turri, & in medio lapſus moreretur, tunc ibi eſt vnus numero motus localis: ſed ibidē ſunt duo ſubiecta numero, & ſpecie diſtincta, ſcilicet Homo, & Cadauer, ergo vnus numero motus eſt naturaliter in duobus ſubiectis numero, vel ſpecie diſtinctis maior patet; quia ille motus non diſcontinuatur aliqua quiete: nam non datur aliquod Tempus, in quo Homo in Aere quieſcat; eſt ergo ibi vnus numero motus continuus.

2 Nihilhominus dicendū nobis eſt cum Ariſt. in hoc 5. Libro; & cū comuni Philoſophorum conſenſu; quod ad vnitatem numericā motus requiritur vnum numero mobile, ſeu ſubiectum, vnus terminus ad quem, & vnum numero Tempus; ita vt altero ex his variato, iam non erit idem numero motus; ita Ægidius in Quolib. 4. q. 9. Et quod requiratur vnum numero ſubiectum. patet, quia, vnum numero accidens nequit eſſe in duobus ſubiectis totalibus numero diſtinctis: ſed motus eſt accidens, ergo nequit eſſe in dupplici ſubiecto: ſed ſi multiplicantur ſubiecta, etiā motus multiplicabitur numero; probatur etiam, quod requiratur vnus numero terminus ad quē, quia diſtincti termini ad quos diſtinctas poſtulant Actiones, ergo diſtinctos motus; cōſequentia patet, quia motus Actionē includit. Probatur tandem de Tempore: nā Tempus eſt

pro

proprietas: & menſura motus: ſed multiplicatis proprietatibus debet etiã multiplicari ſubiectum, ergo ſi Tempus multiplicabitur numero, etiam motus erit multiplex numero.

3 Ad Rationem dubitandi dicimus, quod quamuis omne accidens inhæreat toti compoſito, accidens tamẽ quod ſequitur compoſitum ratione Materiæ, manet idẽ in re genita, & corrupta, quia Materia eadem eſt in Genito, & Corrupto, & quia motus eſt accidens, quod ſequitur compoſitum ratione materiæ, ideo in caſu argumenti non erit dupplex numero motus; ſed vnus tantum, ſicuti vna eſt Materia Hominis viui, & mortui. Ita Ægid. vbi ſupra.

QÆSTIO IV.

De Compoſitione cõtinui, atque Inceptione, & deſitione rerum, de quibus Ariſt. in ſexto Phiſicorum.

DE PARTIBVS Integrantibus continuum.

DVBITATIONES TRES.

Dubitatio Prima. V. Continuum ſit compoſitum ex ſolis Indiuiſibilibus?

Dubitatio Secunda. V. Continuum ſit cõpoſitum ex ſolis partibus diuiſibilibus?

Dubitatio Tertia. V. Continuũ ſit diuibile in ſemper diuiſibilia?

DVBITATIO PRIMA.

V. Continuum ſit compoſitũ ex ſolis Indiuiſibilibus?

1 FVit ſententia Stoicorum, quibus prefuit Zeno, negantium omnino exiſtentiam partiũ diuiſibilium in continuo, & aſſerentium continuum cõponi tantum ex indiuiſibilibus, lineam ſcilicet ex ſolis punctis, ſuperficiem ex ſolis lineis, & Tempus ex ſolis Inſtantibus: cuius ſententiæ fundamenta ſunt huiuſmodi. Primo quia Philoſophus in primo Poſter. ait: de per ſe eſt, quod ſubſtan-

ſtantia triãguli fit ex lineis, & quod ſubſtantia lineæ ſit ex punctis: ſed res componitur ex his, ex quibus eſt ſua ſubſtantia, ergo &c. ſecundo Principia Quãtitatis diſcretæ ſunt vnitates, ergo principia Quantitatis continuæ ſunt pũcta: ſed vnumquodque ſicut reſoluitur in ſua Principia, ſic componitur ex illis, ergo &c. Tertio. ſi ſphericum ponatur ſupra corpus perfectè planum, tãget in puncto, ergo ſi mouebitur per planum, cauſabit lineam compoſitam ex pũctis. 4. ſi in Quantitate continua admittantur plures partes diuiſibiles, tunc Quantitas continua non differret a Diſcreta, quia omnis multitudo eſt ratio Quantitatis diſcretę, & numerum conſtituit. quinto. ſi in cõtinuo cõſtituantur plures partes, illę deberent poni actu diſtinctę, quod dici non poteſt abſque manifeſto periculo incidendi in eaſdem difficultates, ac ſi poneremus eas actu diuiſas; Nam ſicuti partes ſi forent actu diuiſæ, tunc vna non includeret aliã, ac proinde continuum reſolueretur in Indiuiſibilia; ſic ſi ponãtur omnes partes actu inter ſe diſtinctę, vna non includeret aliam realiter, præter quam quod ſi partes in continuo ſunt actu inter ſe diſtinctę, iam nulla pars manet amplius diſtinguibilis in plures, atque ita nec diuiſibilis, quia diuiſibilitas fundatur in diſtinctione. 6. ſi partes continui ſunt plures in actu ab inuicem diſtinctæ; ergo continuum nõ eſt ens per ſe vnum, ſed potius per accidens.

2 Ægidius in p. de Gener. q. 8. & in p. ſent. diſt. 27. q. 3. & cum eo omnes Peripatetici præſertim Scotus in 2. diſt. 2. q. 9. apud Maſtrium & Bellutum diſp. 9. q. 2. art. 2. & 5. Aſſerunt, nullum cõtinuum eſſe compoſitum ex ſolis Indiuiſibilibus, ſed prẹter Indiuiſibilia tam cõtinuatiuá, quam terminatiua eſſe in continuo partes diuiſibiles: & ita expreſsè docet Ariſt. in 5. methap. ca. 13. Probatur autem hæc ſententia ab Ægidio, quia ſicut diuiſibile per omnem modum ſemper diuiditur in partes diuiſibiles per omnẽ modum; ita Indiuiſibile per omnem modum non poteſt componere diuiſibile; eo igitur modo quo aliquid eſt diuiſibile, ſic diuiditur in partes diuiſibiles, & eo modo, quo aliquid eſt indiuiſibile, ſic diuiſibile non conſtituit: quia ergo puncta ſunt Indiuiſibilia per omnem modũ, quia — AEgid. probat veram ſẽtẽtiá.

ideo nullo modo conſtituunt magnitudinem; Aſt corpora, quia ſūt diuiſibilia per omnem modum, ideo non reſoluuntur niſi in partes omnino diuiſibiles; loquendo de reſolutione Quantitatiua, nam in reſolutione eſſentiali aliter dicendum eſt: & propterea corpora ſolum in corpora diuiduntur, ſuperficies vero, & linea quia ſunt aliquo modo diuiſibiles, & aliquo modo indiuiſibiles, ſecundum eam rationem ſecundum quam ſunt diuiſibiles, poſſunt cōponere diuiſibile; linea ergo ſi addatur lineæ ſecundū longitudinem, tunc efficit aliquod maius, quia linea ſecundum longitudinem diuiſibilis eſt; ſed ſi fiat talis additio ſecundum latitudinem, vel ſecundum profunditatem, tunc nullam maioritatem poteſt efficere, quia linea ſecundum latitudinē, & profunditatem indiuiſibilis eſt omnino.

Cur Indiuiſibile appoſitū ſupra aliud nō facit maioritatem.

3 Ratio autem quare indiuiſibile additum alteri, nō efficit maius, eſt, quia additum ideo facit maioritatem cum eo, cui additur, quia additum non attingitur totum ab eo, cui additur; lapis enim ideo poſitus ſupra lapidem, facit maiorem magnitudinem, & per continuā appoſitionem lapidum non completur ædificium, quia vnus lapis non attingit alium ſecundum ſe totum, ſed ſolum ſecundum ſuperficiem; ſi enim lapis poſitus ſupra alium, attingeretur ſecundum totum, ita quod de lapide appoſito nihil ſuperſſet extra lapidem, cui apponitur, tunc talis appoſitio nō faceret maiorem magnitudinem; cum ergo Indiuiſibile ſecundum quod huiuſmodi careat partibus, & cum attingitur, attingitur totum; ideo additio Indiuiſibilis ſupra aliud non facit maioritatem.

Soluuntur argumenta Stoicorum.

4 Ad Primam rationem in contrarium Reſpondetur; Philoſophum ibi accipere ſubſtantiam pro quidditate, & quia lineæ ingrediuntur diffinitionem eſſentialem trianguli, cū Triangulus ſit figura plana tribus lineis rectis contenta, & puncta ſimiliter ingrediuntur quidditatem, & diffinitionem eſſentialem lineæ, quia linea eſt longitudo ſine latitudine; cuius extrema ſunt duo pūcta, ideo ſequitur, quod ſubſtantia ſuperficiei triangularis eſt ex lineis, & ſubſtantia idest quidditas lineæ eſt ex punctis nō quantitatiuè, ſed eſſentialiter, & quidditatiuè. Ad ſecundum Reſpō-

detur, quod puncta ſunt quidem principia lineæ, non quod linea cõponatur quantitatiuè ex punctis, ſed quia complent diffinitionem, & quidditatem lineæ, & hoc ſufficit, vt ſint pricipia lineę.

5 Ad tertium concedendo in naturalibus verè ſphericum, & verè planum, & concedendo pariter non ſolum tactum eorum in puncto, ſed etiam ex motu ſpherici ſupra planum cauſari lineam, non proptereà cõcedere debemus, lineam conſtare ex ſolis punctis: ſed ſemper linea conſtat ex lineis, quia, vel ſphera conſideratur, vt quieſcit in plano, vel vt moueatur ſupra illud: ſi vt quieſcit, ſemper tangit planum in puncto; quia quieſcendo, cum non cauſet lineam, ſic quod ex tactu ſpherici quieſcentis non ſequatur, lineam eſſe compoſitam ex punctis: ſi verò ſphericum conſideratur, vt mouetur ſupra planũ; tunc vel mouetur in inſtanti, vel in tempore: ſi in inſtãti, etiam tanget in puncto, quia motui inſtantaneo non poteſt correſpondere niſi inſtans in duratione, & punctum ſeu Indiuiſibile in ipſo Mobili: Aſt ſi ſphericũ moueatur ſuper planum in Tẽpore, ſic non tãgit niſi lineã, quia motus nõ męſuratur in inſtanti, ſed Tempore, & quia motus ille facit lineam, ideo ſphera mota nõ cauſabit lineã, quatenus tãgit planũ in puncto, ſed quatenus attingit ipſum in linea: & ſic linea erit compoſita non ex punctis, ſed ex lineis.

Soluitur obiectio deſferi co ſupra planum.

6 Sed contra hanc reſponſionem vrget valdè ſequens inſtantia. ſi ſphericum moueretur ſuper planum, vertendo ſe; vtique ſaluari poſſet, quod linea cauſata ex motu ſpherici ſe vertentis nõ eſſet compoſita ex punctis: ſed ponamus, quod ſphericũ manens ſupra vnum, & idẽ punctum, non vertendo ſe, moueatur ſupra planũ, tunc quia ſphericum in toto illo motu ſemper tangit planum in puncto, ſequitur, quod ex tali motu cauſabit lineam compoſitam ex ſolis punctis. Sed reſpondetur, quod licet Indiuiſibile non ſit diuiſibile, fluxus tamen cauſatus ab Indiuiſibili, benè poteſt eſſe diuiſibilis: nam inſtans eſt quidem Indiuiſibile; ſed ſuo fluxu cauſat Tempus, quod vtique eſt diuiſibile. Ad propoſitum ergo ſi ſphericum exiſtens ſupra vnum, & idem punctum non vertendo ſe, moueretur ſupra planum, tunc quidem ſemper tangeret planum in puncto: ſed linea cauſata ex illo

Inſtãtia contra reſponſionem.

Euacuatur inſtantia.

lo fluxu pūcti nō cōponeretur ex pūctis; ſed potius ex partibus diuiſibilibus: ſicut quā uis de Tempore non exiſtat niſi inſtans, ex fluxu tamen inſtantis cauſatur Tempus, quod proculdubio eſt diuiſibile; in illo ergo motu ſpherici ſupra planum eſt conſiderare duo; ſcilicet punctū, & fluxum puncti. Iuxta punctum attenditur mutatū eſſe; ſed ſecundum fluxum attēditur moueri, & ſicut mutatum eſſe menſuratur inſtanti; ita moueri menſuratur Tempore; & quia linea illa non eſſet cauſata ex mutatis eſſe, ſed ex moueri, ideo non eſſet compoſita ex ſolis Indiuiſibilibus: ſed ex partibus diuiſibilibus: nam moueri diuiſibilitatem dicit.

7 Sed contra hoc fortius vrget noua Inſtantia; In linea poſt vnum punctum immediatè ſequitur aliud, ergo linea eſt compoſita ex ſolis punctis. probatur antecedēs; diuidatur linea in duas partes, & illæ duæ partes lineæ interciſę cōtiguentur ſimul, ita vt ſicut prius erant continuę, ſic poſtea fiant contiguæ: tunc vel inter eas erit ſignare duo puncta, quibus ſe tangant? vel non? hoc ſecundum dici non poteſt, quia ſemper linea eſt inter aliqua duo, & ſemper ex omni parte habet lineę ſuum punctum terminatiuum; ſi dicatur primum, quæro, vtrū prius quando erant cō unuę, erant inter eas duo puncta ſimul; vel non? ſi dicatur ſic, habetur intentum, quod ſcilicet in linea poſt vnum pūctum immediatè ſequitur aliud; ſi dicatur, ibi fuiſſe vnum tantum punctū; illudque poſtea fuiſſe diuiſum in duo puncta, contra hoc eſt, quia Indiuiſibile in quantum Indiuiſibile non poteſt diuidi, ergo pūctum, quod eſt ſimpliciter indiuibile, nullo modo diuidi poteſt, ergo potius quādo linea erat cōtinua, tūc puncta erant ſimul, & vnum immediatè poſt aliud. Reſpondetur cum Ægidio in lib. p. de Gener. q. 9. ad ſecundū, quod ſecundum Philiſophum 4. phiſ. tex. 196. cum linea diuiditur, tunc vnum punctū fit duo puncta, nō quod pūctum per ſe diuidatur: cum punctum ſecundum ſe ſit Indiuiſibile omnino, ſed pro tanto dicitur, quod facta diuiſione lineæ in duas partes, tunc vnum punctum fit duo puncta, quia non eſt dare lineam ſine proprio continuatiuo, & termino, atque adeò apparent ibi duo pūcta, cum ergo fit diuiſio partium lineæ, fit ex conſequēti,

Vrget noua inſtantia.

Euacuatur inſtantia.

ti, & quaſi per accidens generatio punctorum, & quia illa diuiſio fit ſuper vno puncto, ideo dicitur, quod vnum punctum fit duo puncta. Et poteſt ad huius rei maiorẽ declarationem adduci exemplum; nam in medio corpore non eſt color, cum hic ſolum ſit in ſuperficie; ſed cũ diuiditur Corpus, quia eſt ibi Generatio ſuperficierũ, ideo ad generationem ſuperficierum ſequitur etiam generatio colorum: argumentum igitur non probat, eſſe in linea duo puncta ſimul, ita vt vnum ſit immediate poſt aliud, ſed ſolum arguit, quod ad diuiſionem lineæ fit ibi generatio plurium punctorum per accidens tamen, quatenus in vno puncto fit ſeparatio partium lineæ, ad quas ſequitur pluralitas, & generatio plurium punctorum.

8. Ad quartum argumentum negandum eſt antecedens, quod ſi in cõtinuo admittantur partes diuiſibiles, tunc Quantitas continua nõ differet à diſcreta; nam falſum eſt, multitudinem partium eſſe rationem propriã Quantitatis diſcretæ, cum potius ſit ratio Quantitatis in comuni, & vna ab altera diſtinguatur p. habere proportionem adinuicem, vel non habere. Ad Quintum concedimus, partes cõtinui & eſſe plures, & eſſe actu diſtinctas: ſed negatur ex hoc, eaſdem difficultates euenire, ac ſi ponerentur diuiſæ; quia cũ diſtinctione vnius ab alia adhuc ſtat incluſio iſtius in illa, & pars includens dicitur diſtingui ab incluſis diſtinctione inadequata, quæ propriè verſatur inter includẽs, & incluſum: diuiſio autem omnem incluſionem excludit, vt de ſe patet: negatur etiam ex hoc, quod partes ponantur actu diſtinctæ, ſequi, eas eſſe indiuiſibiles, potius enim ſequitur, eſſe diuiſibiles, quia diuiſibilitas fũdatur non indiſtinguibilitate, ſed in actuali diſtinctione partium: & potius ſi non eſſent realiter diſtinctæ, tunc forent indiuiſibiles, quia quę ſunt realiter idem, ſeparari non poſſunt.

Ad vltimum Reſpondetur, quod licet in continuo ſint plures partes actu diſtinctæ, illę tamẽ ſunt copulatæ termino comuni, & hoc ſufficit, ad hoc vt continuum ſit per ſe vnum, & non ſimpliciter ens per accidens.

(§) ✠ (§)

DVBITATIO SECVNDA.

V. Continuum ſit compoſitum ex ſolis Partibus Diuiſibilibus?

1 PRima ſententia negat Indiuiſibilia in Continuo; vultque continuum eſſe compoſitum ex ſolis partibus diuiſibilibus. Ita Nominales, quos ex Recentioribus ſequuntur Auerſa, q. 22. ſect. 4. Fonſeca 5. meth. cap. 13. q. 6. ſect. 4. Conimb. 6. phiſic. cap. 1. q. p. art. 4. & alij. probatur autem hęc ſententia primo, authoritate D. Aug. in lib. de Quantitate Animę cap. 10. vbi volens oſtendere, Animam in corpoream eſſe, probat ex hoc, quod iſta Indiuiſibilia intelligit, quæ sũt in corporea. ſicque ait. *Nã ſola longitudo non niſi intelligi Anima poteſt, in corpore inueniri non poteſt.* & 7. ſuper Geneſ. cap. 17. inquit, quod ſi Anima eſſet corporea nullo modo poſſet cognoſcere tales lineas. 2. authoritate Philoſophi 8. Meth. tex. 18. vbi faciens mentionem pũctorum, ſic ait. *vt pote puncta ſi ſint quidem.* ex quo loco videtur colligi, Ariſt. loqui de Indiuiſibilibus velut ex ſuppoſitione; (ſi dẽtur). Et 3. meth. 17. aſſerit, ſuperficies, lineas, & puncta ſolum eſſe in potẽtia in Corpore, ſicut Mercurius in rudi lapide, & p. meth. tex. 43. docet contra Platonem, magnitudinem non conſtare ex ſuperficiebus, lineis, & punctis, per hoc autẽ noluit aſſereré, magnitudinẽ non conſtare ex ſolis Indiuiſibilibus, quia nec hoc Plato aſſerebat. ſed abſolutè, voluit illa negare, & 3. de Anima tex. 15. ait, punctum negatiuè congnoſci. Secũdo hæc eadem ſententia negans Indiuiſibilia in continuo, probatur ratione, deſumpta ex Gregorio Arimin. qui ſic arguit. aut pręter ſingula, & omnia pũcta collectiuè sũpta in linea eſt; & mediat aliquid, vel nihil? ſi nihil, ergo continũ componitur ex ſolis Indiuiſibilibus: ſi primum, tale erit diuiſibile, & extenſum abſque pũctis, alioquin præter ſingula, & omnia puncta daretur punctum, quod eſt falſum, ergo ſi datur pars lineæ continuã ſine pũctis, tota erit ſine pũctis. Tertio; quia partes, & Indiuiſibilia realiter diſtinguntur. ergo ſaltem de potentia Dei ſeparari poſsũt; deſtruat igitur Deus vel omnia pũcta, remanentibus partibus, vel omnes partes, remanentibus punctis in eodem ſitu, vbi

Nominales negant Indiuiſibilia in cõtinuo

vbi prius: vel tunc inter illa puncta aliquod mediat ſpatium, vel nullum? ſi ſecundum; ergo puncta erunt immediata, ſi primum, ergo partes illæ ſpacium occupantes, non habebant puncta, aliter non remanſiſſent omnia puncta, & tamen erant continuæ, ergo. 4. non poteſt aſſignari, in quo ſubiecto ſubiectentur indiuiſibilia. hæc enim cum ſint accidentia, debent inhæſſe, vel ergo ſubiectum pūcti eſt aliquod diuiſibile, vel Indiuiſibile? ſi primum, vt videntur velle Conimbric. cap. 2. q. p. art. 3. ad ſextum, contra hoc eſt, quia tunc punctum eſſet extenſum ſaltem virtualiter, ſicut eſt Anima rationalis, quod eſt falſum, probatur ſequela, quia omnis informatio fit per penetrationem *Formæ* cum ſubiecto, ergo ſi punctum eſſet in ſubiecto diuiſibili, eſſet cum illo penetratum, & conſequēter, vel formaliter extēſum, vel ſaltem virtualiter. neque ſecundum poteſt admitti, quod ſcilicet ſubiectū puncti ſit indiuiſibile; nam hoc neceſſario eſſet ſubſtantiale, quod eſt falſum. Quinto indiuiſibilia nihil iuuant, ergo non ſunt ponenda; probatur antecedens, quia non inſeruiunt propter contactum; nám nequit aſſignari, quid immediatè tangat indiuiſibile in continuo, non enim aliud indiuiſibile, quia non datur immediatum; nec partem, quia indiuiſibile nequit alicui diuiſibili exiſtere, ad quid ergo indiuiſibilia deſeruiunt?

2 Verior tamen ſententia negat, continuum eſſe compoſitum ex ſolis partibus diuiſibilibus, & aſſerit, verè, & propriè in continuo eſſe indiuiſibilia ſimul cū partibus diuiſibilibus. Eſt Ariſt. in 5. meth. cap. 13. Scoti in 2. diſt. 2. q. 9. apud Maſtrium, & Bellutum diſp. 9. q. 2. art. 2. & 5. Ægidij tūm in pręſēt. diſt. 27. q. 3. vbi quærit, an Angelus moueatur in tempore, vel in inſtanti? tum etiam in primo de Generat. q. 8. & 9. probatur autem primo ex diffinitione continui, de cuius intrinſeca ratione eſt, vt eius partes copulentur termino comuni, ideſt indiuiſibili. ſecundo quod in cōtinuo ſint partes diuiſibiles, id ex eo poteſt ſufficiēter oſtendi, quia continuum non eſt compoſitū ex ſolis indiuiſibilibus, vt in pręcedenti dubitatione probatum eſt; ergo in continuo ſunt partes diuiſibiles. Quod

Vera ſētētia docet in cōtinuo eſſe diuiſibilia cum Indiuiſibilibus.

vero in continuo nõ ſint tã-tum partes diuiſibiles, ſed cum partibus diuiſibilibus ſint etiam ſimul indiuiſibilia tum terminatiua, tum etiam continuatiua, & à partibus realiter diſtincta, probatur ex eo, quia ablatis indiuiſibilibus a continuo, iam non remanebit cõtinuum, vt patet ex differentia inter continuum, & diſcretum. Sed magis confirmabitur hæc noſtra vera ſentẽtia ex ſolutionibus in contrarium.

3 Ad Primum Nominaliũ ex authoritate *Auguſtini* Reſpondetur; D. Auguſtinũ nõ negare indiuiſibilia, quia ibi docet, poſſe Intellectum illa concipere; quia corpus illis non caret, & cap. 11. & 12. docet, lineã à punctis terminari. & in lib. 11. confeſſ. cap. 16. expreſsè admittit in tempore momentum, & præſens indiuiſibile: ſed negat ibi puncta, & lineas in corpore reperiri, vt à ſenſibus cognoſcibilia, cũ ſola corporea percipiantur à ſenſu: vnde ſi Anima corporea eſſet, nullo modo poſſet illa indiuiſibilia apprehendere. Ad primam authoritatẽ Ariſt. dici poteſt, quod ſecundum lectionem Argiropoli loco illius particulæ (*ſi ſint quidem*) ſic legitur, (vt puncta ſi quidem ſunt). vel ad niſſa lectionem comuni, ex ea nihil aliud ſequitur, niſi quod Ariſt. loquatur conditionaliter; neq; ex hoc Auerſa debet inferre, quod Ariſt. fuit dubius de punctorum exiſtentia, cum ſemper reſolutè loquatur de illis, quando ex inſtituto aliquid de eiſdem quærit. Ad 2. Authoritatem ex 3. methaph. dicimus, non loqui de continuatiuis actu, ſed quæ terminare poſſunt, & huiuſmodi in potentia ſunt, & ad actum reducuntur per diuiſionem. Ad tertiam ex p. methaph. dicimus, Ariſtotelem improbare Platonem, ponentem diuerſa eſſe principia cõſtituentia lineã, à Principijs conſtituentibus ſuperficiem; & iſta pariter eſſe diuerſa à principijs cõſtituentibus corpus; vnde arguit, quorum Principia sũt diuerſa, & ipſa ſunt diuerſa, ergo nequit linea eſſe in ſuperficie, neque ſuperficies in corpore, quia diuerſa ſunt; Philoſophus ergo non negat indiuiſibilia, ſed ex poſitione Platonis deducit abſurdum, dicens; at quomodo habebit aut Planũ lineã, aut ſolidum lineam, & Planum? Ad 4. ex 3. de Anima. Reſpondetur, ibi Ariſt. comparare punctum nigredini, & malo, quorum primum

Soluuntur rationes in contrarium

eſt

eſt poſitiuum, ſecundum vero negatiuum, quæ comparatio non eſt quo ad entitatem, ſed quo ad cognitionem; nam vnum contrariũ per priuationem alterius cognoſcitur.

4 Ad Rationes deſumptas ex Greg. Arim. Reſpondetur, & ad principale, quod erat ſecundum argumentum in ordine, dicendum eſt, quod antecedens poteſt habere dupplicem ſenſum, vel ſcilicet quod omnia puncta ſint ſeparata, & diſtincta in continuo à partibus non ſolum in entitate, ſed etiam ſitu, & hoc eſt falſum, vel quod iſta puncta ſint cum partibus, quas continuant, permixta, & ſic eſt verum, ſed tunc ad Argumẽtum dicimus, quod præter omnia puncta ſunt partes in continuo, quæ diuiſibiles ſunt, & continuę, & extenſę, includentes illa omnia puncta, à quibus eſſentialiter dependent, quatenus ſunt continuæ.

Satisfit Gregorio Arimin.

Ad tertium aliqui reſpõdent, indiuiſibilia eſſe talis exiguæ entitatis, vt per Dei potentiam abſolutam nequeant exiſtere ſeparata à partibus. Sed Probabilius dicendum eſt cum Suario, nõ poſſe omnia puncta à partibus ſeparari, licet poſſit quodlibet in particulari ſeparari; eo quia partes; quæ debent deſtrui à Deo, ſunt extenſæ, propter quod aliqua pũcta continuatiua debent deſinere ad deſitionem partium, & quamuis puncta diſtributiuè à partibus lineæ in exiſtendo non dependeant, collectiuè tamen dependent à partibus lineę; quia linea cum ſit non ſolũ extenſa, ſed etiam continua, quando deſtruitur, non ſolum deſtruitur extenſum, ſed etiam cõtinuum, atque adeò deſtruitur aliquid includens puncta. Ad quartum Reſpõdetur, admittendo ſecundũ, quod ſcilicet indiuiſibilia ſubiectentur in indiuiſibilibus ſubſtantialibus, nã etiã ſubſtantia vt ſubiecta Quãtitati, habet ſuas partes extenſas extenſione ſecundum modum, vt pluries docuimus cum Ægidio ſuis locis; & cum Ariſtoteles 8. meth. tex. 15. inquit, (Prædictorũ indiuiſibilium nulla eſt ſubſtantia) Reſpondetur ibi Ariſt. loqui de indiſibilibus quantitatiuis, quę quidẽ nõ ſunt ſubſtantialia.

Ad quintum Reſpondetur, indiuiſibilia eſſe neceſſaria propter contactum, cum autem petitur, quid indiuiſibile immediatè tãgat. dicimus, quod diuiſibile eſſe immediatum indiuiſibili, ſtat dup-

duplicitet, primo quod ſecũdum ſe totum eſt cum indiuiſibili ſtatim, ſeu poſt indiuiſibile, ſecundo quod inter ipſum ſecundum ſe totũ, & indiuiſibile nihil mediat. primo modo diuiſibile non tangit, nec eſt immediatum Indiuiſibili, quia nihil ſecũdum ſe totum ſequitur indiuiſibile; ſed ſecundum partẽ priorem, & poſteriorem: ſed ſecundo modo verum eſt; quia inter indiuiſibile, & partem diuiſibilẽ nihil mediat: iſte autem contactus, ſeu Immediatio indiuiſibilis cum parte diuiſibili non eſt per exiſtentiã, quaſi quod aliqua pars, ſiue determinata, ſiue indeterminata ſecũdum ſe totam ſit ſimul cum indiuiſibili, ſed contactus eſt per quandam iuxta poſitionem, quia poſt partem immediatè ſequitur punctum.

DVBITATIO TERTIA.

V. Continuum ſit Diuiſibile in ſemper diuiſibilia.

1 RAtio dubitãdi eſt, quia quodlibet finitum per abſciſſionem finiti ab ipſo, finitur, vt inquit Philoſophus p. phiſ. tex. 38. cum ergo Continuum, de quo hic loquimur, ſit finitum; per cõtinuam abſciſſionem partis finitæ ab eo, finietur, & conſumabitur, igitur illa diuiſio non ibit in infinitum. deinde ſi continuum eſſet diuiſibile in infinitũ, tunc eſſent in eo infinitæ partes Quantitatiuæ, ſed infinitę partes Quantitatiuæ quantumcunque minimæ redunt totum infinitum Continuum, ergo illud Continuum ſic diuiſibile eſſet potius infinitum, & non finitum. Proponitur ratio difficultatis.

2 Veritas tamen ſubſtinẽda eſt, Continuum eſſe diuiſibile in ſemper diuiſibilia. eſt comunis, & pręcisè eam docet Ægidius in p. de Gener. q. 10. quæ vt probetur, Not. eſt, quod Continuum eſſe diuiſibile in infinitum, ſtat dupplicitet, primo in eo, quod Corpus naturale, ſecũdo in eo, quod Continuum. in eo, quod Corpus naturale ſic non eſt diuiſibile in infinitum, imo eſt deuenire ad aliquid, quod ſecundũ quod huiuſmodi non eſt vlterius diuiſibile, & ſi contingeret ipſum vlterius diuidi, expoliaretur à natura ſua, nam datur minima Caro, minima Aqua &c. Sed Corpus continuum in eo quod continuum diuiſſibile eſt in ſemper diuiſibilia; & ſic diſtinguendũ eſt de partibus continui, quia partes illæ, in Nota.

quas diuiditur totum, vel accipiuntur ſecundum eandem Quantitatem, vel ſecũdum eandem proportioné? ſi accipiuntur primo modo, ſic diuiſio continui non vadit in infinitum, quia à tanto corpore, quantum eſt totum Vniuerſum, poſſet toties accipi Quantitas vnius grani milij, quod tandem conſumabitur, & finietur: & ſecundum hoc procedit authoritas Philoſophi ſupra adducta; ſed ſi partes accipiãtur ſecundo modo, ità vt accipiantur ſecundũ eandẽ proportionem, ſic continuũ eſt diuiſibile in infinitum; nam poteſt diuidi continuũ in duas medietates, & vna illarum medietatum in duas alias medietates, & ſic in infinitum: ſic etiam poteſt diuidi in tres tertias, vel in quatuor quartas, & vna illarum tertiarum in alias tres tertias, vel vna illarum quartarum in quatuor alias quartas, & ſic in infinitum;

3 Qua adnotatione præmiſſa, probatur conclusio. Quodlibet continuum nunquã poteſt diuidi in partes indiuiſibiles, ergo quodlibet continuum eſt diuiſibile in ſemper diuiſibilia: antecedens conſtat ex præcedentibus. probatur conſequentia, quia ſi quodlibet continuum nunquam diuiditur in indiuiſibilia, ergo ſemper diuiditur in partes diuiſibiles, ita vt quælibet pars diuiſa vlterius ſit diuiſibilis in alias, ergo nunquam deuenitur ad indiuiſibilia.

Proba-tur aſſertio.

4 Ad Primam rationem dubitandi Reſpõdetur, quod continuum finitum per abſciſſionem partium ſecundũ eandem Quantitatem poteſt finiri, quia ſecundum hanc rationem diuiſio non vadit in infinitum: ſed ſi conſiderentur partes continui, ſecũdum eãdem proportionem, non poteſt finiri, quia ſic diuiſio vadit in infinitũ. Ad ſecundum Reſpondetur, quod illæ partes non ſunt actu diuiſę, ſed in potentia, idest ſunt diuiſibiles, & propterea non ſequitur, continuum eſſe infinitũ ſimpliciter, ſed eſſe infinitum ſecundum diuiſionem in potentia, quod verum eſt, & concedi poteſt: An autem talis diuiſio potentialis cõtinui poſſit poni in eſſe? recurrendum eſt ad ea, quæ determinauimus in 3. diſput. p. Tractat. quæſt. de infinito, vbi reſoluimus, quod infinitum in actu cõpleto eſſe non poteſt: infinitum vero in actu incompleto poteſt poni in eſſe ſine vllo inconuenienti. Videatur Ægid. p. de Gener. q. 11.

DE MODO INCIpiendi, & deſinendi rerũ tam permanentium, quã ſucceſſiuarũ.

DVBITATIONES SEX.

Dubitatio Prima. Quid, & Quot ſint modi incipiendi, & deſinendi omnium Rerum?

Dubitatio Secunda. Quomodo incipiant, & deſinant res permanentes diuiſibiles, quę habent totum eſſe ſimul?

Dubitatio Tertia. Cur forma permanens habens totum eſſe ſimul, quando incipit, incipit intrinſecè per primũ eſſe, & quando deſinit, deſinit extrinſecè per primum non eſſe?

Dubitatio Quarta. Quomodo ſaluari poteſt, quod Forma permanens, quæ habet totum eſſe ſimul, deſinat in tempore per primum non eſſe?

Dubitatio Quinta. Quomodo incipiant, & deſinant res ſimpliciter Indiuiſibiles tã corporales, quam ſpirituales?

Dubitatio Sexta. Quomodo incipiant, & deſinant entia ſucceſſiua?

DVBITATIO PRIMA.

Quid, & Quot ſint modi incipiendi, & deſinendi omnium rerum Creatarum?

1 IN eorũ ſententia, qui negant Indiuiſibilia in Continuo, modus incipiendi, & deſinendi rerum ſolet diuerſimodè explicari; ſed nos ſupponentes cum veriori ſententia, eſſe in omni continuo Indiuiſibilia, vt puncta in linea, lineas in ſuperficie, ſuperficies in Corpore; inſtantia in Tempore, & mutata eſſe in motu, dicimus, quod duo tãtum ſunt modi incipiendi omnium rerum, & duo pariter ſunt modi deſinendi. Prior modus incipiendi dicitur (*primum eſſe*), & eſt, quando de re eſt verum dicere, nunc res eſt, & immediatè antea non erat. Secũdus modus incipiendi dicitur (*vltimum non eſſe*), & eſt, quando de re eſt verum dicere, nunc res vltimo non eſt, & immediatè poſt hoc nunc erit. Ex his duobus modis incipiendi prior dicitur Intrinſecùs; quia in tali in-

duo sũt modi incipiẽdi.

inſtanti res habet eſſe, & dicitur primum eſſe, quia inter omnia inſtantia, in quibus res habet eſſe, illud eſt primum. Secundus vero modus incipiēdi dicitur extrinſecus, quia in illo inſtanti res non habet eſſe, & dicitur vltimum non eſſe, quia inter omnia inſtantia, in quibus res non habet eſſe, illud eſt vltimum. Primus modus deſinendi dicitur *vltimum eſſe*; & eſt, quando de re eſt verum dicere, Nunc res vltimo eſt, immediatè poſtea non erit; eſtque hic modus deſinēdi intrinſecus, quia in tali inſtanti res habet eſſe, & dicitur vltimū eſſe, quia inter omnia inſtātia, in quibus res habet eſſe, illud eſt vltimum. Secundus vero deſinendi modus dicitur (*primum non eſſe*) & eſt, quando de re eſt verum dicere, nunc res primo nō eſt, & immeditè antea erat, qui modus deſinendi eſt extrinſecus, quia in tali inſtāti res non habet eſſe, & dicitur primum non eſſe, quia inter omnia inſtantia, in quibus res non habet eſſe, illud eſt primum.

Explicantur duo modi deſinendi.

2 Vbi aduertendum, quod in explicatione horum modorum incipiendi, vel deſinendi ly *nunc* ſemper ſupponitur pro inſtanti, ly vero immediatè ante, vel poſt ſignificat Tempus præcedēs, vel ſubſequens.

DVBITATIO SECVNDA.

Quomodo incipiant, & deſinant res Permanentes, quæ habent totum eſſe ſimul?

1 SCotiſtæ apud Maſtrium, & Bellutum in libris phiſic. diſp. 14. q. 2. art. 3. dicunt, res permanentes, quæ ſimul accipiunt eſſe, & ſimul eſſe deperdunt, incipere per primū eſſe, & deſinere per vltimum eſſe, & ita referunt, docuiſſe Subtilem in 2. diſt. 2. qu. 4. & in 4. diſt. 43. q. 5. in fine, & quolib. 12. art. 3. & quantum ad inceptionem huiuſmodi rerum dicunt, rationē eſſe euidentem, quia ſi res acquirit totū eſſe ſimul, & non per partem poſt partem, ergo illa incipit intrinſecè per primum eſſe, quando ſcilicet eſt verū dicere, Nunc res eſt, & immediatè antea non erat. quantum vero ad deſitionem earumdem rerū id probant à ſimili ratione, quia ſi res deperdit totum eſſe ſimul, & non per partē poſt partem, ergo illa deſinit per vltimum eſſe, quando eſt

Opinio Scotiſtarum.

verum dicere, Nunc res vltimo eſt; & immediatè poſtea non erit; qui modus deſinẽdi eſt intrinſecus rei deſinenti, quia in tali inſtanti iam res habet eſſe, licet tale inſtans ſit vltimum.

2 Recentiores vero fere omnes, & quod magis eſt, Ægidius noſter in p. ſent. diſt. 37. q. 3. vbi diſputat, an Angelus moueatur in tẽpore, vel in inſtanti, quo ad inceptionem rerum permanẽtium conueniunt cum Scotiſtis, & aſſerunt, illas incipere in inſtanti per primum eſſe, quando eſt verum dicere; nunc res eſt, & antea non erat; ſed quo ad deſitionem earumdem rerum ex diametro opponũtur; etenim dicunt, Res permanentes, quando deſinunt, deſinere per primum non eſſe, quãdo ſcilicet eſt verum dicere; Nunc res primo non eſt; & antea erat; atque adeò inquiunt; illud inſtãs, quod eſt primum eſſe Formæ, quæ incipit, eſt primum non eſſe Formæ, quæ deſinit, accipe verba Ægidij loco ſupra citato. *Et ideo quando eſt motus de Forma ad Formam, vt ſi viuus fiat mortuus, dicimus, ſubiectum transmutationis nõ eſſe ſimul, & ſemel ſub diuerſis Formis, nec tamen damus vltimum inſtans, in quo eſt ſub prima Forma, ſed per totum tempus dicimus, ipſum fuiſſe ſub forma viui, & poſtea in inſtãti, quod copulatur ad dictum tempus; eſt mortuum: nã ſi daremus vltimum inſtans, in quo aliquod eſt viuum, & primum inſtãs, in quo eſt mortuũ: cum inter qualibet duo inſtantia cadat tempus medium, eſſet dare tempus, in quo nec eſſet viuum, nec mortuum; & ideo Philoſophus 8. phiſic. ad uitandum hæc, & ſimilia inconuenientia, dicit, inſtans ſẽper eſſe poſterioris rei, ſiue attribui Formæ poſteriori.* hęc Ægidius. ex qua doctrina ſic formari poteſt ratio vrgentiſſima pro hac ſecunda ſẽtentia; quia ſi Forma, quæ deſinit, deſineret per vltimũ eſſe, ſequeretur vnum ex his; vel quod ſcilicet in vno, & eodem inſtãti eſſent in Materia duæ Formæ, vel quod pro aliquo tempore eſſet Materia ſine vlla Forma, vel tandem quod duo inſtantia eſſent ſibi inuicem ſuccedẽtia; quorũ quodlibet eſt omnino falſum, & à nemine admittendum in bona Philoſophia; probatur ſequela quo ad ſingulas partes: vel illud idem inſtans, quod eſt primum eſſe Formæ, quæ incipit, eſt vltimum eſſe Formæ, quæ deſinit, & tunc in illo eodem inſtanti ſimul eſſent duæ Formæ in Materia. Vel inter inſtans, quod eſt

Locus Egidij pro hac 2. ſentẽtia.

Vrgens ratio du Scoti.

Inſtan Auctoris.

eſt primum eſſe Formæ, quę incipit, & inſtans, quod eſt vltimum eſſe formę, quæ deſinit, mediat Tempus; & túc in tali Tempore intermedio eſſet Materia ſine vlla Forma; vel tãdem poſt inſtans, quod eſt vltimum eſſe Formæ, quæ deſinit, immediatè ſequitur aliud inſtans, quod eſt primum eſſe Formæ, quę incipit, & tunc in tempore darentur duo inſtantia immediatè ſibi ſuccedentia, atque adeò Tempus eſſet compoſitum ex ſolis inſtantibus; quod eſt contra iam dicta in præcedentibus.

3 In hac Controuerſia noſtrum Iudicium eſt, vtramque ſententiam eſſe probabilem, & defendẽdam propter vtriuſque efficaciam rationum: non poſſumus tamen pro modo cum doctrina Ægidij vtriuſque Opinionis probabilitatem oſtẽdere, niſi præcedat explicatio dubitationis ſequentis.

Iuditiũ Authoris.

(§) ✝. (§)

DVBITATIO TERTIA.

Cur Forma permanens habẽs totum eſſe ſimul, quando incipit, incipit per primum eſſe, & quando deſinit, deſinit per primũ non eſſe?

1 SVpponimus, ſecundã ſententiam in præcedenti dubitatione adductam, eſſe probabilem, & defendendam tum propter vim, & efficaciam ſui fũdamenti; tum propter authoritatem Ægidij, qui ſtat expreſsè pro illa; eius autem Veritate ſuppoſita, ſtatim naſcitur non leuis difficultas declaranda, eſtque illa, quæ tangitur in titulo præſentis dubitationis, cur nẽpe Forma, quę habet totum eſſe ſimul, quando incipit, incipit in inſtanti intrinſeco per primum eſſe; & quando deſinit, deſinit in Tempore per primum non eſſe? Quæ ratio dubitandi poteſt amplius augeri, aſſumendo fũdamentũ primæ ſententiæ, etiam in præcedenti dubitatione adductũ; ideo enim Forma permanẽs, quæ incipit, incipit ĩ inſtãti intrinſeco per primũ eſſe; quia talis Forma incipit tota ſimul, & non

Vrgens ratio dubitandi.

non acquirit eſſe ſucceſſiuè, per partem poſt partem; ſed eadem Forma quando deſinit, non deperdit eſſe ſucceſſiuè, & per partem poſt partem; ſed potius deſinit tota ſimul, ergo illa debet deſinere etiam in inſtãti intrinſeco ſcilicet per vltimũ eſſe, quando eſt verum dicere, nunc vltimo eſt, & immediatè poſt non erit.

Reſpõſio quorundã.

2 Audiui viros grauiſſimos ſic ad propoſitam rationem reſpondere, quod nimirum Forma, quæ deſinit, ideo deſinit in Tempore per primũ nõ eſſe, vt euitẽtur illa inconuenientia in dubitatione præcedenti adducta pro fundamento ſecundæ ſententiæ. Sed contra hunc modum reſpondendi liceat ſic inſtare.

Inſtatur contra comunẽ reſponſionem.

Cur ad euitanda illa inconuenientia non dicitur potius, quod Forma, quæ incipit, incipit in tempore per vltimum non eſſe; & Forma, quæ deſinit, deſinit in inſtanti intrinſeco per vltimum eſſe. Vel quod idẽ eſt; ſi in Tempore non reperiuntur duo inſtãtia ſibi inuicem ſuccedentia; ſed inter partes temporis eſt vnũ ſolũ inſtans, copulatiuum illarũ partium, cur tale inſtans eſt potius intrinſecum Formæ incipienti, & extrinſecum Formæ deſinenti, & non potius è contra ſcilicet intrinſecum Formæ deſinenti, & extrinſecum Formæ incipienti?

3 Totamque hanc dubitãdi rationẽ nobis dedit Ægidius in 8. phiſic. lect. 22. vbi quærit, cur inſtans ſe tenet cum re poſteriori, & non cũ priori? cui petitioni reſpondet, quod hoc ideo eſt, quia Forma, quæ incipit, acquirit eſſe, Forma vero, quæ deſinit, deperdit eſſe; & quia de Tempore nihil eſt niſi inſtans, propterea inſtans eſt magis intrinſecum Formæ incipienti, quæ acquirit eſſe; quam Formæ deſinenti; quæ deperdit eſſe. accipite verba Ægidij.

Egidius proponit difficultatẽ, & ſoluit

Quare inſtans tenet ſe cum re poſteriori, & non cũ priori? dicendum, quod ſi ex nigro fit album, nigrũ tendit ad corruptionem: album vero generatur, nigrũ ergo vadit ad nõ eſſe; ſed album accipit eſſe: cũ ergo de tempore non ſit niſi inſtans, & cum magis ſit propriè dictum, quod inſtans eſt, quam quod tempus eſt, cum Tempus non ſit, niſi quia inſtans eſt, ideo inſtans debet ſe tenere cum re exiſtente, & cum re, quæ incipit eſſe, non vero cum re, quæ corrumpitur, & tendit ad non eſſe: & propterea Cõment. ait, quod inſtans eſt ſẽper poſterioris rei, quia dignius eſt, ipſum inſtans tribuere enti,

quam

quam non enti.

4 Hæc Ægidij doctrina veriſſima eſt,&digna tanto ingenio, ſed noſter Intellectus non quieſcit; quia difficultas, quæ imminet,non dum ſufficienter euacuatur. Nam cum Forma deſinens non ſit minus permanẽs, & tota ſimul,quam Forma incipiẽs, cur Forma deſinens nõ habet deſinere in inſtanti intrinſeco, & tota ſimul, ſeu per vltimum eſſe, ſicut Forma, quæ incipit habet incipere tota ſimul,& in inſtanti intrinſeco,quod eſt primũ eſſe? hæc eſt ſumma difficultatis,noduſq; ſoluendus;pro cuius ſolutione ſit. Proponitur ſũma difficultas.

DVBITATIO QVARTA.

Quomodo ſaluari poteſt, quod Forma permanens, & deperdens totum eſſe ſimul, deſinat extrinſecè per primum non eſſe.

1 Iam ratio arduæ difficultatis eſt tacta, pro cuius ſolutione plures, & plures legi doctiſſimorum virorum modos dicendi; ſed nullus adequatè totam difficultatẽ eneruat, præter illum,quem docet Fũdamẽtalis Ægidius,tum in p. ſent. diſt.37. tũ clarius in lib.de Gener. & corrup. q. 20. & in Quolib.6. q.7. docet ergo Ægidius,quod motus de Forma ad Formam duplici menſura menſuratur vna ſcilicet intrinſeca, & altera extrinſeca: menſura extrinſeca cuiuslibet motus ſublunaris eſt ipſum Tẽpus continuum, quo intrinſecè menſuratur motus Primi Mobilis; & extrinſecè omnes alij motus: Menſura vero intrinſeca cuiuslibet motus ſublunaris eſt Tẽpus diſcretum, quod in eo diſtinguitur à Tempore continuo, quia Tempus continuũ non eſt compoſitum ex inſtantibus,ſed inter vnum inſtans, & aliud mediat Tempus: aſt Tempus diſcretum eſt compoſitum ex ſolis inſtãtibus, ita vt poſt vnum inſtans nõ ſequatur immediatè Tempus,ſed aliud inſtans. Nota valde hãc doctrinam AEgidij

2 Nunc ad propoſitum, quando fit motus de Forma ad Formam, tunc vtraque Forma tam illa, quę deſinit, quam etiã illa, quæ incipit, poteſt cõparari, vel ad menſuram intrinſecam, quæ eſt tempus diſcretum, vel ad menſuram extrinſecam,quę eſt Tempus continuum: ſi fiat comparatio vtriuſque Formę ad menſuram intrinſecam,tunc ſicut Forma, quę in-

incipit; incipit in inſtanti intrinſeco, quod eſt primum eſſe, ſic Forma, quæ deſinit, deſinit in alio inſtanti ſibi intrinſeco, quod reſpectu eiuſdem eſt vltimum eſſe; & ſic accipimus ſententiã Scotiſtarum in 2. dubitatione relatam: ſed ſi vtraque forma comparetur ad menſuram extrinſecam ſcilicet ad Tempus continuum: cũ in Tempore continuo non ſit aſſignare duo inſtantia ſibi inuicem ſuccedentia; ſed inter inſtans, & inſtans ſemper mediet Tempus, tunc per comparationem ad talẽ menſuram extrinſecam Forma, quæ incipit, incipit in inſtanti, quia inſtans ſemper eſt poſterioris rei, ideſt ſemper tribui debet *Formæ* poſterius introductę propter rationem, quã docuit Ægidius in dubitatione prẹcedẽti: ſed *Forma*, quæ deſinit, non deſinit in eodem inſtanti, aliàs duę Formæ eſſent ſimul pro vno, & eodem inſtãti; nec minus Forma, quę deſinit, deſinit in alio, inſtãti immediatè antecedenti, cum in tempore continuo poſt vnũ inſtans non ſequatur aliud immediatè: Forma igitur, quæ deſinit, deſinit in tempore, quod immediatè copulatur ab inſtanti Formæ incipientis: atque adeò vnum, & idem inſtans in tempore continuo eſt intrinſecum Formæ, quæ incipit, quia reſpectu illius eſt primum eſſe, ſed eſt extrinſecum Formę, quæ deſinit, quia reſpectu illius eſt primum non eſſe; & in hoc ſenſu eſt vera alia ſententia, cui fauet Ægidius, in eadem 2. dubitatione relatus.

3 Audiatis Ægidium in loco ſupra cit. de Generatione ſic eggregie diſcurrẽtem. *Sciẽdum ergo, quod motui debetur duplex duratio, vna intrinſeca, & alia extrinſeca: duratio extrinſeca eſt ipſum Tempus, vt quia hæc duratio non depẽdet ex ipſis motibus menſuratis; ideo manens vna, menſurat omnes motus, eſtque vnum Tempus menſura omnium temporalium, ſicut quia eſt vna menſura extrinſeca reſpectu pannorum, poſſet vna menſurare omnes pãnos: ſed præter hanc durationem extrinſecam competit ipſis motibus menſuratis quædam mẽſura intrinſeca, ſicut præter Quantitatem vlnæ, quæ eſt extrinſeca, Quantitas panni eſt menſura intrinſeca eiuſdẽ panni, quia pannus ab vlna menſurari non poſſet, ſi in ſe Quantitatem non haberet: ſic niſi eſſet duratio, & menſura intrinſeca cuilibet motui, quæ* Egidius dat cuilibet motui duolicẽ mẽſurã.

relata ad Tempus, menſuratur ab eo, motus à Tempore menſurari non poſſet: & quia illæ durationes ſunt intrinſecæ ipſis motibus particularibus, ideo dicendum eſt de eis, ſicut diximus de ipſis motibus: Oportet ergo, has durationes intrinſecas eſſe plures, & eſſe interciſas, ſicut motus partiales ſunt plures, & interciſi: Tempus autem, quod fundatur in primo motu, eſt vnum, & continuum, ſicut primus motus eſt vnus, & continuus, & quia in magnitudine continua non eſt dare duo Indiuiſibilia, interque non cadat magnitudo media, in magnitudine autem interciſa eſt dare duo indiuiſibilia ſine magnitudine media, vt ſi duæ lineæ interciſę contiguentur, erunt ibi duo puncta ſine lineæ media: in Tempore ergo quia eſt vnum, & continuum, non eſt dare duo inſtantia ſine Tempore medio, ſed in alijs durationibus interciſis eſt dare duo inſtantia ſine duratione media: cum enim ex Aqua fit Aer eſt aliqua duratio intrinſeca ipſi Aquæ, & aliqua duratio intrinſeca ipſi Aeri, & illæ duæ durationes propriè nõ continuantur, ſed contiguantur, & comparantur ad Tempus ſicut duæ lineæ continuæ: cum ergo quæris, vtrum ſit dare inſtans, in quo vltimo eſt Aqua, quãdo ex Aqua fit Aer, ſi quæris de inſtanti durationis intrinſecæ ſic; ſi vero de inſtanti Temporis, ſeu menſuræ extrinſecæ, non, & quia durationes intrinſecæ non ſunt continuæ, licet ſecundum talem durationem ſit dare inſtãs, in quo vltimo eſt aqua, & inſtans, in quo primo eſt Aer, tamen non eſt dare durationem mediam, in qua neque ſit Aer, neque ſit Aqua. hęc ibi Ægidius.

4 Et ſimilia habet in quolib. 6. q. 7. vbi docet, quod ſi motus fieret in vacuo, ille motus non menſuraretur Tempore continuo, quod eſt paſſio primi motus, ſed haberet ſuum proprium Tempus, quod componeretur ex inſtantibus, ſicuti idem motus eſſet compoſitus ex mutatis eſſe. ſimiliter loquitur in primo ſentent. diſt. 37. q. 3. quærens, an ſi Angelus moueretur de extremo ad extremum, non tranſeundo medium, tunc moueretur in inſtanti, & Reſpondet, quod ille motus angeli non menſuraretur Tempore noſtro, ſed Tempore diſcreto, atque adeò per comparationẽ ad menſuram propriam in vno inſtanti eſſet in termino à quo, & in alio inſtanti eſſet in termino ad quem; ſed ſi motus Angeli comparetur ad menſuram extrinſecam, tunc Angelus per totum

Tem-

Tẽpus eſt in termino à quo, & in inſtanti, quod copulatur ad idem Tempus, eſt in termino ad quem.

5 Placuit hanc doctrinam Ægidij ſic latè ad verbum adducere, quia eſt valde ad propoſitum pro plena reſolutione omnium difficultatum in hac materia de inceptione, & deſitione rerum: Quotieſcunque ergo fit motus de Forma ad Formam, tunc ſi fiat comparatio ad menſuram intrinſecam, Forma, quæ deſinit, deſinit intrinſecè per vltimum eſſe; qa deperdit totũ eſſe ſimul, ſicut Forma, quæ incipit, incipit intrinſecè per primum eſſe, quia acquirit totum eſſe ſimul: ſed ſi vtraque Forma comparetur ad menſuram extrinſecam, tunc ſemper Forma, quę deſinit, deſinit in Tempore, & Forma, quę incipit, incipit in inſtanti propter rationem pluries repetitam.

(§) ✝ (§)

DVBITATIO QVINTA.

Quomodo incipiant, & deſinãt res ſimpliciter Indiuiſibiles?

1 Specialis difficultas eſt, ſi deſineret Angelus, vel Anima rationalis, tunc enim cum ipſa deſitio ſit annihilatio, quę neceſſario petit incipere in inſtanti, & ipſa ſubſtantia Angeli, vel Animæ ſit ſimpliciter indiuiſibilis, quarũ quælibet petit incipere, & deſinere in inſtanti, dubium eſt, vel vnum, & idem inſtãs eſt primum eſſe annihilationis, & vltimum eſſe Angeli, & hoc non, quia in eodem inſtanti eſſet verum dicere nunc Angelus eſt, & nunc eſt Annihilatio Angeli. Vel poſt inſtans, quod eſt vltimum eſſe Angeli immediatè ſequitur aliud inſtans, quod eſſet primum eſſe annihilationis, & hoc neque, quia Tempus eſſet compoſitum ex indiuiſibilibus; Vel inter inſtans, quod eſſe vltimum eſſe Angeli, & inſtans, quod eſſet primum eſſe Annihilationis, mediaret Tempus, & hoc neque, quia in tali tempore eſſet verũ dicere, quod nec eſſet Angelus, nec annihila-

Specialis ratio dubitãdi eſt de Angelis, & de anima.

latio Angeli. quomodo ergo deſinunt huiuſmodi ſubſtantiæ ſimpliciter indiuiſibiles?

2 Sed ſtante iā data doctrina Ægidij in dubitatione præcedenti, facilis eſt reſpōſio. Dicendum ergo, quod Angelus, & annihilatio Angeli per comparationem ad menſuram intrinſecam incipiunt; & deſinunt in inſtāti, ita vt Angelus deſinat in vno inſtanti, quod eſt vltimū eſſe, & annihilatio Angeli incipiat in alio inſtanti immediatè ſequenti, quod erit primum eſſe: Aſt per comparationem ad menſuram extrinſecam ſcilicet ad tempus continuum, tunc id, quod incipit, eſſe ſcilicet Annihilationis, incipit in inſtāti, quod dici poteſt primum eſſe annihilationis; id vero quod deſinit, ſcilicet Angelus, deſinit in Tempore, quod immediatè copulatur ab illo inſtanti; & ſic vnum, & idem inſtans in Tempore continuo eſt intrinſecum, & primum eſſe annihilationis, & extrinſecum, ſeu primum non eſſe Angeli. Nec cōtra hunc modum dicendi video argumentum, quod facilè nō poſſit ſolui per iam dicta.

DVBITATIO SEXTA.

Quomodo incipiant, & deſinant entia ſucceſſiua?

1 IN eorum ſententia, qui tenent, nec Tempus incępiſſe, nec motū, ſed omnia fuiſſe ab æterno, nulla eſt difficultas: ſed tota dubitatio procedit, facta ſuppoſitione; quod tam Tempus incipiat, quam Motus: proceditque dubitatio tam de Inceptione Temporis in principio mundi, & de Inceptione Primi Motus, quam etiam de Inceptione, & deſitione omnium ſucceſſiuorum particularium.

2 Eſt autem ratio dubitādi de principio Temporis, quia vel Tempus (Idem dicatur de primo motu) quādo incæpit, incæpit in inſtanti per primum eſſe, vel incępit in Tempore? nō in inſtāti, quia Tempus cum ſit ſucceſſiuum, & acquirat eſſe per partem poſt partem, nō poteſt eſſe totum ſimul in vno inſtanti; ſi dicatur incępiſſe in Tempore, ergo dabitur Tempus Temporis, & ſic proceſſus in infinitum. Ratio dubitādi de tē pore, & motu.

3 Ratio vero difficultatis de omnibus alijs ſucceſſiuis particularibus procedit in

eo caſu, quo vnum ſucceſſiuum deſineret, & aliud inciperet. v. g. ſupponamus, quod Homo cadat ex alta turri, & quod in medio Aeris moriatur: tunc in tali caſu daretur duplex motus, prior eſſet ille motus, quo mobile moueretur, vt cadauer. arguatur tunc hoc modo. vel ille motus, quo deſinit moueri, vt Homo, deſinit in inſtanti per vltimum eſſe, & ille motus, quo idem mobile incipit moueri, vt cadauer, incipit etiam in inſtanti per primum eſſe; & tunc multa ſequerentur abſurda; in primis darentur duo Indiuiſibilia, & duo inſtantia ſibi inuicem ſuccedentia in Tempore, quod dici non poteſt, vlterius ſequeretur, quod ſucceſſiuum, qualis eſt vterque motus, acquireret, & deperderet totum eſſe ſimul, quod eſt contra naturam ſucceſſiuorum: Vel inter deſitionem motus Hominis, & inceptionem motus cadaueris mediaret Tẽpus, & tunc ſequeretur, quod in illo Tempore intermedio nec mobile moueretur, vt Homo, nec minus moueretur, vt Cadauer; quomodo ergo dicũtur incipere, & deſinere entia ſucceſſiua?

Ratio dubitandi de alijs ſucceſſiuis particularibus.

4 Huic difficultati, vt reſpondeamus, Adnot: eſt cũ Ægidio in 2. ſent. diſt. p. q. 4. in reſolut. art. primi ad ſecundum argumentum, quod id, quod primo incepit de Tempore reali, fuit inſtans; quia tamen inſtans ſemper eſt principium futuri, & finis præteriti, debemus ante illud primum inſtans aſſignare Tempus, reſpectu cuius illud inſtans fuerit finis, ſicuti etiam poſt idem inſtans aſſignatur Tempus, reſpectu cuius ipſum met inſtans eſt principium: ſed eſt latũ diſcrimen inter Tempus, quod erat ante primum inſtans, & Tempus, quod ſequutum eſt idem primum inſtans: nam Tempus ante primum inſtans erat immaginarium: Tempus vero poſt primum inſtans fuit reale.

Quod primo incepit de tempore reali fuit inſtans.

5 Hoc adnotato; dicimus de primo Tempore, incæpiſſe in inſtanti, quod fuit finis Temporis immaginarij, & principium Temporis realis, ſic de primo motu dicimus, quod in illo primo inſtanti reali fuit quoddam mutatũ eſſe, quod fuit finis motus immaginarij, & principium motus realis, & hoc non indiget, nec probatione, nec declaratione maiori: nã ſequitur ex doctrina Ægidij iã ſuppoſitã: Et quod dictum eſt de Inceptione primi Tẽporis, & primi Motus, id idẽ di-

reſolutionis dubitationis.

dicendum eſt de deſitione eiuſdem Temporis, & motus in fine mundi, quod ſcilicet Tempus finietur in illo inſtanti, quod erit finis præteriti, & principium futuri; ſed Tempus præteritum, reſpectu cuius illud inſtans eſt finis, erit tempus reale: illud vero Tempus, reſpectu cuius idem inſtãs eſt principium; erit Tempus immaginatiũ; & idem dicendum de deſitione motus in fine mundi.

6 Quantum vero ad alia ſucceſſiua particularia, quæ incipiunt, & deſinunt eſſe, dicendum eſt eodem prorſus modo, quo dictum eſt de Formis; nam etiam ipſe motus eſt quædam Forma incompleta. Per comparationem igitur ad menſuram propriam ſibi intrinſecam quilibet motus partialis incipit in inſtanti, & deſinit in inſtanti modo explicato tam in dubitatione 4. quam etiam in dubitatione præcedenti: ſed per comparationem ad menſuram extrinſecam ſcilicet ad ipſum Tempus continuum, ſemper id, quod incipit, incipit in inſtanti, id vero quod deſinit, deſinit in Tempore.

7 Ad exemplum autem de cadente ex alta turri dici poteſt primo, quod ille motus cum ſequatur Materiam, eſt continuus, atque adeò neq; deſinit, neq; incipit; vel Reſpõdetur, 2. quod ſi incipit, & deſinit, id quod dicimus de Forma Hominis, quę deſinit eſſe, & de forma cadaueris, quæ incipit eſſe, id idẽ dicemus de motu Hominis, & motu cadaueris: nam motus quædam Forma eſt.

QÆSTIO V.

De Motu in ordine admouentia; de quo Ariſt. in ſeptimo Phiſicorum.

DE REQVISITIS inter mobilia, & Mouentia.

DVBITATIO VNICA.

An Mouens, & Mobile debeãt eſſe ſimul, vel poſſit Agẽs Agere, vbi nõ eſt præſens nec per ſe, nec per ſuam virtutem?

1 Dupliciter aliqua poſſunt eſſe ſimul, vel ſcilicet tempore, vel loco; ea ſunt ſimul tempore, quæ ſimul exiſtunt, & durant per idem tem-

tempus; ea vero ſunt ſimul loco, quæ ſe tangunt per es ſuperficies externas; non loquimur hic de ſimultate temporis; nam de hoc non eſt dubium, quod Agens, & paſſum debeant eſſe ſimul tempore, ſi enim mouens, & mobile ſimul tempore non exiſterent, vnum non poſſet in aliud agere: ſed tantum loquimur de ſimultate loci, non quod Agens, & paſſum debeant eſſe in eodem loco, ad inuicem penetrata: ſed per eſſe ſimul loco intelligimus eſſe continua, vel contigua; quo alij ſub alijs verbis quærentes, petunt, An mouens creatum, & ſublunare poſſit agere indiſtans, abſque eo, quod agat in medium?

2 D. THOMAS aſſerit, neceſſario Agens debere eſſe ſimul cum paſſo, ad hoc vt agat, nec vllo modo poſſe Mouens mouere, vbi non eſt pręsſens nec per ſe, nec per ſuā virtutem. ita habet hic, & p. p. q. 8. art. p. quē ex Recentioribus ſequitur Ruuius lib. 7. phiſic. cap. 2. q. p. num. 10. Suarez diſp. 18. Meth. ſect. 8. Hurt. diſp. 9. phiſic. c. 2. Areſ. p. de Gener. q. 41. probatur autem primo, quia nunquam medium poteſt concurrere cū principali agente, vt cōcauſa, quia ſi medium adhuc ageret, non poſſet explicari, quænam pars medij in aliā agat; nam qualibet aſſignata, ſemper datur alia prior propter diuiſibilitatem in infinitum. ſecundo idē probatur authoritate Philoſophi in 7. phiſic. text. 9. vbi ait. *inter Mouens, & Motum nihil mediat.* quam propoſitionem ibi Ariſt. probat inductione, & idem repetit primo de Gener, tex. 43. Tertio; Agens ſe habet vt actus, paſſum vero vt potentia: ſed actus, & potentia, ad hoc vt ſit actio, requirunt coniunctionem; ergo &c. 4. omnes aliç cauſæ, vt cauſent, debēt eſſe pręsētes localiter: ſic Materia, & Forma; finis quoque eſt præſens ſaltem intentionaliter, ſicut intentionaliter cauſat; ergo etiam cauſa efficiens debet eſſe pręsſens, Quinto, nequit aliquod corpus moueri de extremo ad extremum niſi per medium, ergo nequit Agens agere niſi per mediū. 6. quia quod agit per virtutem in ſe retentam, & non per mediū diffuſā, neceſſario agit immediatè immediatione ſuppoſiti: ſed ſol non diffundit ſuam virtutem per medium, ergo deberet eſſe Agēs immediatū immediatione ſuppoſiti, quod eſt falſum,

D. Thom. vuult agēs nō poſſe agere in diſtans.

ſum, vt patet. probatur maior, quia virtus agentis debet attingere effectum, ſed nequit attingere effectũ, niſi ſit, vbi eſt effectus, ergo ſi nõ diffunditur per medium, deberet iſtud Agens eſſe immediatum immediatione ſuppoſiti.

3 SCOTVS in primo ſent. diſt. 37. & in 2. diſt. 9. q. 2. & in 4. diſt. 44. q. 2. apud Maſtrium, & Bellutum diſp. 7. q. 4. art. 3. quem ſequuntur Nominales, & ex parte Auerſa q. 14. ſect. 9. Aſſerit, dari Agens ſiue creatum ſiue increatum, ſiue cæleſte ſiue ſublunare, quod quatenus agens eſt, poteſt immediatè agere in diſtans, non agendo in medium nec actione eiuſdem rationis, nec diuerſę, tãquã neceſſario requiſita in Agente, ad agendum vt ſic. & quod non ſit neceſſe, quod Agens agat in medium, adhoc vt agat in diſtans. ſic probatur, primo nam ſol in cælos agit per lucem, que nihil facit ad Generationem mineræ; magnes trahit ferrum, ſolum agendo in Aerem per ſpecierum viſibilium immiſſionem. ergo &c. apparet etiã, quomodo ſaltẽ per Dei potentiam poteſt agens agere in diſtans, nullo modo agendo in mediũ, ſi ſcilicet Deus ſuſpenderet concurſum ad potentiam illam, quę agit in medium; colligitur tandẽ contra Ruuium, & Molinam p. p. q. 8. art. p. diſp. 2. Agẽs, quod ex ſe nequit agere in diſtans niſi per medium, vt eſt ſol illuminans Vniuerſũ, eleuatum tamen per potentiam obedientalem à Deo, poſſe agere in diſtans, nihil agendo in medium, vt ſol ſic eleuatus poſſet illuminare extremum, non illuminando medium. tum primo quia potentia obedientialis datur in rebus reſpectu effectus, naturæ vires excedentis, dummodo tamen ex ſe, & aliquo modo ſaltim remotè ſit proportionata, talis autẽ eſt iſta actio immediatè in diſtans. ſecundo quia maior improportio eſt inter intellectum, & viſionẽ beatificam, quã inter Agens, & iſtam actionem: ſed poteſt Intellectus eleuari ad viſionem beatificam, ergo &c. maior probatur, quia improportio, quæ eſt inter Intellectum, & Viſionem beatificam eſt quo ad ſubſtantiam actus, non tamen quo admodum agendi; improportio vero inter Agẽs, & iſtam actionem in diſtans non eſt quo ad ſubſtantiam actionis, ſed ſolum quo admodum agendi. Tertio quia ma-

Scotus docet, poſſe Agens agere in diſtãs.

maior, vel ſaltem eſt æqualis connexio inter motum de extremo ad extremũ, non tranſeundo medium, quam inter Actionem Agentis in diſtans per medium; ſed poteſt Deus facere, vt aliquod moueatur de extremo ad extremum, non tranſeundo medium, vt patet de Corpore Chriſti; cum è cælo in Hoſtiam deſcendit. ergo &c.

4 ÆGIDIVS quamuis ex profeſſo, & ſub his expreſſis terminis præſentem non excitet controuerſiam, tamē ex his, quæ docet in diuerſis ſuæ doctrinæ locis, modo videtur eſſe cum D. Thoma; modo cum Scoto; nam in Quolib. 5. q. 15. quærens, an idem poſſit agere in ſe ipsũ, notat, tria requiri inter Agēs & patiens; quorum vnum eſt, quod Agens debeat attingere, vel contingere patiens: nam ſecundum Philoſophum in primo de Gener. omnes Agens agit in ſe ipſo, vel in medio; vnde ibidem dicitur, quod Agens & patiens non appropinquata ſibi ipſis, neque alijs, non ſunt nata facere, & pati: ſi enim Ignis agit in Aerem; oportet, quod attingat Aerē, vel quod attingat aliquid aliud, per quod deferatur actio vſque ad Aerem: id ergo quod immediatè ſuſcipit actionem Agentis, oportet, quod immediatè attingatur ab Agente: eſt ergo hic Ægidius cum D. Thoma.

Egidius hic eſt cum D. Thoma.

5 In 2. vero ſent. diſt. 2. q. 2. art. 4. quærens, an Empireum agat in hæc inferiora? reſoluit, quod, licet Agentiā inferiora agant mediante regula; tamen cælum Empireum non influit mediante motu cęli tanquam mediāte regula, ſed tanquam mediante Organo, quod quidē Organum non eſt requiſitũ ratione cæli Empirei influētis: ſed ratione patientis, recipientis huiuſmodi influētiam: Cælum enim Empireũ poſſet influere ſine motu cęli, tamen paciens non poteſt huiuſmodi influentiam recipere ſine motu cęli. Ex his videtur Ægidius ſentire, quod Agens poteſt Agere in diſtans abſque eo, quod agat in medium; licet patiens requirat immediatum contactum cum Agente.

Hic Egidius videtur eſſe cũ Scoto.

(§) *§* (§)

IVDITIVM AVTHORIS ex Ægidio pro defenſione

Vtriuſque ſententiæ.

6 SI benè perpendantur dicta vtrorumque doctorum, non erit difficilè vtramque ſententiã cum noſtro Ægidio ſubſtinere. Dicendum igitur, quod *A*gens quantum eſt ex parte ſua, non requirit contactum, & indiſtantiam cum patiente; cum *A*gens ex vi ſua poſſit agere etiam in diſtans abſque eo, quod agat in medium; vt patet de Empireo, & in hoc sẽſu ſunt intelligendi Scotiſtæ; nam dicere, quod *A*gens, quatenus *A*gẽs poteſt immediatè agere in diſtans, non agendo in medium neque actione eiuſdem rationis, neque diuerſę, à qua neceſſario dependeat actio in diſtans; idem eſt, ac dicere, quod *A*gens quantũ eſt ex parte ſua, non requirit contactum, & indiſtantiã cum paſſo.

7 Benè verum eſt, quod ex parte paſſi requiritur immediatus contactus cum *A*gente, quia paſſum non poteſt recipere actionem *A*gentis, niſi immediatè attingatur ab Agente vel per ſe, vel per ſuam virtutem, idque prouenit ex connexione partium Vniuerſi, dicente Philoſopho, oportet Mundum hunc Inferiorem, contiguum eſſe latioribus ſuperioribus, vnde eius virtus regatur, & gubernetur. Poteſt ergo *A*gens quãtũ eſt ex parte ſua, agere in diſtans; ſed ex parte Paſſi requiritur neceſſario actio in medium.

RESPONDETVR Argumentis

Vtriuſque ſententiæ.

8 AD D.Thomam dicimus, quod tota Indigẽtia cõtactus, & Indiſtantiæ inter Agens, & patiens eſt ex parte paſſi, quod non poteſt recipere actionem Agentis, niſi attingatur ab eo vel per ſe, vel per ſuam virtutem in medio. & hoc tantum probant ſingula eiuſdem Sancti Doctoris Argumenta, quod ſcilicet *A*gens debet eſſe ſimul cum paſſo ex neceſſitate patientis.

9 Ad Scotum Reſpondemus, quod non ſolum per Diuinam Potẽtiam, ſed etiã naturaliter poſſet *A*gẽs quãtũ eſt ex vi ſua agere in diſtans, abſque eo, quod ageret in medium; ſi Indigentia

paſſi non obeſſet: & hæc applica ad reſpõdendũ in forma omnibus argumentis.

QVÆSTIO VI.

De Motu, quo ad eius Durationem; De quo Ariſtot. in octauo Phiſicorum.

DE MVNDI Æternitate.

DVBITATIONES DVÆ.

Dubitatio Prima. An Mundus de facto fuerit ab Æterno?

Dubitatio Secunda. An de Potentia Dei abſoluta potuerit mundus eſſe ab æterno quo ad omnes creaturas tã permanentes, quam ſucceſſiuas?

DVBITATIO PRIMA.

V. Mundus de facto fuerit ab AEterno.

1 ARiſt. in hoc 8. libro Phiſic. oſtendit, Mundum ab Æterno fuiſſe: nec potuiſſe de nouo incipere; idque conatur probare his ſequentibus rationibus. Primo quia Materia fuit ab Æterno, ergo & res materiales, cõſequẽtia tenet, q̃a materia nõ poteſt eſſe ſine Forma, probatur antecedens, quia materia eſt ingenerabilis, ſi enim generaretur, vel eſſet ex alia materia, & hoc non, alias daretur proceſſus in infinitũ, vel ex nihilo, & tunc nõ generaretur, quia ex nihilo nihil fit. Secundo, ſi Mundus incępiſſet in tempore, debuiſſet dari primus motus, ſed hic non poteſt dari; ergo &c. probatur minor: omnis motus præſupponit factionẽ mobilis, ergo ſi daretur primus motus, ante primum motũ daretur factio mobilis, & cum factio Mobilis ſit motus, daretur motus ante primum motum, quod eſt contradictio. Tertio; ſi Tempus de nouo incępiſſet, procuidubio incępiſſet in aliquo nunc, ergo ante illud nunc non fuiſſet tempus: ſed ly ante eſt differentia Temporis, ergo eſſe non poteſt ſine Tempore, ergo antequam incępiſſet Tempus, iam fuiſſet Tempus; quod contradictionem inuoluit: Tempus ergo non incępit, & quia eſt paſſio motus, & motus non poteſt eſſe ſine mobili: ſequitur, quod nec Mobile, nec Mo-

Motus, nec Tempus incępit. Quarto; Genitum, & Ingenitum opponuntur; ergo corruptibile, & incorruptibile ſimiliter opponuntur, ſed genitum, & corruptibile conuertuntur, ergo ingenitum, & incurruptibile ſimiliter conuertuntur; ſed ſunt multa incorruptibilia, ergo talia erũt ingenita, atque adeò &c. Quinto; ſicut ſe habet voluntas noua ad effectum antiquum, ſic voluntas antiqua ad effectũ nouum: ſed voluntas noua nõ poteſt eſſe cauſas effectus antiqui, ergo nec voluntas antiqua poteſt eſſe cauſa per ſe effectus noui. Sexto; vel Deus ab Æterno potuit, & voluit producere mundũ, & ſic habetur intentum, vel voluit, & non potuit, & ſic fuiſſet impotens; vel potuit, & non voluit, & ſic ſequeretur, quod quando voluit in Tempore, fuiſſet mutatus, quia acquiſiuiſſet nouã voluntatem. Septimo; omne quod de nouo incipit, incipit in Tempore, ergo ſaltem Tempus non incępit, aliàs Tempus cępiſſet in Tempore, & ſic proceſſus, & quia Tempus non poteſt eſſe ſine Motu, nec Motus ſine Mobili, ſequitur, quod prædicta non incæperunt, ac per conſequens fuerunt ab Æterno. Octauo; Deus eſt cauſa omnino immutabilis, ergo cuius eſt cauſa, ſemper eſt cauſa: ſed poſita cauſa ęterna neceſſario cauſatũ debet eſſe ęternum, quia cauſa, & cauſatum ſunt relatiua, ergo &c.

2 Vera tamen ſententia, quam tenet Catholica fides, eſt, nullam creaturam ſiue ſpiritualem, ſiue corporalẽ, ſiue permanentem, ſiue ſucceſſiuam fuiſſe ab æterno, ſed omnia fuiſſe à Deo facta in principio Temporis. eſt hæc veritas expreſſa in ſacra ſcriptura Geneſ.p. *in principio creauit Deus Cælũ, & Terram*. Et in hymno, qui canitur ab Eccleſia die Dominicó, dicitur, *Primo dierum omnium, quo mundus extat conditus*. poteſtque eadẽ veritas ſic ratione Theologica ſuaderi, quia eſt latũ diſcrimen inter Agens naturale, & Diuinum: nam Agẽs naturale cum ſit Agens ſecundum, & agat mediante motu, ac tranſmutatione, non poteſt aliquid agere, niſi præſupponat effectũ primi Agentis: ſed Deus, qui eſt primum Agens; & non agit mediãte motu, nec tranſmutatione, poteſt per ſimplicẽ emanationem effectum producere. An autem hæc eadem veritas poſſit probari demonſtratiuè, & per rationem pure naturalem? in ſequẽti dubitatione oſtẽdetur

veritas Catholica ſuadetur.

Nunc

3 Nunc ad Rationes Philoſophi Reſpondetur, & ad primam dicimus, quod licet Materia prima ſit in generabilis, propriè loquendo de Generatione; non eſt tamē ingenerabilis, ideſt non producibilis, quia re vera producta fuit, & creata ab Agēte primo, quod in ſua actione nihil præſupponit. *Ad* ſecundam dicimus, quod factio primi mobilis non eſt motus, nec tranſmutatio; ſed eſt ſimplex emanatio ad imperiū Diuinę Volūtatis, & ideo ante primum motū non datur alius motus. *Ad* tertiam Reſpondetur, quod ly *ante* eſt ſolum ſecundum immaginationem, & ideo non eſt differentia Temporis; ſicuti immaginatū extra cęlum non eſt vera differentia loci realis, vt ipſemet Philoſophus docet in tertio phiſic. tex. 54. *Ad* quartam etiam dato, quod omne incorruptibile ſit ingenerabile, non propterea ſequitur, quod ſit impoſſibile, qa poteſt eſſe creabile; ſicut in iſtis creatis etiam conceſſo, quod omne ingenitum ſit incorruptibile; non propterea ſequitur, quod non ſit annihilabile, ad Quintam Reſpōdetur, non currere paritatē, quia quamuis cauſa non ſequatur effectum; naturale tamen eſt cauſæ, quod præcedat effectum, vnde quamuis a voluntate noua nō poſſit procedere effectus antiquus: tamen à voluntate antiqua benè poteſt procedere nouus effectus, ad Sextam dicimus; quod Deus ab ęterno, & potuit, & voluit producere mundum; ſed pro eo tempore, quo poſtea produxit, vnde nulla mutatio facta eſt in Deo, quia cum produxit, non habuit nouam voluntatem, ad Septimam Reſpondetur, quod ſicuti motus non incipit cum motu, vt idem *Ariſt.* docet 5. phiſic. tex. 63. Ita nec Tempus incipit cum Tempore, & ſicuti motus propterea ſit; quia datur Mobile incipiens fluere, cum prius non fluxerit, ita Tempus propterea ſit, quia datur inſtans, quod ita incipit fluere, quod antea non fluxit, ad octauam Reſpondetur, quod Deus non ſit cauſa creaturarum per nouam diſpoſitionem ſui: ſed æterna ſua voluntate voluit, Temporalia temporaliter euenire: illud autē quod dicitur, quod cauſa, & effectus ſūt relata; ergo cauſa ęterna habet effectū æternum; verum eſt de cauſa Vniuoca, qualis non eſt Deus reſpectu creaturarum.

Satisfit rationibus Ariſtotelis.

DV-

DVBITATIO SECVNDA.

An de Potentia Dei abſoluta potuerit mundus ab æterno produci quo ad omnes Creaturas tam permanentes, quam ſucceſſiuas?

1 HÆc dubitatio ſub alijs terminis ſic ſolet proponi. an demonſtrari poſſit, Mundũ incępiſſe? ſeu an ratione naturali poſſit demonſtrati- uè oſtendi, quod Mundus debuit eſſe in tempore? ſi enim ratione naturali demonſtrari poteſt, quod mũdus debuit incipere in tempore, ſequitur, quod Deus de ſua potentia abſoluta non potuit illum ab æterno producere propter illã implicantiam, qua demonſtratur, debuiſſe incipere: ſi vero non poteſt adduci aliqua ratio demõſtratiua, probãs, Mundum debuiſſe eſſe in tempore, ſequitur pariter, Deum potuiſſe illũ ab ęterno producere; nec diſtinguemus de Creaturis permanẽtibus, & ſucceſſiuis, vt Recentiores diſtingunt, quia ratio implicantię, vel conuincet de omnibus, vel de neutris. duas ergo ſententias referemus ambas inſignes, & iuxta noſtrum munus aſſumptum cũ doctrina Ægidij ambas probabiles oſtendemus.

Aperitur ſtatus difficultatis.

2 Prima ſententia docet, demonſtrari poſſe ratione naturali, mundum debuiſſe incipere in tempore, atque adeo Deum nullo pacto potuiſſe mundum producere ab ęterno nec quo ad Creaturas ſucceſſiuas, nec minus quo ad permanentes. Ita Albertus Magnus in ſum. tract.p. q.4. membr. 2. & in 2. ſent. diſt.p. art. 10. D. Bonauentura ibid. q.2. & Riccard. q.4. Henricus quolib. p.q. 7. & 8. & ex modernis Toletus 8. phiſ. q, 2. Auerſa q. 31. ſect. 9. & alij plures apud eundem; fundamenta autem huius ſententiæ plura ſunt; ſed pręcipua ſunt ſequentia. p. adeſt. authoritas D. Athan. orat. 2. contr. Arrian. qui ait, *creaturã non poſſe, quæ de nõ eſſe ad eſſe traducitur, coæternã eſſe Opifici ſuo.* Secundo, quia creatio eſt productio alicuius de nihilo, ergo nihil, ſeu non eſſe debet præſupponi, & pręcedere creaturam. Tertio quia de ratione Creaturę eſt, quod ex ſe habeat non eſſe, cum ſit liberè creata, ergo requiritur, vt prius non ſit. 4. vel iſta creatura producetur

Albert. Mag. D. Bonau. Riccar. Henric. Tolet. Auerſa.

retur ſemper, quando eſt, aut non ſemper, ſed aliquando? ſi ſecundum; ergo in tempore incępit, ſi primum, ergo eſſet in continuo fieri ſicut ens ſucceſſiuum, neque diſtingueretur creatio à conſeruatione, quia ſi ſemper producitur, ſemper creatur, & conſeruatur, & ſic creatio & conſeruatio eſſent omnino idem. Quinto ſequeretur, iſtam Creaturam non habere eſſe acquiſitū, quia ipſum ſemper habuiſſet, ſequeretur etiam, fore indefectibilem, quia omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt, eſſe, ex primo Perhierm. cap. vltimo, & in æternis idem eſt, eſſe, & poſſe ex 9. met. 17. 6. quod eſt in potentia ad duo contradictoria, ſi acquirit vnum, relinquit aliud; ſed ab ęterno fuit verum dicere, creatura poteſt eſſe, & nō eſſe, ergo ſi acquiſiuit eſſe, reliquit non eſſe, ergo prius habuit non eſſe. Septimo. ſequeretur, talem Creaturam non creari liberè, quod eſt falsū, probatur ſequela, quia omne Agens liberum eſt indeterminatum ad agendū, & non agendum, ſed dato caſu, Deus fuiſſet ſemper determinatus ad agendum, ergo neceſſario, & non liberè produxiſſet mundum. Octauo eodem modo ſe habet creatio, & annihilatio, ſed quod annihilatur, neceſſario prius fuit, ergo quod creatur, neceſsario prius nō fuit. Nono; quod potuit eſse ęternum, fuit ęternum. ſed nullū ens creatum fuit æternū, ergo nullum potuit eſse ęternum maior probatur quia potentia ad eſſe æternum, neceſsario coniungitur actui. ergo &c. Decimo Creatura nequit eſse immēſa etiam dependēter à Deo, eo quia immenſitas eſt attributum Diuinum, ergo neque ęterna, etiam cum dependentia à Deo propter eādem rationem. Vndecimo; ſequeretur, Creaturam per infinitum Tempus habere eſſe neceſſarium, & omnino indefectibile, etiam ſpectata Dei potentia abſoluta, quod eſt falsū, quia repugnat omnipotentiæ diuinæ, & dependentiæ creaturæ à Deo durare independēter ab ipſo, ex eo quia non poſſet illam deſtruere: eſt etiam contra cōtingentiam ipſius creaturę, quæ ita exiſtit, vt poſſit nō eſſe, ſequela probatur, annihiletur hæc creatura à Deo producta ab æterno, quando poteſt Illam annihilare, vel annihilatur ab æterno, vel in Tempore? ſi primum, ergo ab æterno eſſet, & non eſſet. Si ſecundum; ergo cum

ab

ab eterno vſque ad inſtans annihilationis mediet infinita duratio, (aliter ſi eſſet finita, daretur principium æternitatis) ſequitur, quod tali tempore neceſſario, & independentur exiſteret. 12. ſi Homo eſſet ab æterno, vel poſſet exercere proprias operationes, vel non? non primum, quia non poſſunt duæ mutationes eſſe ſimul, quando terminus ad quem vnius eſt terminus à quo alterius v.g. ſi paries de non albo fit albus; album eſt terminus ad quem, ſi poſtea fiat non albus, album eſſet terminus à quo, quę mutationis nó poſſunt eſſe ſimul, vt patet: ſed creatio Hominis, & mutatio facta in Homine per illam operationem ſunt huiuſmodi; ergo &c. neque dici poteſt, quod Creatura producta ab æterno nõ poſſit exercere proprias operationes, quia videtur impoſſibile, quod Homo ille per infinitũ tempus non intelligeret, nec poſſet mouere bracchium.

3 Secunda ſententia aſſerit; demonſtrari non poſſe, Mundum debuiſſe incipere in tempore, atque adeo Deũ bene potuiſſe ab æterno mũdum producere quo ad omnes creaturas tam ſucceſſiuas, quam permanentes. Ita D.Thom.p.p.q.46. art. 2. & Quolib. 3.art. 31. Scotus in 2.diſt. p.q. 3.apud Maſtriũ, & Bellutum diſp. 14. q. p. art. 1. Ægid.in 2. diſt. p. q. 5. art. 2. Argent. ibid. q. 2. art. 2. Conimb. 8. phiſ.cap. 2. q. 6. & quam plures alij apud Ruuium 8. phiſic.de Æternit.mundi.q. 2.

Authores ſecũdę ſententiæ D.Tho. Scot.

AEgid. Argent. Conimbr. Ruuius.

Ratio pręcipua pro hac ſententia eſt ſolutio rationũ pro opinione contraria. Secundo, quia ſi per impoſſibile aliqua Creatura eſſet ab æterno, tunc non repugnaret, quod ab æterno ex illa procederet alia, ergo proceſſio vnius ab alio non petit minorem durationé in producto, quã ĩ producẽte. ãtecedẽs probatur ex D.Aug.lib. 6.de ęternitate ca.p.vbi ait, quod ſi ſol fuiſſet ab æterno, ab æterno quoq; illuminaſſet. lumen ergo, quod eſt effectus productionis, habuiſſet eãdem durationem cum ſole producẽte. Tertio; quia in æterna proceſſione Verbi Diuini à Patre, & Spiritus Santi à Patre, & Filio vtiq; ſaluatur eadẽ duratio producti, & producentis, ergo non repugnat, productum creatum habere eandem durationem cũ principio producente. Et ſi dicatur, Proceſſiones Diuinarum Perſonarum eſſe naturales, & neceſſarias, proceſſionem vero

Crea-

Creaturarum à Deo eſſe liberam; contra hoc eſt,& ſit 4. ratio. libertas Agentis non minuit, ſed potius perficit eius virtutem,& potentiam: ſed ſi Deus ageret ex neceſſitate, neque tunc mundum produxiſſet ab æterno, ergo per hoc, quod Deus ſit liber in productione creaturarũ non tollitur, quin potuiſſet ab æterno mundum producere, ſi voluiſſet. Quinto omnibus rebus, quæ modo ſunt incorruptibiles, non repugnat, ſemper eſſe in futurũ, ergo eiſdem nec minus repugnabit, ſemper fuiſſe in præterito. Sexto; Deus non eſt minoris potentiæ in tempore, quam ab æterno: nam ſi ſic, ſequeretur, Deum eſſe mutabilem: ſed Deus in tẽpore poteſt producere mundum, ergo ſimiliter potuit ab æterno. Dices; repugnantiam non eſſe ex parte Dei, ſed ex parte Creaturæ, de cuius eſſentia eſt, incipere de non eſſe ad eſſe. Sed contra; poſſunt ſolui omnes rationes in contrarium, ergo nulla eſt repugnantia.

(ʃ) .†. (ʃ)

IVDITIVM AVTHORIS ex Ægidio pro defenſione

Vtriuſque ſententiæ.

IN hac controuerſia ſi adnotentur pauca Verba Ægidij noſtri, de facili poterimus vtramque ſententiam ſubſtinere. accipite eius diſtinctionem. Mundus, eiuſque Creaturæ tã permanẽtes, quam ſucceſſiuæ, vel accipiuntur ſecundum illas eaſdem rationes, quas habẽt de facto; & hoc modo repugnat, Mundum potuiſſe eſſe ab æterno tàm quo ad permanentia, quam etiam quo ad ſucceſſiua; poteſtque ratione demonſtratiua oſtẽdi, debuiſſe Mundum quo ad ſingulas creaturas incipere in tempore; quia inter rationes, quas creatura habet de facto, vna præcipua eſt, quod incipiat de non eſſe ad eſſe, qui modus incipiendi incõpoſſibilis eſt cum æternitate: & in hoc ſenſu eſt intelligenda prima ſententia.

Si uero accipiatur Mundus, eiuſque Creaturæ non ſecundum illas rationes quas habent de facto, ſed ſecundum illas, quas potuiſſet habere in alio ordine rerum, quem Deus potuiſſet conſti-

tuere: ſic nulla adduci poteſt ratio demonſtratiua; quod Mūdus debuit eſſe in tēpore, & in hoc sēſu eſt vera ſecūda ſentētia, vt patere poteſt ex ſuo modo dicendi.

RESPONDETVR IN Forma Argumentis.

Vtriuſque ſententiæ.

AD ea, quæ adducuntur pro prima, generaliter reſpondetur, ea tantum conuincere de Mundo, eiuſque creaturis ſecundum rationes, quas habent de facto: ſecundum quam conſiderationem nulla creatura potuit eſſe ab æterno, cum de ratione cuiuſlibet ſit incipere per non eſſe; & ita intelligendus eſt D. Athan. ac ſoluendum eſt ſecundum, & tertiū Argumentum. Ad quartum Reſpondetur, quod ſicut Filius in Diuinis ſemper generatur; & tamen eſt ſummè permanens: ſic creatura ſecundum alium ordinem, quē Deus potuiſſet īſtituere, eſſet ſemper producta, & ad huc permanens; quia ly (ſemper) nō diceret ſucceſſionem durationis temporis; ſed exiſtētiam, & durationem æui: neque tunc diſtingueretur creatio à cōſeruatione; quia non eſſet nouitas eſſendi. Ad quintum Reſpondetur, negando ſequelam: quia acquiſitio benè ſtat cum æternitate, quando acquiſitio non eſt cum nouitate alicuius eſſe: ſufficit enim, quod non ſit ex ſe, ſed ab alio: negatur etiam fore indefectibilem: quia illa propoſitio, omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt, eſſe; intelligitur in ſenſu compoſito, non in ſenſu diuiſo, & de neceſſitate ſimpliciter, ideſt, ſuppoſito quod creatura ſit, neceſſario eſt; cū hoc tamen ſtat, quod poteſt non eſſe, quia contingenter eſt; dictum vero Philoſophi ex 9. methap. eſt verum in eius ſententia; in qua ponuntur entia ęterna ſummè neceſſaria. Ad ſextū Reſpōdetur, quod ſi p ly relinquit, intelligitur hoc, quod eſt non habere, vera eſt maior: ſed neganda eſt vltima conſequentia; quia ex argumento tātum ſequitur, quod non habuit non eſſe; ſi vero per ly relinquit, intelligatur hoc, quod eſt ammittere, quod prius habebat, ſic falſa eſt maior. Ad ſeptimum negatur ſequela: ad cuius probationem dicimus, quod duplex eſt indeterminatio; alia de poſſibili, & eſt, qua Agens eſt indeterminatum ad poſſe agere, & poſſe non

agere: alia eſt de in eſſe, ſecundum quam eſt indeterminatum ad agendum, & non agendum: ſimiliter determinatio eſt duplex, alia eſt de poſſibili, alia de in eſſe: prima eſt, qua cauſa eſt determinata ad poſſe agere, vel non poſſe agere: ſecunda eſt, qua cauſa eſt determinata ad agendum, vel non agẽdum: modo nullum Agens poteſt eſſe indeterminatum indeterminatione de in eſſe; nam vel agit, vel non agit; & ſic ſemper eſt determinatum determinatione de in eſſe. Nunc ad formam Argumẽti, maior eſt vera de indeterminatione de poſſibili, nõ de in eſſe: ad minorem dicimus, Deum fuiſſe ſemper determinatum determinatione de in eſſe, & ſemper indeterminatum in determinatione de poſſibili; & hoc ſufficit ad libertatem. Ad Octauũ Reſpondetur, paritatem valere de creatione, quæ includit nouitatem eſſendi, ſicut annihilatio; non vero de creatione, quæ dicit ſimplicem creationem; qualis eſſet creatio æterna: annihilatio autẽ ſemper dicit aliquam nouitatem.

Ad Decimum Reſpondetur, concedendo paritatem in illo ordine rerum, quem poſset Deus inſtituere; nam ſicut Vbiquitas comunicari poteſt creaturæ, quia dicit coexiſtentiam ad omnem locum, licet contingentem, & dependentem, ita etiam communicari poteſt Æternitas, quæ dicit coexiſtentiam ad omne Tempus, licet dependentem.

Ad Vndecimum Reſpondetur, non habere eſſe neceſſarium ſimpliciter, quia poterat, nõ produci, ſed ex ſuppoſitione Diuini decreti; quod ſit ab æterno: neque hoc eſt falſum. & cum probatur, negandum eſt, creaturam exiſtere indepẽdẽter, nã ſemper creatura ex intrinſeca ſua ratione eſt à Deo depẽdens, à quo accipit eſſe: & per æternitatem eſt in cõtinua dependentia: quare ſẽper habet eſſe intrinſecè contigens: at neceſſitas illa in creatura, quæ ſupponitur ab æterno, prouenit ab extrinſeco ſcilicet à decreto Diuino, ex quo non ſequitur, conuenire creaturæ neceſſitate intrinſeca.

Ad duodecimum pro ſolutione breuiter ſciẽdũ eſt, quod creatura, quæ produceretur ab æterno, non poſſet ab æterno exercere illas operationes, quæ neceſſario includũt motum, vel mutationem, quia ad veram mutationem requiritur, vt termi-

nus à quo duratione præcedat terminum ad quem: vnde ſi Æua fuiſſet ab æterno, & ab æterno potuiſſet generare, vel generaret ſimul, quando fuit creata, vel generatio fuiſſet poſterior creatione, primum eſt ridiculũ, nam ſimul recepiſſet ſemen, & formaſſet fętum, fouiſſet, & peperiſſet: ſi ſecundum, iam non eſſet ab ęterno; cũ nihil præcedere poſſit rem ab æterno productam: potuiſſet tamen habere aliquã operationem, non includentem in ſuo conceptu mutationem, ſed rationem productionis, in quo ſenſu admictitur in diuinis Generatio æterna, & ſic eſſet ſimul cum Homine, à quo talis operatio procederet, tanquã à ſua cauſa, & talis eſſet Intellectio, Volitio &c. verum eſt tamen, quod in iſto caſu huiuſmodi Homo detineri deberet per infinitum tempus ſub illa Intellectione, q̃a eſt eadem ratio de creatura reſpectu Dei, & de Intellectione ab æterno producta reſpectu Hominis ęterni; & ſic ad argumentum in forma, ſi actio nõ includit motum, poſſet eſſe coæuã cum Homine æterno: cum autem id impugnatur; dicimus, maiorem eſſe veram de mutationibus proprijs, & realibus, quarum termini duratione ſe conſequuntur ad inuicem, vt in exemplo adducto in argumento: non tamen de mutationibus improprijs, quarum termini ordine tantum naturæ ſe conſequuntur.

Ad Argumenta ſecundę ſententiæ Reſpondetur, ea Generaliter concludere de Creaturis ſecundum rationes, quas potuiſſent habere in alio ordine rerum, quem Deus potuiſſet inſtituere: & hæc de octo Phiſicorum libris, & Priori Tractatu.

TRAC-

TRACTATVS SECVNDVS DE CORPORE MOBILI AD SITVM.

DE QVO ARISTOTELES PER QVATVOR LIBROS DE CÆLO, ET MVNDO.

TOTVM hũc Tractatum Philoſophus diuidit in quatuor Libros, in quorum primo agit de Vniuerſo in comuni, oſtendens, Vniuerſum eſſe perfectum, in ſecundo de Principali parte Vniuerſi, ꝙ eſt Cœlum. In tertio de alijs Corporib' ſimplicibus nimirum de Elementis. In vltimo tandem ſpecialiter agit de Grauibus, & Leuibus: nos iuxta totidem libros eundem tractatum diuidemus in quatuor Diſputationes ſequentes.

DISPVTATIO PRIMA

DE VNIVERSO IN COMVNI.

DE QVO PHILOSOPHVS IN PRIMO LIBRO.

QVÆSTIO PRIMA

Prohæmialis de Obiecto horũ Librorũ

DVBITATIONES DVÆ.

Dubit. Prima V. Obiectum horum librorum ſit Vniuerſum in comuni, ſeu Corpus Mobile ad Situm?

Dubit. Secunda V. Obiectum huius Operis ſit Corpus Cæleſte, vel ſaltem Corpus ſimplex vt ſic?

DVBITATIO PRIMA.

V. Obiectum horum Librorum ſit Vniuerſum in comuni, ſeu Corpus mobile ad Situm?

1 ALEXANDER Aphrodiſius, quem ex Recentioribus ſequitur Ruuius, hic, affirmat, Subiectũ ſeu materiam huius Operis eſſe Vniuerſũ in comuni, cui ſententiæ adhæret expreſsè D. Thom. in Prol. huius tract; vbi ſic habet. *Et ideo rationabilius dicendum videtur ſecundum ſententiam Alexandri, quod Subiectum huius libri ſit ipſum Vniuerſum, quod dicitur Cælum, vel Mundus, & de ſimplicibus Corporibus determinatur in hoc Libro ſecundum quod ſunt partes conſtitutæ Vniuerſi: conſtituitur autem Vniuerſum Corporeum ex ſuis partibus ſecundum ordinem Situs, & Ideo ſolum de illi partibus Vniuerſi determinatur in hoc libro, quæ primo, & per ſe habent Sitũ in Vniuerſo; Scilicet de corporibus ſimplicibus: vnde de quatuor Elementis non determinatur in hoc libro, Secundum quod ſunt calida, vel frigida, vel aliquid huiuſmodi, ſed ſolum ſecundum Grauitatem, & Leuitatem, ex quibus eis determinatur Situs in Vniuerſo, alijs autem partibus Vniuerſi puta Lapidibus, Plantis, & Animalibus non determinatur Situs ſecundum ſe, ſed ſecundum ſimplicia corpora; & ideo de his non in hoc libro agendum eſt; & hoc conſonat ei, quod Cõſueuit apud latinos dici, quod in hoc libro agitur de Corpore Mobili ſecundum Situm, ſiue ſecundum Locum, qui quidem motus communis eſt omnibus partibus Vniuerſi.* Hæc D. Thom.

Opinio D. Tho.

2 Adiungitur pro hac ſententia Ratio, quia illud eſt adequatum Subiectum in aliqua ſcientia, cuius Accidentia, & Paſſiones per ſe in illa quæruntur; ſed in his libris perſe quæruntur Accidentia, & Paſſiones Vniuerſi, quod eſt aggregatum quodã ex Cælis, & Elementis, ergo &c probatur minor; nam in hoc opere oſtenditur, Vniuerſũ eſſe per-

fectum.

Ariſtot. pro hac ſentẽtia.

fectum, & in fine textus quarti huius p. libri Philoſofus hęc ait *De ipſius igitur Vniuerſi natura ſiue infinita ſit ſecundum Magnitudinem, ſiue finita ſecundum totam Molem, poſterius conſiderandũ eſt*. Demonſtratque eius finitatem à textu 32. vſque ad 76. eiuſdem primi libri: a textu vero 76. vſque ad 101. oſtẽdit eiuſdem Vniuerſi vnitatem. Tandem à textu 101. vſq; ad finem primi libri incipit agere de Mũdi Æternitate, igitur Vniuerſum in Comuni eſt ſubiectum huius Operis. Secundo quia de ſimplicibus Corporibus agit Ariſtot quatenus sũt partes Vniuerſi, ergo ipſum Vniuerſum eſt ſubiectum. Tertio quia de Mundo agendum eſt in Naturali Philoſophia: ſed non eſt aptior Locus, in quo poſſit de eo pertractari, quam in his libris, ergo &c. Quarto demum quia ex primo Cęli text. 91. Cælum dicitur primum Elementum, ergo Elementũ & principiatum erit Subiectũ huius Tractatus: Sed tale non eſt corpus ſimplex, ergo Mundus.

3 Hæc opinio pro modo nõ improbatur, in quo autem ſenſu debeat approbari, per ſequentia cum doctrina Ægidij declarabitur.

DVBITATIO SECVNDA:

V. Adequatum Subiectũ huius Operis ſit Corpus Cæleſte, vel ſaltem Corpus ſimplex in Comuni?

1 IAmblicus atque Sirianus Philoxenus apud Auguſtinum Niphum diſtingunt de Obiecto, dicuntq; Cælum eſſe quidem Subiectum huius Tractatus primo, & perſe hic conſideratum, ſed Elementa eſſe Subiectum per accidens, vel ſaltem ex conſequenti, perſuadent hanc poſitionem ab inſcriptione libri, quæ eſt de Cælo.

2 Sed SCOTISTÆ apud Maſtrium, & Bellutum in quæ. prohæmiali ad libros de Cælo num. 2. quos ſequitur Amicus hic volunt Subiectũ adequatũ huius Operis eſſe Corpus ſimplex, quatenus habet peculiarem naturam tam ſecundum cõtinentiam virtualem, quam potentialem, idq; probat primo; quia de Corpore ſimplici pręſupponitur *quia eſt, & quid eſt*, vt patet in textu 7. primi libri. Item per eius diffinitionẽ demonſtrantur Paſſiones, qualis eſt mobilitas ſimplex; ruſus ad ipſum omnia reducuntur; nam Cælum, & Elemẽta ſub ipſo Corpore continentur, tamquam ſpecies ſub Genere; ergo &c. Opinio Scoti.

Secūdo. quia hi libri poſt Phiſicam habēt primum locum, ergo debent conſiderare primā ſpeciem Corporis Naturalis, ſeu Mobilis, quod non eſt niſi Corpus ſimplex: nam ex primo Cæli text 7. Corpus in comuni primo diuiditur in Simplex, & Mixtum.

3 ÆGIDIVS in prologo librorum de Generatione, & Corruptione adhærere videtur Sētentiæ D. Thomæ, ibi enim ſic ait. *In libro enim Phiſicorum principaliter intenditur de Corpore Mobili ſimpliciter, nō contrahendo ipſum ad Situm, vel ad Formam, & ſi ibi determinatur de motu ad Situm, vel ad Formam, hoc eſt inquantum in talibus motibus reſeruatur ratio motus ſimpliciter: Liber vero de Cælo, & Mundo, & de Generatione ſunt aliquo modo de motu contracto: nam in libro de Cælo, & Mundo intenditur de motu ad Situm*: Hæc Ægidius.

Opinio AEgidij

IVDITIVM AVTHORIS ex Ægidio

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

4 SVbiectum inquacūque Scientia vel ſumitur pro Subiecto Agregationis, ſeu Attributionis, & dicitur Subiectum principale primo, & per ſe: quomodo in Logica ſyllogiſmus eſt Subiectum, quia congregat Propoſitiones, Terminum, & Orationem; Vel ſumitur Subiectum pro Genere eorum, quę in Scientia pertractantur, eſtque Obiectum principale, nó primo, & perſe, ſed ex conſequenti; & ſic in Logica Obiectum eſt Ens Rationis, quia hoc tranſcendit omnia, quæ conſiderantur in Logica. Tertio ſumi poteſt Subiectū pro Principali ſpecie ſubiecti, quomodo in Logica dicimus, Demonſtrationem eſſe ſubiectū; Demum poteſt ſumi Subiectū pro eo, quod prædicatur de omnibus, quæ tractantur in Scientia.

5 Nunc ad propoſitū. Mūdus ſeu Vniuerſum in hoc Tractatu eſt ſubiectum Aggregationis, ſeu Attributionis, vel Subiectum principale primo, & perſe, quia Vniuerſum cōgregat omnia, de quibus in hoc Opere pertractatur. Et ſic intelligendus eſt D. Thom. & Noſter Ægidius, & ſi aliquādo apud eoſdem dicitur, quod Corpus Mobile ad Vbi eſt Subiectum horum librorum, intelligendi ſunt de Subiecto Prędicationis, quia Corpus Mobile ad Vbi prædicatur de omnibus, quę hic conſiderantur. Corpus vero ſimplex in comuni eſt Subiectum Principale ex conſequenti, quia eſt

Senſus D. Thomæ, & AEgidij

eſt Genus ad omnia ea, quæ integrant, & conſtituunt Mūdum, & ſic ſunt intelligendi Scotiſtæ. Qui tandem dicunt, Obiectū horum librorum eſſe ipſum Cœlum, intelligendi ſunt de principali ſpecie Vniuerſi, quod ſimiliter verū eſt.

QVÆSTIO SECVNDA

De Corpore Simplici in Comuni, quod eſt Genus ad partes conſtituentes Vniuerſum.

De quidditate Corporis Simplicis

DVBITATIO VNICA.

An quidditas Corporis Simplicis rectè explicetur per carentiam compoſitionis ex alijs Prioribus Corporibus?

1 DVplici cōcluſione poſſumus integro dubio ſatisfacere. Prima concluſio. Corpus ſimplex in comuni poteſt a priori rectè explicari, quod ſit illud, quod non reſoluitur in alia priora corpora, quæ aliquo modo in ipſo contineantur, vel ad ſui conſtitutionem pertineant, ſicut preexigit Corpus Mixtum. Ita Ariſt. in 3. de Cœlo tex. 30. & 2. de Generatione text. 46. vbi p hoc Mixta diſtīguit ab Elemētis: & pr, quia ſi Corpus Mixtū eſt illud, ꝙ fit per mixtionē, ad quam concurrunt miſcibilia, quæ ſunt Corpora ad inuicem permixta; & in Generatione mixtorum tantum virtualiter permanentia, vt in ſequenti Tractatu ex profeſſo dicetur, ſequitur, quod Corpus ſimplex, quod eſt oppoſitum Mixto, illud ſit, quod per mixtionem non fit, nec alia corpora in ſe continet.

2 Secunda concluſio. a poſteriori poteſt Corpus ſimplex explicari, quod ſit illud, quod habet per ſe primo Naturam ſimplicem, quæ ſit principiū ſimplicis motus, ſimplex autem motus eſt, qui fit per lineā ſimplicem ſiue rectā, ſiue circularem, & à principio intrinſeco prouenit, ad illum motum determinato. Ita Philoſofus primo de Cœlo text. 7. & 3. Cæli tex 35. vbi per hoc diffinit Corpus ſimplex, ipſumque à Mixto diſtinguit. diximus per ſe primo, quia etiam Mixta aliquo modo ſimplicici Motu mouentur, habentque intrinſecum principium talis motus; vt cum lapis mouetur deorſum; huiuſmodi tamen motus non conuenit Corporibus Mixtis per ſe primo, ſed propter Elemētum prædominans, quia nimirum Terra in Generatione

lapi-

lapidis propter dominium ſuper alia Elementa magis ſibi aſſimilat formã lapidis, quæ deinde mouet ipſum lapidem ſimili modo, ac Forma Terræ: vnde Ariſt. loco citato, & 4. Cæli text. 28, docens, motũ ſimplicem Elementis conuenire, ſemper hæc ſubiungit: *Et ſi quandoque cõuenit mixtis, hoc erit ſecundum prædominans Elementum*. Quaſi diceret, ꝙ motus ſimplex non conuenit Corporib' Mixtis p ſe primo, ſed propter Ælemẽtũ prędominans. Ita etiam D. Thom. Scotus; & Ægidius hoc loco.

3 Quod autem motus ſimplex ſit ille, qui per lineam ſimplicem fit, & à principio determinato, nec requirat alias conditiones, probari poteſt, quia motus Proiectorum ideo non eſt ſimplex, quia principium illius motus non eſt intrinſecum, nec motus Fulminis vel Animalis eſt ſimplex, quamuis ſecundum lineam rectam fiat, quia principium intrinſecum non eſt determinatum ad talem motum tãtum; motus vero Grauium deorſum, & Leuium ſurſum ſunt ſimplices, quia ad propria loca per lineam rectam feruntur, & ſi aliquãdo declinant ad latera, vt contingit in motu Fluuiorum, id per accidens eſt, ratione ſcilicet impedimenti: vnde ſemper ad propria loca tendunt per lineam breuiorem; nec habent inclinationem ad aliũ motum: Similiter Cælum ſimplici motu mouetur, quia linea illa eſt circularis, & ex ſe non eſt aptum natum motu recto moueri.

4 Sed contra dicta Obijcies primo. Si Corpus ſimplex eſt illud, quod habet principiũ naturale motus, cum Corpus mixtum habeat etiam principium naturale motus, ſequitur, quod vel nullum diſcrimẽ erit inter Corpus ſimplex, & Mixtum, vel non rectè explicatur quidditas Corporis ſimplicis. Reſpondetur, quod ſimplex Corpus illud eſt, quod habet vnum principium naturale ſimplicis motus: Corpus vero mixtum habet plura principia, licet moueatur à prædominante. *Obijcitur primo contradicta.*

5 Obijcies ſecundo. Elementum etiã habet duo principia motus, ſ. Actiuum, vt eſt Forma, & Paſſiuum, vt eſt Materia, ergo etiam motus elementorum eſt mixtus, vel non rectè explicatur quidditas Corporis ſimplicis. Reſpondetur, quod Corpus ſimplex habet vnum principiũ naturale ſui motus, intellige vnum principium vnius rationis; modo Elementum habet plura principia non vnius *Obijcitur ſecũdo.*

-us rationis, ſed diuerſæ, quia vnum principium eſt actiuũ, & aliud paſſiuum?

6 Obijcies Tertio. ſi Terra moueretur Surſum, talis motus eſſet ſimplex, & tamen non eſſet a principio intrinſeco determinato, ergo hæc non eſt conditio neceſſaria ſimplicis motus. Reſpondetur. Dari duplicem motũ ſimplicem, alterum naturalem, alterum violentum: motus Terræ ſurſum eſſet motus ſimplex violentus, non naturalis, eſſetque ſimplex, quatenus fieret per lineam ſimplicem, ſed ſemper eſſet oppoſitus motui ſimplici naturali, de cuius ratione eſt, vt ſit a principio intrinſeco determinato.

7 Obijcies Quarto. Quilibet motus eſt quantus, ergo quilibet motus eſt compoſitus, ergo nullus eſt ſimplex. Reſpondetur, controuerſiam eſſe inter Doctores, in quo cõſiſtat ſimplicitas motus? ſed relictis omnibus alijs dicendi modis, dicimus cum Ægidio hic, quod motus non dicitur ſimplex propter carentiam Quãtitatis, vel propter carẽtiam cõpoſitionis ex Materia, & forma: ſed dupliciter mot poteſt dici ſimplex, vel .ſ. ſecundum Genus, vel etiam ſecundum Speciem: Motus ſimplex ſecundum Genus eſt, qui non eſt compoſitus ex circulari, & recto: ſed tunc motus circularis eſt ſimplex, quando fit tantum per lineam circularem circa medium Mundi; tũc vero motus Rectus eſt ſimplex, quando fit per lineã rectam vel à medio, vel ad medium; ſed non circa medium: Motus vero Simplex ſecundũ ſpeciem eſt ille, qui non componitur ex motu ſurſum, & deorſum: vnde cum dicitur, quod motus eſt ſimplex propter ſimplicia Spacia, id intelligendum eſt de ſimplicitate ſecundum Genus, non de ſimplicitate ſecundum Speciem: atque adeò cum Corpus graue mouetur ſuper lineam traſuerſalem, tunc ille motus eſt ſimplex ſimplicitate Generis, quia nõ eſt compoſitus ex recto, & circulari, licet ſit cõpoſitus ſecundum Speciem, quia eſt compoſitus ex aſcenſu, & deſcenſu.

DE NVMERO CORPORum Simplicium

DVBITATIONES DVÆ.

Dubit. I. An de facto Corpora Simplicia conſtituentia Mundum ſint tantum quinque ſ. Cælum, Ignis, Aer, Aqua, & Terra?

Dubitatio II. An de Potentia Dei abſoluta poſſint produci alia Corpora Simplicia vel ſpe

cie, vel numero diſtincta ab his, quæ modo ſunt in Vniuerſo?

DVBITATIO PRIMA

An de facto corpora Simplicia conſtituentia mundum, ſint tantum quinque .ſ. Cælum, Ignis, Aer, Aqua, & Terra?

1 RElictis omnium Philoſantium Opinionibus, comunis & vera apud omnes Peripateticos ſententia eſt tantummodo quinque eſſe de facto Simplicia corpora .ſ. Cælum, Ignem, Aerem, Aquam, & Terram. Probat hoc Philoſofus primo de Cęlo text. 7. Supponendo prius, quod omnia Corpora Phiſica localiter mouentur, cum habeant naturam, quod eſt principiũ motus; Supponit vlterius, quod omnis motus localis aut eſt ſimplex, aut eſt mixtus: Motus ſimplex aut eſt rectus, aut eſt circularis, quia etiam ſpacium aut eſt rectum, aut eſt circulare; motus rectus aut eſt à medio, & dicitur motus ſurſum; aut eſt ad medium, & dicitur motus deorſum; circularis vero ſemper eſt circa medium: Motus tandem mixtus eſt compoſitus ex his motibus ſimplicibus, quapropter etiam corpora aut erunt ſimplicia, qui ſcilicet motu ſimplici mouentur, aut erunt Mixta, qui mouentur motu mixto (ſi enim aliquando mixta mouentur motu ſimplici, hoc tantum eſt propter elementum prædominans.)

2 His ſuppoſitis, ſic probat Philoſofus, corpora ſimplicia eſſe tantum quinque .ſ. Cælũ & 4. Elementa. Præter quatuor Elementa datur etiam aliud corpus ſimplex, quod eſt Cælum, ergo quinque ſunt corpora ſimplicia probatur antecedens; Motus ſimplex circularis alicui ſimplici corpori conuenire debet, ſed non quatuor Elementis, quia hæc mouentur motu recto, & Vnius ſimplicis corporis vnus tãtum eſt ſimplex motus, ſicuti in ipſo vnum tantũ eſt Principium, ergo motus ſimplex circularis conuenit alteri corpori ſimplici ab elementis. Deinde ſi datur grauitas, & leuitas ſimpliciter, & grauitas & leuitas ſecundum quid, & ſi dantur quatuor loca .ſ. ad medium, & à medio ſimpliciter, & ad medium, & à medio ſecundum quid, conſequenter quatuor erunt ſimplicia corpora, quibus prædicta conueniunt.

3 Quod vero de facto non dentur alia nec numero, nec

ſpecie diuerſa Corpora ſimplicia prẹter quinque iam numerata, colligi poteſt ex Sacra Scriptura Genes. 2. vbi Deus poſt huius Mundi creationẽ ceſſaſſe dicitur ab Vniuerſo opere, quod patrarat. & adiungi poteſt, quia non habemus rationem cogẽtem, plures eſſe Mundos, ſicut nec adeſt ratio conuincens; Mundi vnitatem.

4 Sed Obijcies Primo, quod non rectè inferatur numerus Corporum ſimplicium ex numero motuum ſimplicium; quia quamuis concedatur, quod ſimplex motus ſit ſimplicis corporis, non rectè tamen videtur ſequi, quod ſimplex Corpus, quod mouetur circulariter, ſit Corpus ſimplex, diſtinctum ab eo Corpore ſimplici, quod mouetur motu ſimplici recto. Sed Reſpondetur, quod vnum corpus non poteſt moueri ſecundum naturam motu Naturali alterius corporis, quamuis plura corpora poſſint moueri vno, & eodem motu non naturali, ita vt vnum moueatur violẽter motu alterius; Vnius ergo corporis Simplicis vnus tantũ eſt motus ſimplex naturalis, & diuerſorum corporum ſimplicium diuerſi ſunt motus ſimplices naturales: ſi ergo motus circularis eſt ſimplex, & alius à motibus rectis, neceſſe eſt, quod talis motus ſit naturalis corpori ſimplici, & quod hoc corpus ſimplex ſit aliud à corporibus ſimplicibus, quæ mouentur motu ſimplici recto.

Proponitur, & ſoluitur prima obiectio.

5 Obijcies Secundo. non videtur vniuerſaliter verum, quod vnus motus ſimplex ſit ſolius vnius corporis ſimplicis: nam motus deorſum eſt naturalis Aquæ, & Terræ; & motus ſurſum eſt naturalis Igni, & Aeri, ergo ex numero motuum ſimpliciuum non rectè infertur numerus ſimplicium corporum. Reſpondetur, quod motus localis tribuitur Elemento non ſecundum eſſe calidum, & frigidũ, vel ſecundum eſſe humidum, & ſiccum, ſed ſecundum Grauitatem, & Leuitatem: vnde duo Corpora Grauia comparantur ad motum localem ſicut vnum corpus, & ſimpliciter duo corpora Leuia; humidum enim, & ſiccum, ſecũdum quæ differunt Aqua, & Terra, vel Ignis, & Aer, habent ſolam habitudinem accidentalem ad motum localem: cum tamen in Graui, & leui ſit quædam differentia, quia Ignis eſt Leuis ſimpliciter, & abſolutè, ſicut Terra abſolutè & ſimpliciter eſt grauis, Aer autem eſt Leuis per comparationem ad duo Elementa, s. per comparationẽ

Secunda Obiectio

ad Aquam, & Terram; & ſimiliter Aqua eſt grauis per comparationem ad Aerem, & & Ignem; vnde non eſt idem ſecundum ſpeciem motus Aquæ & Terræ, vel motus Ignis, & Aeris, quia non ſunt idē termini, ſecundum quos ſpecificantur eorum motus: Aer enim natus eſt moueri ad locum, qui ſubditur Igni, Aqua autem ad locum, qui supereminet Terræ.

6 Obijcies Tertio. Motus dextrorſum, & ſiniſtrorſum motus Ante, & Retro sūt motus ſimplices; ſicut motus furſum, & deorſum, ergo ſi ex diuerſitate motuum ſimplicium ſumitur diuersitas simplicium corporum, ſequitur, quod Corpora simplicia ſunt plura quam quinq; Reſpondetur, quod motus simplices qui ſunt naturales corporibus simplicibus, attenduntur ſecundum cōditionem Vniuerſi, quia Corpora ſimplicia ſunt eſſentiales, & primæ partes Vniuerſi: cum igitur Vniuerſum ſit ſphericum, vt in ſequenti Quæſtione oſtendetur, oportet, quod motus naturales ſimplicium Corporum attendantur per comparationem ad medium, quod eſt immobile, quia omnis motus fundatur ſuper aliquod immobile, vt dicitur in lib. de Cauſa: Motus igitur simplices vel ſunt à medio, vel ad medium, vel circa medium; Dextrum autem, & Siniſtrum, Ante, & Retro cum cōſiderētur tantum in Animalibus, & non in toto Vniuerſo, nisi pro vt Animalia ponuntur in Cælo, fit, quod motus Dextrorſum, & ſiniſtrorſum, Motus Ante, & Retro nō simpliciter numerentur inter motus simplices; atque adeo nec minus ex diuersitate talium motuum multiplicantur diuerſa corpora simplicia.

Obiectio tertia.

7 Solēt hic āfferri aliæ Obiectiones, quæ augeant, vel minuant numerum Corporū simplicium: ſed illę ſuis locis particularibus adducentur, & ſoluentur.

DVBITATIO SECVNDA.

V. De Potentia Dei abſoluta produci poſſint plura Corpora ſimplicia vel numero, vel ſpecie diſtincta ab his, quæ modo ſunt in Vniuerſo?

1 Communis Catholicorū Opinio eſt, de Potentia Dei abſoluta poſſe multiplicari & numero & ſpecie ea quinque Simplicia Corpora, in præcedenti dubitatione numerata. Ita omnes Recētiores cum D. Tho. hic lib. p.

de

de Cælo text. 92. Scot. apud Maſtrium & Bellutum diſp. p. q. p. art. 2. num. 11. Ægid. hic, & in quolibetis; probatur autē, quia nulla eſt repugnātia, neque ex parte Dei, qui eſt infinitæ Potentiæ, neque ex parte Rerū, quia quælibet ſpecies poteſt in infinitū multiplicari: poteſt ergo Deus, alios Cęlos, & alia Elementa ſaltem numero diuerſa in illo inani Spatio collocare, includentia alia Mixta eiuſdem naturę cum iſtis.

2 Dices cū Ruuio hic Trac. de Mundo q. 2. non poteſt etiam de Potentia Dei abſoluta repetiri alius Homo ſpecie diſtinctus ab iſto, qui eſt hodie in Mundo, ergo non poteſt Deus producere alia Simplicia Corpora ſpecie diuerſa ab iſtis, quæ modo ſunt. Sed Reſpondetur, vel Ruuius intelligit, quod hæc Species Humana, quę modo multiplicatur numero, non poſſit de Potentia Dei multiplicari ſpecie in alijs Mundis ſpecie ab iſto diuerſis, & hoc verum eſt, quia non ſolum Species Humana, ſed nec ipſa Simplicia Corpora poſſunt Specie multiplicari, cum nulla Species ſpecialiſſima poſſit diuidi in plura ſpecie differentia: vel intelligit Ruuius, quod nullo modo reperiri poſſit aliqua Creatura Corporea in gradu intellectiuo ſpecie à nobis diſtincta, & hoc eſt falſum, quia videmus in eodem gradu eſſendi ſubſtantiæ incorporeę, reperiri plures ſpecies Angelorum, & plures alios Angelos poſſe à Deo produci ſpecie diſtinctos ab iſtis iam productis: ſicut ergo ſunt poſſibilia alia Elementa ſpecie diuerſa ab iſtis, que modo ſunt, ita ex iſtis poterit generari aliud Corpus Organicum ſpecie differens à noſtro, quod alia Anima intellectiua ſpecie à noſtra diuerſa ſit informabile, ex quibus alij Homines ſpecie à nobis diſtincti Componantur.

Euacuatur quædā in ſtātia Ruuij.

3 Beneuerum eſt, quod cū omnis noſtra Cognitio ortū habeat à Senſibus, & Senſus noſtri ab iſtis, que modo ſunt, moueantur, non poſſumus nunc diſtinctè percipere quænam, & qualia eſſent huiuſmodi alia Corpora, ipſorumque ordo, & conſtitutio? & ideo quadam confuſa imaginatione hanc diuerſitatem apprehendimus.

4 Sed Obijcies primo, vel iſta Corpora Simplicia, quæ per Diuinam Potentiam dicuntur eſſe poſſibilia, eſſent eiuſdem ſpeciei, cum iſtis, quæ modo ſunt, vel alterius naturæ? non primum, quia tunc Mundus ęquiuocè diceretur de omnibus illis, dein-

de motus ipſorum vel eſſent à medio, vel ad medium, vel circa medium ſicuti ſunt motus præſentium Corporum ſimplicium? & ſic non eſſent diuerſæ naturæ ab iſtis, quæ modo ſunt; nec ſecundum; quia tunc Terra vnius Mundi na ualiter moueretur ad locum Terræ alteruis Mundi, & per conſequens violenter quieſceret in proprio loco, eſſetque motus à Centro illi naturalis; quod implicat. Reſpondetur, quod illa alia corpora ſimplicia, quæ per Diuinam Potẽtiam dicuntur eſſe poſſibilia, eſſent alterius naturæ ab iſtis, quę modo sũt, & conſtituerent Mundum alterius rationis ab eo, qui nunc eſt, de quibus Mundis æquiuocè tunc diceretur totum Vniuerſum, ſicut modo Mũdus præſens ęquiuocè dicitur de quinque corporibus Simplicibus, non enim Mundus eſt vnum per ſe, vt in ſequentibus oſtendetur, neque hoc implicat, niſi velimus dicere, Mundum importare rationem ordinis, quæ eſſet ratio generica vniuoca pluribus Mundis, ſicut ordines illi ſpecie inter ſe differrent. Neque motus Corporum poſſibilium eſſent eiuſdem Speciei cum motibus corporum præſentium; nam licet eſſent vel à medio, vel ad medium, vel circa medium; medium tamen, & Circumferentia eſſent alterius rationis à medio, & circumferentia præſenti, ſicuti diuerſa eſſent ipſa met corpora.

Corpora ſimplicia que poſſent produci, eſſent diuerſæ naturæ.

5 Dicimus etiam, dari poſſe alia corpora Simplicia numero diſtincta ab iſtis, quæ modo ſunt, ſed tunc non eſſet neceſſe, Terram vnius Mundi ad centrum alterius moueri, ſed quilibet naturaliter tenderet ad proprium Centrum, ac ſi alter Mundus non eſſet.

6 Obijcies Secundo. præter loca huius Mundi non dantur alia loca, ergo non ſunt poſſibilia alia Simplicia Corpora. Reſpondetur; quod ſi eſſent alij Mundi, darentur in illis propria Loca, ad quę corpora illorum naturaliter ſecundum proprias inclinationes mouerentur, & quamuis de facto non dentur extra Mũdum alia Loca ſumpta pro Superficiebus corporum continentium, datur tamen Spacium illud inane, in quo poſſet Deus infinitos Mundos ad ſui beneplacitum procreare.

7 Obijcies Tertio. Hic Mũdus omnem Materiã poſſibilẽ continet, nec eſt dabilis alia Materia: nam eſt Ariſtotelicũ principium, quod omne Corpus ſempiternum eſt ex tota

Ma-

Materia actuali. & potentiali ſuæ Speciei; ergo nec ſunt poſſibilia alia corpora Simplicia. Reſpondetur, negando abſolutè, eſſe impoſſibilem aliam Materiam: illud autem principium Ariſtotelicũ pro modo non acceptatur, quia non concordat cũ principijs Theologiæ: præter quam quod poteſt gloſari de ordine rerum, quem de facto videmus, non autem de alio ordine, quem Deus poſset inſtituere.

DE ORDINE, QVEM ſeruant inter ſe Simplicia Corpora.

DVBITATIO VNICA.

Quem ordinem ſeruent inter ſe Quinque Simplicia Corpora, quæ conſtituunt Vniuerſum?

1 ARIST. Secundo Cæli tex 71. refert, fuiſſe Opinionem Pithagoreorum, ponentium Ignem, ſeu Solem in centro Mundi: Terram vero tanquam Aſtrum circa Solem circumuolui, quam Opinionem fusè proſequutus eſt Nicolaus Copernicus, qui poſuit Cælum Stellatum immobile in ſupremo loco, in Centro ipſum Solem, ſupra Solem Mercurium, deinde Venerem, poſtea Terram, quę ſimul cum Aqua, & Aere circa Solem tanquam ſidus in Sphera collocatum, moueatur per circulum zodiaci ab Occidente in Orientem ſpacio vnius anni, in qua Sphera collocauit etiam Lunam, deinde alios Cælos Planetarũ.

2 Sed vera ſententia, quam Sectamur cum omnibus Philoſophis, & Theologis, eſt, Quinque Corpora ſimplicia ſic ordinari; itant Cælum cum Aſtris, & Sole ſit in ſupremo loco, in Centro ſit Terra, Cætera vero corpora medium ſibi vendicent locum. Ita D. Thom. 2. lib. de Cælo lect. 20. Scot. in 2. diſt. 14 quæſt. 2. Et Ægid. hoc loco; probatur autem primo authoritatæ Sacræ Scripturæ. quia Genes. p ſic dicitur. *Fecitque Deus duo Luminaria magna, & Stellas, & poſuit eas in firmamento Cæli, vt Lucerent ſuper Terram.* & Ioſue 10 dicitur. *Stetit itaque Sol in medio Cæli, & non feſtinauit occurere ſpatio vnius Diei.*

2 Deinde certum eſt, ex ſacra Scriptura maximè Iſaijæ 14. quod Lucifer poſt commiſſum peccatum appetens altiſſimũ, & digniſſimum locũ, fuit in pœnam proiectus in ꝓfũdũ Abiſſi. *Corruiſti in Terrã, q vulnerabas Gentes, qui dicebas in corde tuo, in Cælum cõſcendam,*

dam, verumtamen ad infernum detraheris in profundum Laci. Ex quo loco deduci poteſt Infernum eſſe infimum locum Vniuerſi, nec alibi reperiri niſi Subtus Terram: vnde *Chriſtus deſcēdit ad inferiores partes Terræ* Ephes. 4. Igitur in Centro Vniuerſi qui eſt Locus tormentorum, & tenebrarum, nequit reperiri Sol, qui eſt fons claritatis, ſed potius Terra.

3 Adiungi poteſt ratio naturalis; tum quia Grauitas eſt principium motus deorsũ, (ait enim Philoſofus, omnia Grauia in centrum tendere, facientes angulum,) ergo sũma Grauitas ad Locum omnium infimum tendet, ſed Terra eſt ſummè Grauis, ergo in centro reperiri debet.

4 Sed dices. Sol in omnia influit, omnia gubernat, & conſeruat; ergo debet collocari in medio, æque diſtans ab omnibus. Reſpondetur, potius ex hoc ſequi debere, Solem collocari in Cælo, & in nobiliori, ac digniori loco intelligentijs propinquiori, vt poſſit influere in omnia; alias ſi centrum eſſet nobiliſſimus locus, ſequeretur, quod Demon in digniori loco reſideret, quam Beati.

QVÆSTIO TERTIA

De Eſſentia, & Qualitatibus Vniuerſi ſecundum ſe.

De Vnitate, & Perfectione Vniuerſi

DVBITATIONES DVÆ.

Dubitatio I. V. Totum Vniuerſum ſit vnum ens per ſe conſtitutum ex Corporibus ſimplicibus tanquam ex Materia, & Forma?

Dubit. II. V. Vniuerſum ſit vndequaque perfectum?

DVBITATIO PRIMA.

V. Totum Vniuerſum ſit vnum Ens per ſe conſtitutũ ex Corporibus Simplicibus tanquam ex Materia, & Forma?

1 ARiſt. Libro de Mundo cap. 2. Sic Diffinit Mundum. *Eſt compages è Cælo, Terraque coaugmentata, atque ex iis naturis, quæ inter ea continentur, eſtque quidam ordo, & digeſtio Vniuerſorum, quæ à Deo, & per Deum aſſeruantur*. Ex hoc deduci poteſt concluſio, nobis cum comuni

ni omnium conſenſu ſubſtinenda; Quod totum Vniuerſum non eſt vnum Ens per ſe, nec minus quinque Simplicia Corpora conſtituunt vnũ per ſe, quod appelletur Mundus: ſed potius Vniuerſum eſt vnum per accidens, ſeu vnum per aggregationem; probatur hoc ratione non Leui, quia non datur aliqua Forma totalis in Vniuerſo, omnia corpora informans, ergo non datur aliquod per ſe vnum conſtitutum ex iſtis corporibus. Probatur antecedens. Talis Forma nõ eſt Anima, quia ſic omnia Corpora eſsẽt Animata, quod patet, eſſe falſum. Neque Forma Mũdi eſt inanimata, tum quia nulla eſt Ratio cogens, vel apertè demonſtrans talem Formam totius; tum quia ſi daretur talis Forma, ea eſſet generabilis, & corruptionalis, nam ad deſtructionem vnius Corporis, vel vnius partis Mundi ſępe vel Aquę, vel Ignis, &c. Forma illa talem partem informans, defineret eſſe; tum denique quia nulla Forma reperiri poteſt, quæ exigat tam diuerſam materiam, & tam variè diſpoſitam, qualia ſunt iſta Simplicia Corpora.

2 Rectè igitur Ariſt. dixit in loco ſupra citato, totum Mundum eſſe rerum compaginem diſpoſitam, & ordinatam: Solumque addere ſupra corpora Simplicia quandam relationem ordinis.

3 Sed contra Obijcies Primo. Sunt multa Loca ſacræ Scripturæ, & Authoritates Patrum, ex quibus poteſt deduci, dari quandam Formam Vniuerſalem, omnia contenta in Mundo Regẽtem; ergo &c. Reſpondetur, huiuſmodi Loca, & Authoritates nõ debere intelligi pro Forma informante, ſed largè pro Forma Aſſiſtente, quatenus ipſe Deus tanquam Prima cauſa omnium vbique diffuſus per Eſſentiam, Potentiam, & Pręſentiam omnia regit, & gubernat.

4 Obijcies Secundo. Plures Mundi partes ſunt animatæ, ergo & ipſe Mundus; nam totum non eſt inferioris ordinis, & conditionis, quam Suæ partes. Reſpondetur; aſſumptum valere de toto per ſe, non de toto per accidens, & per aggregationẽ, quale eſt Vniuerſum.

5 Obijcies Tertio. Se mouere ſecundum partem, ſeruare ordinem in motu, ita vt vnum etiam contra propriã inclinationẽ moueatur propter conſeruationem totius, conſtare ex partibus Etherogeneis vnitis, habere determinatam Figuram, & poſitionum Differentias, ſunt pro-

prie-

prietates Viuentis, vt patere poteſt conſideranti ſingula; ſed hæc omnia conueniunt Mundo, vt de ſe etiam patet; ergo.&c. Reſpondetur. hæc omnia non conuenire proprie Mundo, vt eſt totum per ſe à partibus diſtinctum, ſed vel impropriè, vel ratione ſuarum partium: nam etiā Reipublicæ aliqua competunt ex ſuis partibus, quatenus moraliter eſt quoddam totum.

DVBITATIO SECVNDA.

V. vniuerſum ſit vndequaque perfectum?

1 POteſt eſſe dubitatio vel de perfectione, vel de poſſibili, quam de Potentia Dei poſſet habere: Sed de perfectione poſſibili iam diximus, poſſe produci à Deo alios Mundos in infinitum perfectiores. Videantur quæ cum Ægidio docuimus in Methaphiſica Tract. 3. diſput. p. q. 2. art. 1. dubit. 4. 5. & 6.

2 Quo ad perfectionem vero actualem dicimus, Vniuerſum Mundum eſſe perfectum non quidem ſimpliciter, & abſolutè, quomodo Solus Deus eſt perfectus, cum Solus ille omnem perfectionem contineat, & nullam imperfectionem admictat; Sed tantum in genere. Idque præter rationes Ariſtotelicas, quæ aſſignantur in p. Cæli cap. p. probatur primo Authoritate Sacræ Scripturæ; nā Genes. p. poſtquam de Singulis creaturis dictum fuerat, quod eſſent bona, ſtatim de omnibus interſe ſimul connexis, & ordinatis ſubiūctum fuit. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona.* Secundo ratione; quia ōes modi eſſendi rerum excogitabiles, ex quibus decem Prædicamenta coaleſcunt; repeciuntur in Mundo, nec datur aliqua ſeries rerum collocabilium in aliquo Prædicamento, quæ non exiſtat in Mundo. Præterea adeſt admirabilis ordo, quo res omnes variè interſe diſponuntur; ergo &c.

3 Dices. Bonum, & perfectum ex integra cauſa, malum autem ex quocumque defectu: ſed in Mundo multa deſunt, vt ſunt plures Species, & Specierum jndiuidua poſſibilia, pluresque in eo defectus repeciuntur, vt ſunt Mōſtrua, & Peccata. ergo Mundus non eſt perfectus. Reſpōdetur, quod carentia rerum Poſſibilium non officit perfectioni in genere, ſed tantum perfectioni ſimpliciter, alias nulla creatura eſſet in ſe perfecta, quia nulla in ſe continet om-

omnem perfectionem; & quãuis in Mundo ſint peccata, ea tamen non pertinent ad eſſe Naturale: Monſtrua autem aliquo modo pertinent ad ordinem Vniuerſi, quatenus pulcritudo aliarum rerum magis eluceſcit, & per ea ſolum excluditur perfectio ſimpliciter.

4 Dices Secundo. Deus cum Mundo non eſt perfectior, quam Deus tantum, aliàs Deus aliqua perfectione caret, ergo Mundus nullam cõtinet perfectionem. Reſpondetur; diſtinguẽdo antecedẽs; Deus cum Mundo non eſt perfectior intenſiuè, verum eſt, quia quælibet perfectio creaturæ eminenter continetur in Deo; non eſt perfectior extenſiuè, negatur; Nam Deus, & Vniuerſum ſunt plura perfecta.

DE FIGVRA VNIVERSI

DVBITATIO VNICA.

V. Figura totius Vniuerſi ſit Rotunda, vel Quadrata.

1 NON defuerunt, qui dixerint; Figuram Vniuerſi eſſe ad inſtar Teſtudinis, & Tentorij, moti ex illo loco Sacræ Scripturæ, in quo Cælũ tabernaculum appellatur: alij tribuerunt Vniuerſo Figuram Oualem, alii demum dixerunt, eſſe Figuræ Circularis.

2 Sed loquendo de Mundo, vt præſcindit ab Empireo, breuiter dicimus, eum eſſe Figuræ Sphericæ. Ita vnanimi conſenſu omnes Doctores, & colligitur ex Sacra Scriptura Eccl. 24. vbi dicitur, *Girum Cæli circuiui ſola*. illa autem verba Scripturæ vocantis Cælum Tabernaculum, ſolummodo explicant officium Corporis Cæleſtis, non vero eius Figuram: nam ſicut Tentorium, & Tabernaculum operit, & continet omnes, in illo contentos; ita Cælum omnia iſta inferiora; vel non intelliguntur de totali Figura; ſed de partiali, ſ. illius partis, quę videtur à nobis: Figura autem cuiuslibet Simplicis corporis in particulari ſuis proprijs locis explicabitur. Vniuerſum eſt rotundũ

3 Si vero ſit Sermo de Vniuerſo, vt compræhendit Empireum, ſic nihil determinatum poſſumus aſſerere, an ſit Sphericę, vel Quadratę Figurę, quia eius exiſtentia nec naturaliter comprobatur, nec minus ex Sacra Scriptura ſecundum aliquos.

4 Et cum dicitur in Apocalipſi 21. *Ciuitas in quadro poſita eſt*. Poſſunt illa verba interpre-

terpretati; ad Significandam Permanentiam, & tranquillitatē Glorię Cæleſtis, & quia Vtraque Figura tam ſcilicet Spherica, quam Quadrata habent cum Gloria proportionem aliquam, ideò vtraque poteſt ei conuenire.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Præcipuo Corpore Simplici nempe

DE CÆLO.

De quo Ariſt. in Secundo Libro.

PRima, & præcipua Species Corporis Simplicis eſt Corpus Cæleſte, non illud, quod vocamus Empireum, de quo Sermo remictitur ad Theologos; Sed quod eſt infra Empireum, & ſupra Cætera hæc jnferiora, eſtque nobilius eiſdem jnferioribus, & omnium cauſa, propter quod priùs de ipſo agendum eſt, quam de alijs, eo vel magis quia potius notitia Corporis Cæleſtis cōfert ad cognitionem ſublunariū, quam è contra: Solet autē accipi Cælum multipliciter, vt docet Ariſt. p. Cęli text. 96. ſed in præſenti ipsū Sumimus, vt ſupponit pro omni Corpore exiſtente ſupra hanc Regionem Elementarem, quo modo comprehendit etiam Aſtra, & duo poſſunt conſiderari de Cælo ſic accepto, ſcilicet Eſſentia, & Natura; & Proprietates, ſeu Accidentia.

QVÆSTIO PRIMA.

De Corpore Cæleſti quo ad eſſentiam, & naturam.

De Materiali compoſitione Cæli.

DVBITATIONES DVÆ.

Dubitatio Prima. An Corpus Caleſte ſit compoſitum ex Materia, & Forma?

Dubitatio Secunda An Materia Cæli ſit eiuſdem rationis, & Speciei cum Materia Sublunarium?

DVBITATIO PRIMA.

An Corpus Caleſte ſit compoſitum ex Materia, & Forma?

1 SCOTVS in 2. diſt. 14. q. p. apud Maſtrium, & Bellutum in Libro de Cælo diſput. 2. q. 1. art. p. & omnes Scotiſtæ cum omnibus Auerroiſtis

Scotiſtæ negant Materiã in Cælo.

toiſtis docent, in Principijs Ariſtotelicis & ſecundum Lumen naturæ Cælum non eſſe compoſitum ex Materia, & Forma, quamuis ſecundum veritatem, & iuxta principia Theologica in Cęlo ſit talis compoſitio admictẽda. Prior pars, in qua eſt tota controuerſia, multipliciter ꝓbatur; primo quia in Cælo non eſt compoſitio ex potentia, & actu, ergo neq; ex Materia, & Forma: probatur antecedens. Cælum non eſt tranſmutabile de potentia ad actũ; ergo &c. Secundo Philoſophus in 7. Meth. inquit, quod Materia eſt id, per quod res poteſt eſſe, & non eſſe; ſed Cælum non habet potentiam ad eſſe, & non eſſe; ergo &c. Tertio In Cælo non eſt priuatio, quę per ſe ſequitur Materiam; ergo &c. Quarto In Cælo non eſt ponẽda Materia propter eſſe, quia Materia non facit ad eſſe; nec propter motũ ad Formam, quia Cælum eſt incorruptibile: nec minus propter motum ad Vbi, quia potẽtia ad Vbi eſt accidentalis, Materia autem eſt potẽtia ſubſtantialis: nec tandem eſt Materia ponẽda in Cælo propter Quantitatem; quia multa alia à Materia ſunt extenſa: ergo ex nullo capite eſt in Cælo Materia. Quinto Si in Cælo eſſet Materia; Cælum eſſet corruptibile, probatur ſequela, quia dicitur circa finẽ primi Phiſicorum, quod Materia ſemper machinatur ad maleficium, & ad corruptionem, cum ſit in potentia cõtradictionis ad Formam, & ad Priuationem Formæ. Seſto in Cælo nulla eſt Trãſmutatio ad Formam ſubſtãtialem; ſed tantum ad Formas accidentales, ergo in Cælo nulla eſt Materia, quę eſt ſubiectum ſolius Tranſmutationis ſubſtantialis: ſed ſolum erit ſubiectũ reſpectu tranſmutationis accidentalis.

Thomiſtæ concedũt in Cęlo Materiam.

2 D. THOMAS in primo Libro de Cælo text. 20. & cum eo omnes Thomiſtæ omneſque Recentiores, præſertim Conimbricenſes p. Cæli c. 2. q. 4. Ruuius q. 5. Suares diſp. 13. ſuæ Methap. ſect. 10. Hurtad. diſp. p. de Cælo ſect. p. & Arnicus Tractat. 4. q. 2. dub. 2. Auerſa q. 33. ſect. 5. conſtanter affirmant, non ſolum ſecundum veritatem, & principia Theologica, ſed etiam ſecundum Lumen naturæ, & principia Philoſophica, Cælũ eſſe ex vera Materia, & vera Forma compoſitum; cuius ſententiæ fundamenta etiam plura ſunt, ſed potiſſima ſunt ſequentia; Primo S. Thomas loco citato ſic ait. *Si intelligat Auerroes, quod Corpus Cæleſte nullo modo habeat Materiã,*

manifeſtè dicit falſum, patet enim, quod corpus illud eſt actu ens, alioquin non ageret in hæc inferiora; omne autem, quod eſt actu ens, vel eſt actus, vel eſt habens actum; non poteſt dici, quod Corpus cæleſte ſit tantum Actus, quia ſic eſſet Forma ſubſiſtens; oportet ergo in corpore Cæleſti ponere aliquod ſubiectum ſuæ actualitatis, non tamen oportet, quod iſtud ſubiectum vel Materia habeat Priuationem, quia Priuatio nihil aliud eſt quam abſentia Formæ, quæ eſt nata inhæſſe: huic autem Materiæ vel ſubiecto non eſt nata in eſſe alia Forma; ſed ſua Forma replet totam potentialitatem Materiæ, cum ſit quadam totalis, & vniuerſalis perfectio, quod patet ex hoc, quia virtus actiua eius eſt actualis, non particularis, ſicut eſt virtus inferiorum Corporum, quorum Formæ tanquam partiales exiſtentes non poſſunt replere totam potentialitatem materiæ. Hæc D. Thomas.

Authoritas Diui Thomę.

Secundo Thomiſtæ arguunt authoritatibus Ariſtotelis; quia Philoſofus 12. Methap. text. 21. ſic inquit. *Omnium Senſibilium corporum eadem ſunt principia ſcilicet Materia, Forma, & Priuatio.* Et ibid. tex. 9. ſubſequitur. *Subſtantia, cuius contingit Differentiam habere, ſiue ſenſibilis, ſiue intellectualis, erit compoſita ex aliquo, vt ex Materia, & ex aliquo vt ex forma;* & 12. Methap. text. 12. ait. *Neceſſe eſt, intelligere Materiā in his, quæ mouentur.* Et 2. de Gener. text. 51. apertiſſimè inquit. *Materiam, & Formam rebus etiam æternis conuenire.* Tandem in primo Cæli text. 92. docuit, Cælum ſingulare eſſe, & omne Singulare in Materia exiſtere; ibique ſubiungit. *Cum dico Cælum, dico Formam, cum hoc Cælum, dico Formam in Materia.* Imo ex hoc probat Philoſofus, non poſſe reperiri aliud Cælum, quia illud conſtat ex tota Materia poſſibili.

Authoritates philoſofi.

Tertiò Thomiſtæ arguunt rationibus etiam deſumptis ex principijs Ariſtotelis, quia Cęlum eſt Corpus habens Naturam, ſed Natura ex 2. Phiſic. text. 4. diuiditur in Materiam, & Formam; ergo &c. Quarto Cælum eſt ſubſtantia, quæ ex Philoſofo 2. de Anima text. 2. diuiditur in Materiam, Formam, & Compoſitum; ſed Cælum non eſt Materia tantum, nec tantum Forma, ergo compoſitum ex Materia, & Forma. Quinto Quantitas eſt paſſio Materiæ: nam ex eo probatur, Intelligētias eſſe incapaces Quantitatis, quia carent Materia; ſed Quantitas eſt in Cælo, ergo etiam in eo erit Materia. Seſto non poteſt dari Compoſitum ex Materia, & Forma, quod non

Rationes pro Thomiſtis.

ſit quantum, & extenſum ſaltem naturaliter; ergo è contra nequit dari Corpus quantum, & extenſum, quod non ſit compoſitum ex Materia, & Forma: ſed Cælum eſt Corpus quantum, ergo &c.

3 EGIDIVS in 2. ſent. diſt. 12. quæſt. 3. art. 3. & in lib. de Materiali Compoſitione Cæli quæſt. 1 & 2. & in Examer. p. 1. c. 6. & 8. Meth. q. 2. quem ex Noſtris ſequitur Thomas ab Argentina in 2. diſt. 12. q. 1. art. 3. duo docet, Primum eſt, quod in Cælo non eſt deneganda Simpliciter omnis Materia, ita vt in illo nullatenus ſit Materia; alterum eſt, quod in Cælo nec eſt Simpliciter ponenda Materia ſub quacunque ratione, ita vt in Cælo ſit Materia eodem modo, quo eſt in iſtis inferioribus; ſed medio modo eſt procedendum: & Sic declarat primum. In Cælo non eſt deneganda ſimpliciter omnis Materia, quia Cęlum eſt Quantum; ergo eſt compoſitũ ex Materia, & Forma. Anteccedẽs etiam ab Auerroe cõfitetur: probatur conſequẽtia, quia vel Quantitas Cæli recipitur in ſubſtantia Cęli, vel Subſtantia Cæli recipitur in Quantitate Cæli? non hóc ſecundum, quia ex hóc ſubſtantia dicta eſt ſubſtantia, quia omnibus alijs ſubſtat, & omnia alia in ipſa fundátur, ergo Quantitas Cęli fundatur in ſubſtantia Cæli: ſed ſecundum eundem Commentatorẽ ſi Materia prius reciperet Formam ſubſtantialem, quam Quantitatem, numquã talis Forma diuideretur diuiſione Quantitatis; ergo ſi Forma, quæ recipitur in Materia non Quanta, nunquam diuiditur diuiſione Quantitatis, multo minus Forma, quæ nõ recipitur in Materia, poterit diuidi diuiſione Quantitatis; ergo Forma ſecundum ſe exiſtens, & non recepta in Materia non poteſt eſſe ſuſceptiua Quantitatis, quia tunc Forma ſine Materia eſſet Quãta, & diuideretur diuiſione Quantitatis, quod ſecundum eundem Comentatorem patet, eſſe falſum. Idque confirmari poteſt cum doctrina Ariſt. 7. Meth. tex 27. vbi ait, quod Forma nõ diuiditur niſi per Materiam: ſi ergo ſubſtantia Cæli eſt ſubſtantia Quanta, & ſubſtantia diuiſibilis, vt patet ad ſenſum, oportet, quod non ſit Forma tantum, ſed potius ſit Forma in Materia; igitur ex ipſa Quantitate Cæli tam ſecundũ principia Commentatoris, quam ſecundum doctrinam Ariſt. concluditur, quod Cælum ſit Forma in Materia.

4 Secundum quod idem Ægid.

Ægid.ͦ duo docet.

Primum eſt, quod in Cælo non eſt ſimpliciter deneganda Materia.

Idq; probat authoritatibus, & rationibus:

Secūdo docet Aegid. qd in Cęlo nō eſt ponēda Materia ſub quacunque ratione.

Ægid. docuit, quod ſcilicet in Cælo non eſt ponenda Materia ſub quacunque ratione; ſic probatur. Nam in iſtis inferioribus Materia eſt ſub Forma habente contrarium, propter quod eadem Materia eſt cum priuatione annexa, & machinatur ad maleficium, eſtque principiū Corruptionis: cum ergo Forma in Cælo non habeat contrarium, non poteſt in Cęlo eſſe Materia cum Priuatione annexa: nec erit in Cælo Materia, vt principium corruptionis, quia nec eſt ibidem Materia vt ſubiectum tranſmutationis ad Formam ſubſtantialem.

IVDITIVM AVTHORIS Ex Ægidio Pio Defenſione

Vtriuſque Opinionis.

Materia propter duplex officium eſt ſimpliciter neceſſaria.

5 VTrāque ſententiam vt probabilem poterimus ſubſtinere, ſi cum Ægidio vbi ſupra notauerimus Primo, quod Materia ꝓpter duplex officium eſt ſimpliciter neceſſaria; primo vt ſit ſubiectū Generationis ſeu trāſmutationis ad Formam ſubſtantialem: nam nulla Generatio nec vlla Tranſmutatio ad Formam ſubſtantialem fieri poteſt ſine Materia etiam de potentia Dei abſoluta. Secundo eſt Materia Simpliciter neceſſaria, vt ſit ſubiectum Quantitatis, quia in nullo eſſe poteſt Quantitas, in quo pariter non ſit Materia, vt ſupra in prima ratione Ægidij oſtēſum eſt: Quamuis autem Materia propter vtrumque officium ſit Simpliciter neceſſaria; non eſt tamē neceſſe Simpliciter, vt in omnibus habentibus eam ſimul exerceat vtrumque officium: nam poteſt Materia eſſe ſubiectum Generationis, & trāſmutationis ſubſtantialis, abſque eo, quod ſit ſubiectum Quātitatis, vt contigeret; ſi Forma ſubſtātialis reciperetur in Materia non Quanta: & pōt etiā Materia eſſe ſubiectum Quantitatis abſque eo, quod ſit ſubiectū Tranſmutationis ſubſtantialis; vt cum in Materia recipitur Forma ſubſtātialis, nullum habens contrarium. In Cęlo igitur eſt neceſſaria ſimpliciter Materia, non vt ſit ſubiectum Tranſmutationis ſubſtantialis, quia cum Forma Cæli nullum habeat contrarium non habet Materiam cum Priuatione admiſtam; Sed eſt in Cælo Materia neceſſaria ſimpliciter, vt ſit ſubiectum Quātitatis, quia in nulla re eſſe poteſt Quantitas, in qua nullatenus ſit Materia.

No-

6 Notandum Secundo; vt firmiora principia habeamus pro defenſione vtriuſque Sententię; quod de Materia diſtinguendum eſt: nam poteſt Materia accipi dupliciter, primo vt eſt ſubiecta Formæ; ſecundo vt eſt ſubiecta Tranſmutationi; & ſecundum vtrãque acceptionem adhuc eſt duplex, cum duplex ſit Forma, & duplex pariter Tranſmutatio; *M*ateria vt ſubiecta Formæ ſubſtantiali eſt propriè Materia; ſubiecta vero Formæ Accidentali eſt Materia largè, ſecundum quod ipſum Compoſitum, & ipſum Corpus, in quo fundatur accidens, dicitur etiam Materia: Sic etiã cum duplex ſit tranſmutatio ſcilicet ad Vbi, & ad Formam ſubſtantialem: reſpectu Trãſmutationis ad Formam ſubſtantialem ſumitur *M*ateria propriè; reſpectu vero Tranſmutationis ad Vbi ſumitur *M*ateria Largè: nam motus ad Vbi fundatur in ipſo compoſito: In Cælo ergo reſpectu Formæ eſt Materia propriè, & largè: quia ibi eſt Materia ſubiecta Formæ ſubſtantiali, quæ eſt Materia propriè, & eſt Materia ſubiecta Formæ Accidentali, quæ eſt Materia Largè: prout Materia Dicitur Corpus: reſpectu autem Trãſmutationis nõ eſt in Cęlo Materia ꝓpriè, quia in Cælo nõ eſt Tranſmutatio, cui propriè ſit ſubiectũ ipſa *M*ateria, quia non eſt ibi Generatio, eſt autem ibi Materia Largè, quia eſt ibi tranſmutatio ad *S*itum, cui Tranſmutationi nõ ſubijcitur Materia propriè, ſed Materia Largè ſecũdum quod corpus, & ipſum compoſitum poteſt dici Materia. In Cælo ergo quia eſt multiplex Forma ſcilicet ſubſtãtialis, & Accidẽtalis, poſſumus ſaluare Materiã & propriè, & Largè; Sed in Cælo reſpectu Tranſmutationis non poſſumus ſaluare Materiam propriè, quia ibi nulla eſt Tranſmutatio, cui ſubijciatur Materia propriè; & cũ ibi ſit Tranſmutatio, cui ſubijcitur Corpus, poteſt dici, quod ibidẽ reſpectu Trãſmutationis ſit Materia largè.

Materia vt ſubiecta Formæ ſubſtantiali eſt propriè.

Vt ſubiecta vero Formę accidentali eſt Materia Largè.

Materia reſpectu trãſmutationis ad Vbi, eſt materia Large.

7 His notatis, Dicimus primo. In Cælo non eſt Materia propriè, vt ſit ſubiectũ Tranſmutationis ſubſtantialis, quia in Cælo non eſt Forma, habens contrarium, nec potentia cum Priuatione coniũcta, Nec minus eſt Materia propriè, vt ſit ſubiectum Tranſmutationis ad Vbi, cum eidẽ Tranſmutationi nõ ſubijciatur *M*ateria propriè, ſed tantum Corpus, quod eſt Materia Largè. Hoc conuincunt Argumenta Scotiſtarum.

8 Cum hoc tamen dicimus

quod

quod in Cælo eſt ſimpliciter ponenda Materia, vt ſit ſubiectũ Quantitatis, quia nullibi eſſe poteſt Quãtitas, vbi nullatenus ſit Materia, & hoc intendunt Thomiſtæ; quos ſequuntur Recenſiores.

RESPONDETVR INFORMA Argumentis

Vtriuſque Sententiæ.

9 AD SCOTVM dicimus, eius argumenta tantum concludere, in Cælo non eſſe Materiam propriè, vt ſit ſubiectum Tranſmutationis realis, cum ibi nulla ſit Generatio: nec minus ibi eſſe Materiam propriè, vt ſit ſubiectum Traſmutationis ad Vbi, Cum ſubiectũ talis Tranſmutationis ibidem non ſit Materia propriè, ſed Totum Compoſitum Cæli, quod reſpectu talis Formæ poteſt dici Materia Largè. Et ad Primũ in ſpeciali Reſpondetur, negãdo antecedens, quod in Cęlo non ſit compoſitio ex potentia, & actu, ad cuius probationem dicimus, quod licet Cęlum non ſit Tranſmutabile de potentia ad actum, habet tamen Quantitatem, quæ ſine Materia, eiuſque potentia eſſe non poteſt. Ad ſecundũ Reſpondetur; quod Materia, quæ eſt in Cælo, non eſt in potentia ad eſſe, & non eſſe, cum eiuſdem Forma nullum habeat contrarium; dictum autem Philoſofi procedit de Materia, cuius Forma habet contrarium; & eodem modo Reſpondetur ad tertium; in Cælo enim non eſt Materia cum Priuatione annexa, cum Forma Cæli nullum habeat contrarium; eſt tamen in Cælo Materia, vt ſit ſubiectum Quantitatis. Ad quartam cõcedimus tres priores partes antecedentis, quod ſcilicet in Cęlo non eſt ponenda Materia propter eſſe, nec propter motum ad Formam ſubſtantialẽ, nec propter Vbi, propter rationes ibidem adductas; ſed negatur vltima pars antecedentis, quod in Cælo non ſit ponẽda Materia propter Quãtitatem; ad cuius probationẽ negandum eſt, aliquod aliud a Materia poſſe eſſe extenſum. Ad quintum neganda eſt ſequela, quia tunc Materia machinatur ad maleficium; quãdo eius Forma habet contrarium: in Cælo autem cum Forma nullum habeat contrarium; nec Materia machinatur ad maleficium. Ad ſextum Reſpondetur; tantum concludere quod in Cælo reſpectu Trãſmutationis ad vbi non ſit Materia propriè, quod nos concedimus: non tamen ibi eſt deneganda mate-

Materia, quę ſit ſubiectũ Quãtitatis.

10. Ad Sanctum Thomam Reſpondetur, eius argumenta conuincere, Materiam eſſe in Cælo ſaltem, vt ſit ſubiectũ Quantitatis, idque probat primum ex eiuſdem Sancti Doctoris Authoritate, & ſecundum deſumptum ex Authoritatibus Ariſtotelis. Tertium, & Quartum ex Ratione probant, in Cælo eſſe *Ma*teriam, quod concedendum eſt ad hunc finem; vt ibi *Ma*teria ſit ſubiectum Quantitatis; idque expreſsè concludit Quintum argumentum, & etiam Sextum.

DVBITATIO SECVNDA

V. ... teria Cæli ſit eiuſdem ... ionis cum Materia Sublunarium?

D. Thomas aſſerit, Materiã Cæli, & horũ inferiorum eſſe diuerſę rationis.

1 D. THOMAS p. 1. qu. 66. art. 2. & Secũdo ſent. diſt 12. art. 1. eiuſque diſcipuli, quos ſequuntur Suarez, Ruuius, Auerſa, & Amicus in præcedenti dubitatione citati, ſubſtinent; *Ma*teriam Cæli eſſe omnino diuerſæ rationis á Materia Sublunarium, cuius ſententiæ fundamenta ſunt huiuſmodi; Primo authoritate Philoſofi primo de Gener. text. 53. vbi ait, *Quodqua communicant, ſunt ad inuicem transmutabilia*: ſi ergo *Ma*teria Cæli, & horum inferiorũ eſſent eiuſdem rationis, Cęlum eſſet corruptibile, quod eſt falſum. Et cõfirmatur; quia idem philoſofus 10. *Methap.* ait. *Corruptibilium, & incorruptibilium non eſt eadem Materia*. Secundo id idẽ probatur ratione, quia *Ma*teria totum ſuum eſſe accipit à Forma, vel ſaltem dicit ordinem eſſentialem ad Formam; ſed Forma Cæleſtis differt ſpecie à Forma Sublunarium etiam in ratione actuandi, quia illa in ammiſſibiliter, hæc verò ammiſſibiliter; ergo &c. Tertio vel *Ma*teria Cæli habet potentiam ad omnes Formas, vel non? Si hoc ſecundum; ergo eſt diuerſæ rationis a *Ma*teria ſub Lunarium, ſi primum, ergo eſt fruſtranea, quia fruſtra eſt illa potentia, quæ nunquã reducitur ad actum. Quarto Corruptibile, & Incorruptibile differunt Genere; ſed Cęlum eſt incorruptibile; hæc vero inferiora ſunt corruptibilia; ergo huiuſmodi non habent eamdem *Ma*teriam.

Au hoc ritas Ariſtotelis.

Rationes pro eadẽ ſententia.

2. SCOTVS in ſecundo diſt. 14. q. 1. apud *Ma*ſtrium, & Belluium diſp. 2. de Cælo q. 2. art. 2. D. Bonauentura eodem loco, Molina p. p. trac. de Opere ſex dierum diſput. 5. & Argent. noſter in 2. diſt. 12. q. 1. art.

Opinio Scoti affirmat vtramqu:

Materiã eſſe eiuſdem rationis.

1. art. 4. Affirmant, Materiam Cæleſtem eſſe omnino eiuſdem rationis cum Materia Sublunaria: probatur autem hæc ſententia primo, quia Materia non eſt vna numero in omnibus habentibus eam propter aliquam vnam Formam numero, vel propter aliquam vnitatem alicuius Formæ indiuidualis: ſed eſt vna per indifferentiam, quia ſi eſſet abſoluta ab omni Forma, non haberet per quid differret, ergo ſecundum huiuſmodi indifferentiam Materia dicenda eſt vna ſpecie, & eiuſdem rationis in omnibus habentibus eam. Secundo in Cælo eſt neceſſario ſimpliciter ponenda *Materia*, vt in dubitatione præcedenti reſolutum eſt: vel ergo *Materia* Cæli eſt eſſentialiter pura potentia, vel includit aliquem actum: ſi primum, ergo Materia Cæli, & horum inferiorum ſunt eiuſdem rationis. Si ſecundum ergo ex *Materia* Cæli, & eius Forma non fit vnum per ſe; ſed per accidens; quia ex duobus entibus in actu non fit vnum per ſe. Tertio ex Argentina: quia in tota rerum vniuerſitate non poſſunt dari duæ Res eſſentialiter diſtinctæ, & diuerſarum rationum, quæ omnino eſſentialiter diſtent a Primo Principio: ſed *Materia* ſuperiorum, & inferiorum ſecundum ſe accep æ per neceſſitatẽ diſtant æqualiter a primo Ente ſcilicet à Deo; ergo Materia Cæli, & horum inferiorum non poſſunt eſſentialiter eſſe diſtinctæ: maior, & conſequẽtia patent, pbatur minor, quia quælibet Materia ſecundũ ſe eſt pura potentia, ergo quælibet diſtat à Deo tantã diſtantia, qua maior eſſe non poteſt inter Entia poſitiua.

Rationes pro Scotiſtis

3 ÆGIDIVS in libro de *Materiali* compoſitione Cæli q. 2. & in 2. ſent diſt 12. q. 3. art. 4. & in 8. meth. q. 3. & in Examer. p. p. cap. 4 magis adhæret ſententiæ Scoti, quã D. Thomæ, docetque, Materiam Cæleſtem eſſe eiusdem rationis cum *Materia* Sublunari, quod dupliciter probat, primo ex conſideratione Materiæ ſecundum ſe, quia ſolus actus eſt, qui diſtinguit, dicitur enim 7. meth tex. 49. quod ablato omni actu, tollitur omnis diſtinctio; & in fundamento Naturæ ideſt in Materia nihil eſt diſtinctum, ergo quia Materia Cæli, & horum inferiorum ſecundum ſe eſt pura potentia, ſi vtraque Materia conſideretur abſoluta ab omni Forma, *Materia* hæc, & illa non habebunt, per quid eſſentialiter differant, quia in pura potentia non po-

Aegid. adhęrere videtur ſententię Scoti.

Fundamenta Aegidij.

teſt eſſe diſtinctio. Secũdo probat Ægidius eandẽ ſententiã, quia *Materia* eſt quid mediũ inter Ens, & nihil; ſubſtantialitas ergo *Materiæ* eſt indiuiſibilis, & in ea gradus reperiri non poſſunt; ex quo ſic formatur ratio. *Materia* propriè non eſt Ens, quia non eſt quid in actu, nec eſt omnino nihil, quia eſt quid in potentia; ſi ergo *Materia* Cæleſtis differret ſpecie à *Materia* Sublunarium, hoc non poſſet eſſe, niſi quia *Materia* Cæleſtis vel plus haberet de entitate, quam *Materia* Sublunaris, vel quia plus deficeret ab entitate, quam illa; ſi dicatur primum, tunc ſequitur, quod talis *Materia* non eſt *Materia*, quia nõ eſſet media inter Ens, & nihil, ſed potius eſſet media inter Ens, & *Materiam*: ſi vero dicatur, quod vna *Materia* plus deficit ab entitate, quam alia, tunc illa nec minus erit *Materia*, quia non erit media inter Ens, & nihil; ſed potius erit media inter *Materiam*, & nihil, quod vt clarius dicatur, addendum eſt, quod pura potentia non poteſt perfici in entitate, niſi fiat Ens in actu, nec poteſt dificere in entitate, niſi fiat nihil.

IVDITIVM AVTHORIS ex Ægidio pro defenſione.

Vtriuſque Opinionis.

4 MAteria Cæleſtis, & horum inferiorum duobus modis poſſunt conſiderari, primo ſecundum nudam eſſentiam ideſt quatenus quælibet eſt abſoluta ab omni Forma; & ſic nulla eſt diſtinctio eſſentialis, & ſpecifica inter vtramque *Materiam*; quia omnis diſtinctio præſertim eſſentialis eſt per Formã, ergo ambæ *Materiæ* vt ſunt abſolutæ, & denudatæ omni Forma, non diſtinguuntur eſſentialiter. In hoc ſequimur Scotiſtas, nec eorum argumenta aliud probant.

5 Secundo poteſt vtraque *Materia* conſiderari, vt eſt ſub actu ſeu ſub Forma, vel quatenus comparatur ad Formam; & hoc modo concedi poteſt; *Materiam* Cæli eſſe diuerſæ rationis à *Materia* Sublunarium, quia Actus, & Forma, ſub qua eſt *Materia* Cæleſtis, eſt diuerſæ rationis cum Forma, ſub qua eſt *Materia* Sublunarium. Idque confirmari poteſt; quia tota diſtinctio ſpecifica, quæ intercedere poteſt inter vtramque Materiam, vel ortum habet ab aliquo actu, vel tantum a

pura potentia? non hoc ſecundum, quia pluries dictum eſt ex Philoſofo, *ſolus actus eſt qui diſtinguit*. Si primum, ergo Materia Cæleſtis in tantum dici poteſt diuerſæ ſpeciei à Sublunari, in quantum eſt ſub actu diuerſæ ſpeciei ab actu Sublunarium; & Confirmatur magis, quia aliud eſt Loqui de Materia, quæcunque ſit illa, quatenus eſt Materia, ſeu Quatenus eſt pura potentia tantum; aliud eſt loqui de Materia Quatenus Cęleſtis, vel Quatenus Terreſtris: primo modo vna non diſtinguitur eſſentialiter ab alia, quia nō habent, per quod differūt: Sed ſecundo modo Cæleſtis eſſentialiter differt à Terreſtri, non Quatenus Materia, ſed Quatenus Cæleſtis: propter quod tota ratio diſtinctionis Specificæ prouenit à ratione Formæ, ad quam ordinem habet, & in hoc ſenſu defendimus Sententiam Thomiſtarum.

RESPONDETVR IN FORma Argumentis

Vtriuſque Sententiæ.

AD authoritatem Ariſt. Reſpondetur, quod Materia dupliciter poteſt cōſiderari, vel vt eſt trauſmutationis ſubiectum, vel ſecundum ſuam nudam eſſentiam: Illa, quæ non ſunt adinuicē tranſmutabilia, non conueniunt in Materia, quatenus hæc eſt ſubiectum trāſmutationis: Sed conueniunt in Materia ſecundum ſuam nudam eſſentiam. Ad Confirmationem ex eodem Philoſofo dicimus, quod ſi Materia conſideretur ſecundum ſuam nudam eſſentiā, & vt eſt abſoluta ab omni Forma, ſic eadem eſt Materia corruptibilium, & incorruptibilium: aſt ſi Materia conſideretur, vt eſt ſub actu, poteſt vna eſſe diuerſæ rationis ab alia, imo diuerſi Generis, non ita vt diuerſitas oriatur à Materia, ſed à Forma.

Satis ſit Philoſopho.

Ad ſecundū ex ratione Reſpondetur; tantum probare, quod vna Materia vt dicit ordinem ad Formam, eſſentialiter diſtinguitur ab alia Materia, pro vt etiam ordinatur ad ſuā Formam. Ad tertium Reſpondetur cum Ægid. in Exam. p. p. cap. 5. quod naturaliter loquendo, Materia ſecundum ſuam nudam eſſentiam non eſt in potentia ad omnes Formas, nec eſſentialiter machinatur ad maleficium, ſed ratione Priuationis annexæ: Materia enim tripliciter poteſt conſiderari, primo ſecundum ſuam nudam eſſentiam; ſecundo vt eſt informata a Forma non

Ad ſecūdum argumētū ex ratione Reſpondetur cum Aegidio

ma non

ma, non habente contrarium, & cuiuſmodi eſt Forma Cæli; vel vt eſt ſub Forma habente contrarium, ſicuti eſt Forma Sublunarium: Materia ſecundum ſuam nudam eſſentiam ſi eſſet abſoluta ab omni Forma, non eſſet naturaliter in potentia ad aliquam Formã: vnde Commentator in 8. Phiſic. c. 4. vult, quod ſi Materia eſſet abſoluta ab omni Forma, non poſſet eſſe alicuius transmutationis ſubiectum: ſi vero Materia ſit ſub Formá, non habente contrarium, poteſt perfici, & perfititur per Formam, quam habet; ſed naturaliter non eſt in potentia ad aliam Formam: vel ſi eſt in potentia ad omnes Formas, non erit in potentia ad omnes Formas ſimpliciter, quia talis Materia non eſt naturaliter in potentia ad Formam Cæli, ſed erit in potentia ad Formas contrarias; Si tandẽ Materia exiſtat ſub Forma, habente contrarium, vt eſt *Materia* Sublunarium, tunc nec eſt in potentia ſimpliciter ad omnes formas, quia talis Materia non eſt naturaliter in potentia ad Formam Cæli, ſed eſt in potentia ad omnes Formas; habentes contrarium.

Ad quartum Reſpódetur; verum eſſe, quod vnitas Generis eſt vnitas *Materiæ*, & ò contra; conuenientia tamen & vnitas Materiæ non eſt accipienda ſecundum omnem rationem: ſed ſecúdum rationem ſuſcipiendi Formam: nã diſcrimen eſt inter Genus; & *Materiam*, vt diximus in Methaſiſica, agentes de Genere: Materia enim dicit puram potentiam, & eſt altera pars compoſiti ſecundum rem: vnde non prædicatur de his, quorum eſt Materia: ſed Genus realiter eſt quodã totum; licet ſecundum Rationem ſit pars, & ideo prædicatur eſſentialiter de his, quorum eſt Genus; ſi ergo volumus loquî de Vnitate Materiæ, prout facit vnitatem Generis, cũ Genus non dicat puram potentiam ſecundum ſe, ſed dicat quid compoſitum ex potentia, & actu; inſtam eandem vnitatem non accipiemus ex *Materia* nudè ſumpta, ſed ex Materia, pro vt ſub quadam vna ratione recipit Formam: & quia omnia iſta inferiora habent *Formam* in *Materia* ſub vna ratione, quatenus ſcilicet eorum *Forma* habet contrarium, nec ſatiat totum appetitum Materiæ: ideo omnia iſta inferiora ſunt ſub vno Genere, ſuper Cæleſtia vero quia habent *Formam* in *Materia* ſatiantem totum appetitum *Materiæ*, erunt ſub alio Genere, atque ádeo corruptibilia, & in corruptibilia non

non erunt ſub eodem Genere, niſi fortè ſub eodem Genere Logico.

Ad Argumenta Scoti Generaliter dicimus, ea tantũ concludere, Materiam Cæleſtem, & ſublunarem eſſe eiuſdem rationis Specificæ, quatenus vtraque conſideratur ſecundum ſe, & vt denudata ab omni Forma: ſeu vt eſt pura potentia ſine vllo ordine ad aliquem Actum: idq; probat manifeſtè primum, & ſecundum argumentum, & etiã tertium ex Argentina.

DE FORMA CORPORUM Cæleſtium

DVBITATIONES QVINQUE.

Dubitatio Prima. V. Forma Cæli ſit Anima, itaut Corpus Cæleſte ſit Animatum?

Dubitatio Secunda. V. ratione Formæ Corpora Cæleſtia ſint incorruptibilia?

Dubitatio Tertia. Quomodo Forma Cæli diſtinguatur ab alia Forma Cæli?

Dubitatio Quarta Quomodo diſtinguantur Cæli ab Aſtris, & Planetis?

Dubitatio Quinta. Quomodo Cæli diſtinguantur ab Elementis?

DVBITATIO PRIMA

V. Forma Cæli ſit Anima, ita vt Corpus Cæleſte ſit Animatum?

1 NON defuerunt ex Platonicis, & Pitagoricis, qui dixerint, Formam Cæli eſſe Animam intellectiuam: quam ſententiam ex Peripateticis ſequuti ſunt poſtea Alexander, Auerroes, & in multis locis Ariſtotiles; Itẽ Achill. lib. 3. de Orbibus dubit. p. Cremon. diſput. de Natura Cæli ſect. 5. Qui tamen omnes ſunt diuiſi, nam aliqui per hanc Animam intelligunt Intelligentiam motricem, quidam vero aliam Formam ab Intelligentia diſtinctam; Alij tribuerunt Cælis Animam ſenſitiuam, vt Auicenna 9. meth cap. 2. 3. & 4. Soletque probari hæc ſententia primo, quia Philoſofus lib. 2. de Cælo & Mundo cap. 7. planè ait, quod Cæli ſunt Animati, & aſſignat in eis Dextrum, & Siniſtrum; quę propriè non reperiuntur niſi in Rebus Animatis. 2. Auicenna vult, quod Cælum ſit Animal obediens Deo: ſed omne Animal eſt Corpus Animatum; ergo &c. Tertio Philoſofus 12. met. text. 36 ait, de primo Motore, quod moueat Cælum ſicut deſideratum, & ama-

Varię opiniones conueniunt in eo, ꝙ Cælũ ſit Animatum

amatum, ergo Cælum mouetur ſicut Deſiderans, & Amans: ſed Cælum non poſſet deſiderare, & amare, niſi eſſet Animatum; ergo &c. Quarto hæc inferiora ſunt ſubdita Cælo, & Cælum eſt nobilius his inferioribus: ſed hæc inferiora ſunt Animata, ergo multo magis debet eſſe Animatum Cælum. Quinto ex Sacra Scriptura in Pſ. 135. dicitur. *Qui fecit Cælos in Intellectu*; ideſt intellectu præditos, & in Pſ. 18. dicitur. *Cæli enarrant gloriam Dei*. Item in Pſ. 148. *Laudate eum Sol, & Luna*. In Iob 38. *cum me laudarent Aſtra matutina*. Deut. 32. *Audite Cæl. quæ loquor*. Ex quibus inferri poteſt; quod ſi Cælis tribuitur operatio vitalis, vt loquutio, Auditus, &c. ſequitur, quod Cæli ſint Animati. Omnes iſtæ ſententiæ ſunt damnatæ, & referũtur ab Almerico in ſuo directorio p. 2. q. 4 s. in erroribus Ariſt. numero 13 in erroribus Auerrois n. 13. in erroribus Algaſelis n. 2. & in erroribus Rabi moiſis n. 4.

Reſponſ. datur ad oppoſita

2 Veritas tamen nobis defendenda, eſt, Formam Cæli non eſſe de Genere Animatorum; ſed Inanimatorum; nec Cælos dici poſſe Animatos Anima informante, ſed tantum Anima Aſſiſtente, & mouẽte; ita expreſſè D. THOMAS p. 1. qu. 70. art. 3. & 2 Cæli Lect. 13. S & 19. SCOTVS in 2. diſt. 14 q. 1. Relatus a Maſtrio, & Bell. diſp. 2. de Cælo q. 4. art. 1. num. 61. ÆGIDIVS in 2. diſt. 14. q. 3. art. 4. Argent. ibid. qu. 1. art. 1. & omnes Recentiores ſine vlla diſſentione. Probatur autem primo, quia in Cælo nulla experitur actio vitalis, ergo Forma Cæli non eſt de genere Animatorum: antecedens eſt euidens. Et confirmatur; quia Forma Cæli non eſt Anima Rationalis, nam hæc cũ ſit Libera, poteſt mæreri, & dæmereri; Cælum autẽ nullo præmio, vel pæna poteſt affici, eſtque erroneũ dicere, quod Cælum poteſt beatificari, vel damnari. Rurſus Forma Cæli non eſt Anima ſenſitiua: nam ſenſus externi requirunt ſenſibiles qualitates, quę corruptionem inducunt; nec poteſt dari ſenſitiuum ſine ſenſu Tactus, vt dicitur in 2. de Anima text. 68. In Cælo autem non ſunt Tangibiles Qualitates, Quod ſi in Cælo non ſunt Senſus externi nec minus erunt Senſus interni, qui abſque externis nequeunt operari. Tandem Forma Cæli non eſt Anima Vegetatiua; cum in Cælo nulla appareat operatio huius Animę: Cęlum enim non nutritur: nec aſſignari poſſet alimentũ

Vera ſẽtentia oſtẽditur quod Cęli nõ ſint animati Anima in formante ſed tantum Aſſiſtente.

ſuffi-

ſufficiens: nam vapores aquei non tranſcendunt ſecundam Aeris regionem, vbi in Pluuiam, Rorem, & Pruinam cõuerſi, iterum reuertuntur ad Terram; & ſi traſcenderent; non forent ad vnius Aſtri Pabulum ſufficientes; Forma igitur Cæli non eſt de genere Animatorum.

3 Dices. Cælum eſſe Animatũ nõ propter viuere, vel ſentire, nec propter intelligere, ſed tantum propter mouere: ita vt ex Anima Cæli, & Cælo fiat vnum, non vt Cælum ſentiat, vel intelligat: ſed tãtum vt Anima Cæli moueat Cælum, ſicut ex Anima Humana, & Corpore fit vnum, vt Anima humana moueat corpus; ſed ſi diſtinguamus de ly eſſe vnum, poſſumus concedere, quod aſſeritur, propter quod poſſumus dicere, quod Cæli & ſunt inanimati, & ſunt etiam Animati: Sunt inanimati, quia ex Intelligentia mouente, & Cælo moto non fit vnum Secundum eſſe; ſicuti fit ex Anima Rationali, & corpore humano: Poſſunt etiam Cæli dici Animati, quatenus motores Cælorum influunt eis motum, qui eſt quodam opus vitæ, & ex Intelligentia mouente, & Cælo moto quãuis non fiat vnum ſecundum eſſe, fit tamen vnum ſecundum operationem, & motum.

Explicatur quomodo Cęli ſint Animati.

4 Ad primum ex oppoſitis argumentis Reſpondetur, quod Cæli ſunt Animati, non quod ex Intelligentia, & Cęlo fiat vnum ſecundum eſſe, ſed quia fit vnum ſecundum motum: vnde non ſunt informati Anima informante, ſed mouente: & quia in Animalibus dextrum, & ſiniſtrum magis accipitur ſecundũ motum, quam ſecundum eſſe, & illa pars dicitur dextra, vnde incipit motus: ideo Oriẽs, vnde in Cęlo incipit motus, eſt pars dextra, & Occidẽs eſt pars Siniſtra. Ad ſecũdum Reſpondetur, quod Cælum eo modo, quo eſt vnum, eodem modo eſt Animatum, & quia cum Intelligentia, quæ eſt mouẽs, facit vnum non ſecundum eſſe, ſed ſecundum motum, poteſt in hoc ſenſu dici Animal obediens. Ad tertium dicimus, quod Deus mouet Cælos, vt amatos, & deſideratos, quia mouet Cælos per Intelligentias deſiderantes, & amãtes Eum; vnde ſufficit, quod cum eorum motoribus fiat vnum ſecundum motum, ad hoc, vt Cæli moueantur per motores deſiderantes, & amantes Deum. Ad quartum Reſpondetur, quod Cæli eo modo quo ſunt Animati, eodem modo ſunt nobiliores, quam hæc Inferiora; præter quamquod hęc Inferiora ſunt

Reſpondetur ad oppoſita.

Cor-

Corruptibilia: Cæli autē ſunt Incorruptibiles. Ad quintam ex Authoritatibus Sacræ Scripturæ Reſpondetur, quod in prima authoritate Ly *in Intellectu* idem Sonat, ac cum intellectu, & ſumma ſapientia, ita vt ſit ſenſus, quod Deus fecit Cælos, cum ſumma ſapientia: Ad alias authoritates inuitantur Cæli, ad Laudandum, & audiendum, quatenus excitant nos in laudē, & admirationē omnipotentiæ Diuinæ, vel dicendum, quod ibi pro Cælis intelligūtur habitatores Cælorum, quales ſunt Angeli. Ita explicat Damaſcenus. Sol quoque dicitur Spiritus propter velocitatem motus, qua ratione etiam Venti appellantur Spiritus.

DVBITATIO SECVNDA.

V. Ratione Formæ Corpora Cæleſtia ſint incorruptibilia?

1 TOta ratio dubitandi eſt, quia Corpora Cæleſtia habent Materiam eiuſdem rationis cum Materia horum inferiorum: ſed hæc inferiora ratione Materię ſunt corruptibilia, ergo & corpora Celeſtia.

2 Nihilominus dicendum eſt, Corpora Cæleſtia ratione Formæ eſſe omnino incorruptibilia, non obſtante, quod habeant Materiam eiuſdem rationis cum Sublunaribus: eſt comunis apud omnes Peripateticos, eamque docet expræſsè D. Thom. in p. lib. de Cælo tex. 10. Ægid. in quolib. p. q. 22. & in 1. ſent. diſt. 12. q. 1. art. 4. dub. p. later. & in libro de Materiali compoſitione Cæli qu. 1. & 2. Vt hæc veritas probetur,

3 Ad not. eſt valde id, quod docet Idem Ægidius locis citatis, quod cauſa corruptionis aliquando tribuitur Formæ, aliquando *Materiæ*, & aliquando Priuationi: Tribuitur Formę, quia ex Philoſopho in primo phiſicorū cap. 51. & 12. Meth. text. 61. & in lib. de Gener. tex. 21. Generationes, & corruptiones ſūt ex cōtrarijs in contraria, & corruptio propriè non eſt niſi a contrario: quia ergo contrarietas non ſumitur ex *Materia*, ſed ex Forma, ſubſtantia enim licèt non ſit propriè contraria ſubſtantiæ; tamen aliquis modus contrarietatis eſt in ſubſtantijs non ſecūdum Materiam, ſed ſecundum Formam: igitur ratio corruptionis aliquando eſt Forma, ita vt ſi res non haberet Formam, habentem contrarium, illa Res incorruptibilis eſſet. Tribuitur etiam ratio corruptionis aliquando Materię; in- Cauſa corruptionis aliquādo tribuitur Formæ, aliquando Materiæ aliquando priuationi.

inquit enim Philoſophus in 7. Meth. quod habere potentiã ad eſſe, & ad non eſſe, hoc in quolibet eſt Materia; ſi ergo Materia eſt id, per quod res poteſt eſſe, & non eſſe, ratio corruptionis tribuenda eſt Materię. Tandem ratio corruptionis tribuitur aliquãdo Priuationi, nam Priuatio eſt illa, quæ de ſe eſt non Ens, & propter Priuationem Materia machinatur ad maleficium, vt vult Philoſophus in p. Phiſic. Quamuis autem corruptio tribuatur Formæ, Materiæ, & Priuationi: plus tamen tribuenda eſt Materiæ, quã Formæ, & plus Priuationi, quã Materiæ, & Formæ. Eſt corruptio tribuenda plus Materię, quã Formę, quia Forma de ſe non eſt ratio corruptionis, niſi ꝑpter Materiã; ſi enim Forma eſt ratio corruptionis, hoc ſolum eſt ratione Priuationis annexæ: ipſa autem Priuatio annexa Formæ non facit, quod Forma appetat corruptionem, ſed quod Materia, quæ in formatur, per Priuationem habeat appetitum ad Formam contrariam; Forma ergo non eſt ratio corruptionis niſi propter Materiam. Rurſus Materia ſecundum eſſentiam ſuam non eſt cauſa corruptionis niſi propter Priuationem annexam, vt patere poteſt per Philoſophum in p. Phiſ. vbi ait, quod turpitudo, & Femineitas, & machinatio ad maleficium & ad corruptionem nõ competunt Materiæ niſi per Priuationem, ita vt ſi tollatur omnis Priuatio à Materia, tollatur omnis cauſa corruptionis.

Ratio corruptionis plus tribuenda eſt Materiæ, quã Formæ.

Et plus priuationi, quã Materiæ, & Formæ.

4. His ſic notatis, Probatur aſſertio; quod Cęlum etiam ſi habeat Materiam eiuſdem rationis cum his inferioribus, ſit tamen incorruptibile non poſitiuè, & ab intrinſeco, ſed negatiuè per ammotionem principij corruptionis. In rãtũ hæc inferiora ſunt corruptibilia, quia eorum Formę habent contrarium, eorumque Materia exiſtens ſub vno contrario, habet Priuationem alterius contrarij; ex qua Priuatione eadem Materia ſe videns turpem, & defectuoſam, appetit eſſe ſub alio cõtrario: & q̃a nõ poteſt ſimul eſſe ſub vtroq; cõtrario, eius appetitus nunquam ſatiatur, & proptereà inſatiata machinatur ad maleficium: ſed Forma Corporis Cęleſtis nullum habet contrarium, eiuſque Materia non eſt cũ Priuatione admixta, ergo Corpora Cęleſtia ratione Formę ſunt omnino incorruptibilia. Secunda pars minoris ſequitur ex prima: Prima autem ex eo probatur, quia motus Cęli circularis nul-

Probatur Aſſertio, q̃ Calũ ſit incorruptibile.

nullum habet contrarium.

5 Et per hæc patet ſolutio ad rationem dubitandi: quãuis enim *Materia* Cęli ſit eiuſdem rationis cum *Materia* horum inferiorum, non propterea ſequi poteſt, quod Cælum ſit corruptibile, ſicut hæc inferiora, quia ratio corruptionis in his inferioribus non eſt ex parte Materiæ, cum Materia hic, & ibi ſecundum ſe non habeat, per quid differat: ſed tota ratio corruptionis prouenit ex parte Formæ, quia ſcilicet Forma Cæli non habet contrarium, nec habet Priuationem annexã, propter quod ſatiat totũ appetitum Materiæ: Forma vero horum inferiorum eſt contrarietati ſubiecta, & habens Priuationem annexam, non ſatiat totum appetitum *Materiæ*.

DVBITATIO TERTIA.

Quomodo Vna Forma Cæli diſtinguatur ab alia Forma?

1 SEnſus eſt, *An* Vnum Cælum per eius Formã diſtinguatur ab alio Cælo diſtinctione ſpecifica, vel tantũ numerica? D. Thomas in 2. lib. de Cælo text. 63. docet, omnes Cælos eſſentialiter, & ſpecie eſſe diſtinctos. Ait enim ibi hæc verba. *Sic igitur dicendum eſt, quod Corpora Cæleſtia ſunt vnius naturæ ſecundum Genus, diuerſarum autem naturarum ſecundum ſpeciẽ.* Sequuntur hanc eandem ſententiam ferè omnes Recenſiores præſertim Hurtad. diſp. p. de Cælo ſect 3. Ruuius 2. de Cælo cap. 5. q. 4. Conimbr. & plures alij. Probatur autem primo ex Ariſt. in 2. lib. de Cælo dicente, omnes Cælos, & omnia Sydera ſpecie interſe eſſe diſtincta: poteſtque adduci ratio, quia Cæli in ſententia Ariſt. ſunt in Prædicamento directè, ergo ex eiuſdem ſententia ſunt compoſiti ex Genere, & Differentia; non igitur ſunt de ſe ſingulares, & numero diſtincti; quia quę ſunt numero tantum diuerſa, non habent propriam Differentiam, cum nec habeat Propriam Formam. Secundo vnum Cælum eſt maius alio, Item continet aliud, & diuerſum occupat locum, ac diuerſo motu mouetur; ergo diuerſam etiam habet naturam ab alio. Tertio, quæ primo, & per ſe differunt in Forma, & non in Materia, ea ſimpliciter differunt ſpecie: ſicut quę differunt tantum in *Materia*, & non in Forma, ea ſolummodo differunt numero: Sed Cæli non differunt in Materia, ſed tantum in Forma, ergo illi differunt ſpecie.

D. Thomas docet, diſtingui Specie.

2 SCOTVS in 1. diſt. 3. q. 7. in fine apud *Maſtium*, & Bellutum diſp. 2. de Cælo q. 2. art. 4. & ex Recentioribus A- uerſa qu. 33. ſect. 8. Amicus tract. 4. q. 7. dubit. 1. docent, omnes Cælos eſſe ſolùm numero differentes; idque probant, quia nulla eſt neceſſitas, ponẽdi hanc diſtinctionẽ ſpecificam inter Cæleſtia corpora. ergo &c. Secundo Orbes Cæleſtes non habent naturam communem, & multiplicabilem in plura Indiuidua, ergo non differunt ſpecie; antecedens eſt euidẽs; conſequẽtia probatur, quia quæ differunt ſpecie, habent naturam multiplicabilẽ in plura Indiuidua.

...atentia Scoti eſt, Cælos tantum diſtingui numero.

3 ÆGIDIVS hanc quæſtionem ex profeſſo non excitat, in multis tamen locis ſe videtur adſcripſiſſe ſententiæ D. Thomæ: nàm in 2. ſent. diſt. 13. q. 1. art. 1. §. tertia die &c. ſic ait. *Nam Cæli in ipſo ſuo Principio fuerunt creati diſtincti ſecundum ſuas ſubſtantiales Formas, vt quodlibet hoc modò haberet eſſe diſtinctum ſubſtantialiter ab alio: ſed iſta diſtinctio ſecunda die fuit augmentata multum, vt non ſolum eſſet diſtinctio Cælorum ſecundum ſubſtantiam; ſed etiam ſecundum motum, quomodo incepit Firmamentum moueri contra motum Primi Mobilis, & habere motum diſtinctum ab ipſo.*

Aegidi' partim adheret D. Tho.

4. Quamuis autẽ citato loco ſe apertæ ſubſcripſerit ſententiæ D. Tho. In ſecundo tamen ſent. diſt. 14 q. 1. art. 2. quærens, an Firmamentum ſit eiuſdem Naturæ cum Elementis, etiam aliquo modo videtur ſaluaſſe ſententiam Scoti; inquit enim ibi, quod tripliciter aliquid poteſt eſſe eiuſdem naturæ cum alio. Primo ſecundum quid, & materialiter, & hoc modo etiam cum his inferioribus Cæli ſunt eiuſdem naturæ: nam Cæli, & hæc inferiora habent eandẽ omnino Materiam. Secundo poteſt aliquid dici eiuſdẽ naturæ cum alio per quandã Similitudinem, & Analogiã; & hoc modo ſi Cæli poſſunt dici eiuſdem naturæ cum aliquibus Elementis, quatenus Cæli aſſimilantur in Diaphãcitate cum Aqua, & in Luciditate cum Igne; multo magis vnum Cælum poteſt dici eiuſdem naturæ cum alio, quatenus omnes conueniunt in vno motu circulari circa medium, eritque hæc vnitas naturæ non Analoga, ſed potius Generica. Tertio poteſt vnum eſſe eiuſdem naturæ cũ alio Simpliciter, & Formaliter; & hoc modo vnum Cælũ non poteſt dici eiuſdem naturæ cũ alio, quia omnes habent diuerſas Formas.

Et parti Scoto.

IVDITIVM AVTHORIS ex Ægidio Pro Defenſione

Vtriuſque Opinionis:

5 DVpliciter aliqua poſſunt differre Specie, Primo totaliter, ſecundo partialiter, Totaliter quidem vt Homo, Equus, &c. quæ ita differunt ſpecie totaliter, vt nullius totius ſint partes, quæ reducantur ad aliquod vnum primum: Partialiter vero differunt ſpecie membra vnius Animalis, vt Cerebrum, Iecur, &c. quæ ſunt partes inter ſe differentes non ſolum complexione, & fortaſſe Forma: ſed etiam in fluxu, & Operatione: non differunt tamen totaliter, quia omnes reducuntur ad vnum membrum ſecundum prius, & poſterius: reducuntur enim ad Cor; item reducuntur ad vnam Formã ideſt ad Animam, quæ cordis primo, deinde cæterarum eſt Forma; Rurſus reducuntur ad vnam Operationem principalem, quæ eſt Hominis propria, quam omnes illę partes intendunt, & ad cuius ſeruitium ſunt inſtitutæ; & propterea licet partialiter differant ſpecie, non tamen totaliter; imo fortaſſe conueniunt in vno numero totaliter, & differunt inter ſe partialiter.

6 *Modo* Orbes Cæleſtes, & omnia Cæleſtia corpora partialiter differunt ſpecie, non vero totaliter; idque ſic declaratur; quia Cælum totum eſt quodam Animal, cuius membra ſunt Orbes: ſicut ergo in Homine membra differunt ſpecie partialiter, propter differentiam cõplexionum, & Operationum, & partialium Formarum, ſic Corpora Cæleſtia differunt operatione, quia vnum quodque illorum proprio, & peculiari motu mouetur; item differunt Formis, quia quilibet Orbis a ſua Forma perficitur; Sed ſicut omnes Hominis Partes reducuntur ad vnum primum membrum, ad vnam primam operationẽ, atque ad vnam comunem, & primam Formam: Sic omnes Orbes ad vnum primum membrum reducuntur, videlicet ad Orbem Stellatum, a quo continentur, & ad vnam primam Operationẽ videlicet ad vnũ *Motum Diurnum*; quo omnes mouentur, & quem omnes intendunt primo, & per ſe principaliter, atque ad vnã primam, & comunem Formã ſcilicet ad primũ *Motorem*, quia eſt prima Forma Vniuerſi, Orbium vero ſecundum prius, & poſterius.

Et ſic Corpora Cæleſtia differunt ſpecie partialiter, in

quo

quo ſenſu ſunt intelligendi Thomiſtæ: Sed ſunt vnum in Specie totaliter: & ſic conuenimus cum Scotiſtis.

7 Vel melius dicendũ, quod dupliciter aliqua poſsũt diſtingui Specie, primo ita vt quælibet Species habeat naturam comunem, & multiplicabilẽ in plura Indiuidua: & hoc modo Cæli non diſtingũtur Specie, quia nullum Cælum habet naturam comunẽ in plura Indiuidua multiplicabilem. Sic ſunt accipiendi Scotiſtæ. Secundo poſſunt aliqua diſtingui Specie, quia quodlibet habet totam naturam ſuæ Speciei, ſuamque Formam diſtinctam ab alio, & hoc modo Cæli diſtinguntur Specie, quia quodlibet Cælum habet totam naturam ſuæ Speciei, ſuamque Formam diſtinctam ab alia Forma Cæli.

RESPONDETVR in Forma Argumentis.

Vtriuſque Sententiæ.

8 AD Primum D. Thomæ dicimus, omnes Cælos eſſentialiter, & Specie eſſe diſtinctos, non quia vnumquodque habeat naturam communem, multiplicabilem in plura Indiuidua; ſed quia quodlibet habet totam naturam ſuæ Speciei, habetque Formam propriam Specie diſtinctam à Forma alterius, & eodem modo Reſpõdetur ad authoritatem Philoſofi. Ad Primam Rationem concedimus, Cælos eſſe in Prædicamento directè, ac propterea eſſe compoſitos ex Genere, & Differentia: cum autem ſubſequitur, ergo non ſunt ſingulares, & numero tantum diſtincti; diſtinguendum eſt, ita vt nec vnũquodque habeat integram naturam ſuæ Speciei, & propriam Formam Specie diſtinctam à Forma alterius, Neganda eſt conſequentia: ita vt nullum habeat naturã comunem, & multiplicabilẽ in plura Indiuidua, cõcedenda eſt cõſequẽtia. Ad ſecundũ conceſſo antecedente, diſtinguendum eſt conſequens; ergo Vnum Cælum habet etiam naturam diuerſam comunem, & multiplicabilẽ in plura Indiuidua, negatur: habet totam naturam ſuæ Speciei. Conceditur, & eodem modo Reſpondetur ad vltimum.

9 Ad Argumenta Scoti Generaliter dicimus, Cælos eſſe ſolũ numero diſtinctos, quatenus vnumquodque Cælum non habet naturam comunem, & multiplicabilem in plura Indiuidua, vt expreſſius

oſten-

oſtendit ſecundum argumentum: non eſt tamen denegandum, quod vnumquodque Cælum habeat totam naturam ſuæ Speciei, & propriam Formam Specie diſtinctum à Forma alterius.

DVBITATIO QVARTA.

Quomodo diſtinguantur Cæli ab Aſtris, & Planetis?

1 SVpponimus ex dicendis infra, in Cælis reperiri Aſtra, quorum alia ſunt Fixa, propterea quod interſe ſemper eandem ſeruant diſtantiā, Situm, & Figuram: & conſequenter in eodem Cęlo ſemper manet collocata, Alia ſunt Errantia, quæ dicuntur Planetæ, & ſunt quæ non ſeruant inter ſe eandem diſtantiam, Situm, Figuram, eaque communiter numerantur Septē ſcilicet Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iouis ſeu Iuppiter, & Saturnus; Eo autem ſuppoſito, quærimus, quæ diſtinctio ſit ex vna parte inter Cælos, & Aſtra tam Fixa, quam Errantia, quæ ſunt Planetæ? & quomodo diſtinguantur Aſtra inter ſe?

Suppo- nitur in Cęlis eſſe Aſtra fixa, & Errãtia.

2 Cui integro quæſito ſequentibus concluſionibus eſt reſpondendum. Prima concluſio. Omnes Cæli ab Aſtris fixis non differunt ſpecie, ſed ſunt eiuſdem naturæ. Ita expreſsè Ægidius in 2. diſt. 14. q. 3. art. 1. vbi hæc docet. *Facti ergo erant Cæli ſecundum ſubſtantiales Formas, quia eiuſdē Naturæ, & eiuſdem ſubſtantię erant Stellæ cum ſuis Orbibus, quia cum ſint naturaliter fixæ in ſuis Orbibus, ſunt eiuſdem naturæ cum Orbibus; Philoſophus enim lib. 2. de Cælo text. 41. Licet iſtud verbum propoſuerit generaliter, quod omne, quod realiter eſt Fixum in aliquo, eſt eiuſdem naturæ cum eo, in quo eſt Fixum, ſpecialiter tamen hoc dixit propter ipſas Stellas: Stella ergo non differt ab Orbe, in quo eſt fixa ſecundum ſubſtantialem Formam, ſed tantum differt ab eo, quia eſt denſior, & ſpiſſior pars ſui Orbis. hæc Ægid. ibi, & ita etiam repetit in Quolib. 5. q 17.*

Prima cōcluſio.

3 Secunda concluſio. Omnes Cæli ab Aſtris Errantibus ſiue à Planetis Specie diſtinguntur. Eſt communis, & probatur; quia multæ proprietates experiuntur in Planetis, quas non experimur in Cælis: deinde Planetæ diſtinguntur Specie inter ſe, vt in ſequenti concluſione probabitur, ergo etiam Specie diſtinguntur à Cælis, quia eſt impoſſibile, vt vnum, & idem eſſentialiter idētificetur cum pluribus Specie diſtinctis.

Oby-

4 Obijcies primo. ſi Cælum diſtingueretur Specie ab Aſtis errantibus, ſequeretur, quod Cælum eſſet quoddam corpus etherogeneum, & diſcontinuum, nam quæ ſunt diuerſa ſpecie, nequeunt continuari, hoc autem repugnat ſimplicitati Cæli; ergo &c. Reſpondetur; non eſſe abſurdum, Cælos eſſe etherogeneos, eoſque ponere diſcōtinuos, quatenus aggregantur ex Orbibus, & Planetis: & ſi Cælum dicitur corpus ſimplex, hoc ſolum eſt, vt opponitur *Mixto*.

5 Obijcies ſecundo. Ariſt. 2. Cæli tex. 41. Omne Aſtrum ponitur eiusdem naturæ cum ſuo Orbe. ergo &c. Reſpondetur; ibi Philoſofum loqui de Stellis Fixis: vel ſi loquitur de Aſtris Generaliter, intelligendus eſt de Vnitate Generica, quatenus ibi intendebat oſtēdere, quod Aſtra non ſint ignea, vt aſſerebant antiqui.

6 Tertia concluſio. Omnia Aſtra inter ſe comparata diuerſæ ſunt naturæ ſpecificæ. Ita expreſſè D. Thomas in 2. de Cęlo text. 60. vbi contra Auerroem aſſerentem, omnes ſtellas eſſe eiusdem naturæ ſicut Indiuidua eiusdem Speciei, ſic ait. *Hoc quidem*, (Quod ſcilicet Stellæ ſint eiusdē ſpeciei) *Manifeſtè falſum eſt, primo quidem quia ſi eſſent eiusdem Speciei, haberent easdem Operationes ſpecificas, & eosdem effectus ſicut patet in omnibus rebus naturalibus eiusdem Speciei. Secundo, quia cum motus Cæleſtium ſint naturales, ſequeretur, quod omnia Corpora Cæleſtia haberent vniformes motus, quod patet, eſſe falſum, tum de Planetis per comparationes ad inuicem, tum per comparationē ad ſtellas fixas.* Id idem docent Scotiſtæ apud Maſtrium, & Bellutum diſp. 2. de Cælo q. 2. art. 4. num. 100. Et Ægidius hic; probatur autem; quia diuerſa Accidentia ſpecie, & diuerſæ proprietates atque effectus diſtincti arguunt diuerſitatem in natura ſpecifica: ſed Planetę habent diuerſas Proprietates, & producunt contrarios effectus, ergo &c. probatur minor; nā Saturnus eſt Frigidus, & ſiccus, idemque temperamentum cauſat in Saturnicis: vnde huiuſmodi ſunt malenconici, cogitabundi, timidi, pauci ſermonis, ſolitarij, Auari, & laborioſi. Iouis eſt calidus, & humidus temperatè; vnde optimum temperamentum cauſat in natis ſub eodem Planeta: hinc Iouiales dicuntur ad honeſta, & iuſta propenſi, optimi ingenij, magnarum rerum amatores, liberales, & Fortunati. Mars eſt calidus, & ſiccus, & martiales ef-

Proprietates Planetarg.

les efficit coleticos, audaces, inconſtantes &c. Sol eſt nobiliſſimus Planetarum, pluresque virtutes in ſe continet: vnde quæ in alijs ſunt diſperſa, in ipſo inueniuntur vnita, & quando dominium habet in homines, cauſat temperamentum calidum, & ſiccum; vnde ſolares ſunt ſuperbi, Ambitioſi, sblendidi, &c. Venus cauſat temperamentũ calidum, & humidum: vnde Venerei ſunt luxurioſi, quieti, amatores Virtutis, hilares &c. Mercurius facit Mercuriales intellectu acutos, memoria fęlices, ſtudioſos, oratores &c. Luna eſt frigida, & humida, diſponitque lunares ad bonos mores: vnde huiuſmodi ſunt quieti, mutabiles, Flegmatici, timidi, debiles &c. Diuerſos quoque, & varios effectus cauſant Planetæ quo ad Infirmitates, tempeſtates, temporum mutationes, de quibus fusè Aſtrologi; ex quo ſequitur, eſſe impoſſibile, hęc omnia ab Agentibus eiusdem Speciei, & naturę prouenire.

7 Non eſt autem neceſſe, vt omnes, & ſingulę Stellæ Fixæ interſe ſpecie differant, tum quia omnes fixæ ſunt in eodem Cælo Stellato, tum etiam quia videmus, multas Stellas generare pluuiam, multas alias ventos, alias Siccitates, de quibus dici poteſt, eſſe eiuſdem naturæ, quatenus producunt ſimiles effectus.

DVBITATIO QVINTA.

Quomodo Cæli diſtinguantur ab Elementis?

1 SEnſus eſt, an Cælum ſit elementaris naturæ, ita vt conueniat vniuocè ſaltem cum vno, vel alio Elemento? Et Relictis varijs antiquorum Philoſoforum poſitionibus, quas Ariſt. bene refellit, cum eodem Principe nobis dicendũ eſt, Cęlum non eſſe eiusdẽ naturę cũ aliquo Elementorum, quia motus proprius, & naturalis Cæli, qui eſt circularis, Specie differt á ceteris motibus omnium Elementorum: & quia motus arguit naturam, ſequitur, quod Cælum differt natura ab Elementis. Cum Ariſt. probatur, Cęlum non eſſe eiuſdem naturæ cũ elementis.

2 Ita etiam docet Omnis Schola Peripateticorum, & præcipuè Ægidius in 2. diſt. 13. q. 2. art. 1. in corpore, vbi ſupponit cum Ariſt. in 10 Metaph. tex 26. quod Corruptibile, & incorruptibile differunt Genere; ſed omnes Cęli ſunt incorruptibiles, Elementa vero habent eſſe corruptibile, ergo Cæli non ſolum ſpecie, ſed etiam Genere diſtinguntur ab Elementis. Idẽ docet Aegidius.

3 Adiungi poteſt, quod

Secundũ quid Cęlũ poteſt dici eiusdem naturæ cum elementis.

Idem Ægidius habet in 2. diſt. 14. q. 1. art. 2. quod ſcilicet Cælum poſſet dici eiuſdem naturæ cum iſtis inferioribus primo ſecundum quid, & materialiter; quatenus *Materia* Cæli ſi eſſet abſoluta ab omni Forma, eſſet eadem, nec haberet per quid differret a *Materia* inferiorum; ſecundo per quandã aſſimilationẽ, & Analogiam, quatenus Cælum conuenit cum Igne in Luciditate, & cum Aqua in Diaphaneitate. Sed ſimpliciter, & Formaliter nullo modo Cęlum eſt eiuſdem naturæ cum his Inferioribus: quia ex his aliqua ſunt Grauia, & mouẽtur ad mediũ, alia ſunt Leuia, & mouentur a medio: Cælum autẽ nec eſt Graue, nec eſt Leue, nec mouetur ad medium, nec minus à medio; Sed tantum circa medium; vt clarius probabitur in quęſt. ſequenti de *Motu* Cæli; Ita etiam loquitur Argent. in 2. diſt. 2. q. 2. art. 3. vbi ait, quod Firmamentum eſt Corpus quintæ eſſentiæ, nec eſt Elementaris naturæ, quia omne corpus Elementaris naturæ eſt naturaliter alterabile: Firmamentum autem, & quælibet alia ſphera Cæleſtis eſt alterans inalterabile.

4 Obijcies primo. Cælum, & Elementa conueniunt in aliquibus accidentibus, vt in Denſo, Raro, Luminoſo, &c. ergo etiam conueniunt in Forma, quia accidentia propria fluunt a *Formis*. Reſpondetur cum Ægid. vbi ſupra, quod Diaphaneitas, & aliqua Accidentia alia ſunt aliquo modo eadem in Elementis, & in Cælis: ſed iſta identitas non eſt ſecundum eandem ſpeciem: ſed eſt quædam Idẽtitas Analogiæ; vel eſt ibi idẽtitas Generis Logici: ſecundũ quem modum non ſolum omnia Corpora ſunt eiuſdem Generis, ſed etiam omnia, quæ ſunt in Prædicamento ſubſtantiæ.

5 Obijcies ſecundo. Cælum generat elementa, ergo eſt eiuſdem naturæ cum Elementis, probatur conſequentia; quia Generans, & Genitum conueniunt in Forma. Reſpondetur; quod inter Generans, & Genitum non eſt neceſſaria conuenientia vniuoca; ſed ſufficit analoga. Vel Reſpondetur ſecundo; quod aliqua poſſunt eſſe eiuſdem naturę dupliciter, primo in ratione Phiſica, ſecundo in ratione *Metaphyſica*; In ratione Phiſica illa conueniunt in natura, quę habent *Materiam*, & Formam tranſmutabilem; in ratione vero *Metaphyſica* illa dici poſſunt eiuſdem naturæ, quę conueniunt in ratione Actus, & Po-

tentiæ, quia ergo Cęli nullatenus ſunt tranſmutabiles nec ſecundum Materiam, nec ſecundum Formam, Elementa vero ſecundum Materiam, & Formam ſunt tranſmutabilia; ideo in ratione Phiſica Cæli, & Elementa non ſunt eiuſdē naturæ: Aſtquia Forma Cęli, & Elementorum conueniunt in ratione Actus; ſicuti Materia Cæli, & horum inferiorum conueniunt in ratione Potentiæ, ideo Cæli, & Elementa poſſunt dici eiuſdem naturę in ratione Methaphiſica, & per hęc patet ad argumentum.

DE ASTRIS, ET PLANEtis.

DVBITATIO VNICA.

Quomodo Moueantur Aſtra, & quid ſint maculæ Lunę?

Stellæ non mouentur motu volutationis.

1 PRO prima parte quæſiti poteſt eſſe dubium, An Stellę moueantur motu volutationis? Ad quod Ariſt. reſpōdet negatiuè; quia illud, quod mouetur motu volutationis, neceſſe eſt, quod ita reuoluatur, vt non ſemper appareat eadem ſuperficies eius, ſed videmus, quod in aliquo Aſtrorum ſcilicet in Luna ſemper eadem ſuperficies nobis apparet ſcilicet illa ſuperficies, quę vocatur facies, eo quod apparet in ea quædam diſtinctio, ſicut in facie Hominis apparet quędā diſtinctio ſecundum quandā Lineationem, ergo Luna non mouetur motu volutationis, ergo idē de alijs Stellis; quia eadem eſt omnium natura: atque ideo concluditur, quod Stellæ perſe non mouentur proprijs motibus: quia ſi mouerentur proprijs motibus, maximè motu regirationis, & volutationis; ſed his motibus non mouentur, ergo Stellæ per ſe ipſas non mouentur.

Quid ſit maculæ Lunæ.

2 Quantum ad maculas Lunæ quidam dicūt, quod cauſa illius, diuerſitatis, quæ apparet in ſuperficie Lunę, eſt aliquod corpus interpoſitum inter nos, & Lunam, quod prohibet, ne nos videamus totaliter claritatem Lunę: ſed hoc non poteſt eſſe, quia illud corpus interpoſitum non eodem modo interponitur inter Lunam, & viſum Hominis in quacumque parte Mundi, & ita non videretur ſimilis diſpoſitio per omnem partem Mundi.

Aegidi⁹ explicat, quid ſit macula Lunæ.

3 Sed melius dicēdum cum Ægidio in 2. diſt. 14. qu. 3. art. 1. quod illa pars Lunæ, vbi eſt macula, non lucet, alię autem partes Lucēt, quod ſecundum Commentatorem

 ideo

ideo contingit, quia Luna in illa parte non eſt ita denſa, nec ita ſpiſſa, ſicut in alijs partibus; illa ergo pars Lunæ, quæ non lucet, denſior eſt ſuo Orbe, ſed non eſt ita denſa, ſicut ſunt aliæ partes, quæ Lucent; talem ergo denſitatem poterunt habere Stellæ à principio, ſicut eſt macula Lunæ, quæ non lucet.

QVÆSTIO SECVNDA

De Corpore Cæleſti quo ad eius extrinſeca.

De Numero Cælorum

DVBITATIONES DVÆ

Dubitatio Prima. An ſupra Cælum Stellatum ſeu Firmamentum, & ſub Cælo Empirco detur aliud Cælum medium; quod ſit Aqueum, ſeu Chriſtallinum, ſitque primum Mobile?

Dubitatio Secunda. An ſub Cælo Stellatò ſint alij Cæli pro Planetis, & Aſtris errantibus, & quot illi ſint?

DVBITATIO PRIMA

An ſub Cælo Empireo, & ſupra Cælum Stellatum, ſeu Firmamentum detur aliud Cælum medium, quod ſit Aqueum, ſeu Chriſtallinum, ſitque Primum Mobile?

1 FVIT Antiqua temporibus Platonis, & Ariſtotelis Opinio, negans aliud Cælum ſupra Stellatum, dicebatque, hoc eſſe Primum Mobile; quam Opinionem modò ſequuntur Ruuius 2. de Cælo cap. 5. q. 2. Hurt. de Cælo diſput. p. ſect. 1. Auerſa q. 33. Philoſophiæ ſect 4. & in eadem inclinat Amicus tract. 4. de Cælo q. 5. dub 2. Cuius ſententiæ fundamenta poſtea in fine huius proponentur, & ſoluentur.

2 Sed Vera, & Comunior ſententia eſt, ſupra Cælũ Stellatum, & ſub Empireo, dari aliud Cęlum, quod eſt Primũ Mobile, & dicitur Chriſtallinum; ita D. Thomas in p. part. q. 68. art. 2. & in Quolib. 4. art 4. & in ſecundo ſent. diſt. 14. art. 1. Ægid. in 2. diſt. 14. q. 1. art. 7. & 4. Et in Examer. part 1. cap. 12. Scotus Relat' à Maſtrio, & Bell. diſp. 2. de Cælo q. 1. art. 2. num. 30. Argent. in 2. diſt. 2. q. 2. art. 2. Probatur autem, quia ſi vnũ Elementum non habet niſi vnum motum proprium, multo magis vnum, & idem Cælum, quod eſt magis ſimplex; ergo illud Cęlum, quod mouetur diuerſis motibus, habet aliud Cælum ſupra ſe, ipſum reuoluens; & quia compertum eſt, Cælum Sydereũ moueri duobus motibus; vno ab

D. Tho. Scotus Aegid. Argent. docent, primum mobile eſſe Chriſtallinũ.

Probatur aſſertio.

ab Oriente in Occidens ſupra Polos Mundi, & alio ab Occidente in Oriens ſupra Polos Zodiaci; ergo ſupra Cælum Sydereum, quod eſt Firmamentum, oportet quod ſit aliud Cęlum mobile mouens, & reuoluens ipſum Firmamentum.

3 Sed Petes, cuius naturæ dicetur illud Cælum, quod reuoluit Firmamentum? an ſit totum Diaphanum, vel totum lucidum, aut partim Diaphanum, & partim Lucidũ? Reſpondet Ægidius vbi ſupra, & eſt comunis ſententia admittentium iſtud Cælum, quod ſi ſupra Cælũ ſydereũ, & Stellatum, quod eſt Firmamentum reperiũtur Aquę iuxta illud Geneſis. *Fiat Firmamentum in medio Aquarum*. Oportet, nos ponere illud Cęlum, quod eſt ſupra Firmamentum, eſſe Aqueum, & habere aliquam conditionẽ de Aquis: & quia in noſtris Aquis non eſt aliud, in quo eædem Aquæ poſſint conuenire cum Corpore Perpetuo niſi Diaphaneitas; ideo, Cælũ illud, quod ponimus ſupra Firmamẽtum, eſt totum Aqueũ, quia totum eſt Diaphanum; Nec dictum Cælum dicendũ eſt Aqueum à Frigiditate: nam Frigiditas; cum ſit Forma, habens contrariũ, Formaliter in Cælo poni non poteſt.

Petitur cuius naturæ ſit primum mobile?

Reſpondet Aegidius, eſſe Aqueum

4 Petes iterum. Iſtud Cælum Aqueum, quod ponitur ſuper Firmamentum, eſt ne fluidum, vel ſolidum? Reſpondetur cum Ægid. loco ſupra cit. dub 1. Lateral, quòd eſt totum ſolidum, & tantæ ſoliditatis, ac virtutis, vt Firmamentum reuoluat: vnde Magiſter in littera loquens de huiuſmodi Cęlo Aqueo, dicit, ipſum eſſe Aqueum non tenuitate vaporabili, ſed ſoliditate Glaciali, vel Chriſtallina, quę verba innituntur dictis Sanctorum Patrum, vocantium dictum Cęlum Chriſtallinum; ſiue autem hoc Cælum vocetur *A*queum, ſiue Chriſtallinum, numquam tamen hęc nomina ſortietur à Frigiditate; ſed tantum à Diaphaneitate: nam tria præfata nomina quantum ad propoſitum ſpectat, vnum, & idem Significant, quia ex *A*qua fit Glacies, & Glacies diu manens in *A*lpibus propter continuum Frigus, conuertitur in Lapidem, & inde fit Chriſtallus.

Cælum Aqueũ eſt ſolidum, ſeu Chriſtallinum.

5 Sed Pro *A*uthoribus negantibus hoc Cęlum Chriſtallinum, dices primo. In Sacra Scriptura, & Patribus nulla fit mentio huiuſmodi Cęli *A*quei, imo vnum tantum ponitur Cęlum pręter Æmpireum. Et Sanctus Clemens Papa, qui fuit pręſens diſputatio-ni

Pro negãtibus Cælum Chriſtallinum.

Obijcitur primo. ni D. Petri cum Simone *Mago*, refert ex D. Petro, duos tantum eſſe Cælos, vnum Æmpireum, & Perpetuum; alterum Viſibile, quod eſt Firmamentum in conſumatione Seculi reſoluendum. Reſpondetur; non conuenire Patres interſe circa numerum Cælorũ: nam alij vnum, alij duos, alij tres, alij plures poſuerunt Cælos: & Sacra Scriptura non ſolum in Singulari; ſed etiam in plurali numero loquitur de Cælis. ad D. Petrum dicimus, quod per primum Cælum intellexit Empireum, per ſecundum vero omne interiectum inter Terram, Et Empireum.

6 Obijcies ſecundo. ſi eſſet aliud Cælum ſupra Stellatum, illud deberet eſſe denſius, vt poſſet rapere eundem Cælum Stellatum, & per conſequens illud eſſet lucidum per totũ, ſicut Aſtra, & viſibile, quod tamen eſt falſum. Reſpondetur; negando ſequelam, nam ſufficit æqualis denſitas; Sicut in ſententia Ariſt. neque Cælum Stellatum, quod apud ipſum eſt Primum Mobile, & omnes alios rapit Cælos, eſt denſius illis.

Obijcitur ſecundo.

7 Obijcies 3. Nihil eſt in Intellectu, quin prius fuerit in ſenſu: ſed nullum Cælum ſupra Firmamentum eſt ſenſu perceptibile: nam ſi eſſet perceptibile, maximè à ſenſu viſus, ſed hoc non, nam ottaua Sphera in nulla ſui parte eſt penetrabilis à viſu; ergo &c. *A*d hoc Reſpondet Argẽtina Noſter vbi ſup; quod licet nonum Cælum non cadat immediatè ſub ſenſu; poteſt tamen ex ſenſatis ſufficienter oſtendi: nam cum ſenſu percipiamus multiplicem motum ottauæ ſpheræ; poſſumus ex hoc neceſſario concludere, quod ottaua Sphera non eſt Primum Mobile, ac per conſequens, quod ſupra ottauam Spherã ſit aliud Cælum, cuius motus ſit ſimplex, vniformis, & omnium motuum Primus.

8 Obijcies 4. *A*deſt inſignis *A*uthoritas *A*riſtotelis tantum octo Cęlos ponentis, quorum Primum Mobile vult eſſe Cælum Stellatum; ergo &c. Reſpõdetur; authoritatẽ Philoſofi in hoc parum vrgere, nam in Aſtrologia fuit parum verſatus, & in hac Materia non fuit ſibi conſtans, quia in 12. Methap. text. 47. poſuit ſecundum aliqua placita Aſtrologorum ſui temporis 55. vel 57. Spheras; & in prohæmio Methap. Cælorum numerum minorauit iuxta placita Pithagoreorum. Vel poſſumus dicere, quod Ariſt. negauit nonum Cælum Chriſtallinum, quatenus hoc immediatè non cadit ſub ſenſu, quod

quod verum eſt.

9 Obijcies quinto, ſi ſupra Cælum Sydereum, quod eſt Firmamentum, daretur aliud Cælum, maximè illud eſſet Aqueum, & diceretur tale ab Aquis, quæ ſupra Cælos ſunt, inter quas, & Aquas noſtras Elementares intercedit Firmamentum iuxta illud Genes. *Fiat Firmamentum in medio Aquarum, & diuidat Aquas ab Aquis*: Sed ex illis Aquis, quæ ſupra Cęlos ſunt, non poteſt conſtitui vllũ Cælum, ergo &c. de maiori non poteſt eſſe dubium; probatur minor; nullum Cælum eſt eiusdem Speciei cum Elementis, ſed illæ Aquæ, quæ ſunt ſupra Cælos, ſunt eiusdem Speciei cum noſtris, ergo ex illis Aquis, quæ ſunt ſupra Cælos, non poteſt conſtitui vllum Cælum: Minor hæc vltima, in qua eſt difficultas, probatur multipliciter; primo, quia Aquæ Diluuij fuerunt de illis Aquis ſuperioribus, iuſta illud Genes 7. *Cataractæ Cæli apertę ſunt, & facta eſt pluuia ſuper Terram Quadraginta diebus*: Sed Aqua pluuiæ diluuij fuit eiusdem naturæ cum Aquis noſtris, ergo, & illæ Aquæ, quæ ſunt ſupra Cælos. Secundo, quia Diuina Scriptura non diſtinguit inter Aquas Cæleſtes, & Elementares, ergo nec nos debemus diſtinguere: ſunt igitur illæ cum noſtris eiusdem naturæ, Reſpondetur; negando minorem, ad cuius probationẽ iterum negãda eſt minor; non enim Aquæ illæ, quæ ſunt ſupra Cælos, ſunt eiusdem rationis cum Aquis Elementaribus: & cũ dicitur, quod Catharactæ Cæli apertæ ſunt, ibi Cælum ſtat pro Aere, & Cataractæ pro nubibus: tanta enim tunc fuit inundatio Aquarum, & ita nobis ſe aperiebant, & mictebant Aquam, quod videbantur illæ nubes Cæli, ideſt illæ Cataractæ Aeris omnino apertę propter tantam emiſſionem Aquarum; & hæc eſt expoſitio magis licteralis, quod Illa pluuia tempore diluuij non fuit facta ex Aquis ſuper Cæleſtibus; ſed ex Aquis in nubibus eleuatis; ad illam aliam probationem minoris, quod ſcilicet Scriptura non diſtinguit inter Aquas Cæleſtes, & Elementares, dicendum eſt, quod licet Sacra Scriptura non diſtinguat; ratio tamen naturalis nos cogit, ad diſtinguendum: nec Sacra Scriptura contradicit, cum non ſit articulus Fidei,

DVBI-

DVBITATIO SECVNDA

An ſub Cælo ſtellato, quod eſt Firmamentum, ſint alij Cæli pro Planetis, & Aſtris Errantibus, & quot ſint omnes Cæli?

1 Noſtra ſententia, quam ſequuntur omnes Peripatetici vtriuſque Scholæ, eſt, ſub Cælo Stellato dari etiã ſeptem Cælos iuxta numerum Septem Planetarum: omneſque Cælos eſſe tantum decem, ſcilicet Empireum, Cœlum chriſtallinum, quod eſt Primum Mobile, Cælum Stellatum, quod vocatur Firmamentum, & Septem Cælos Planetarum, quorum ſic eſt ordo, ita vt poſt Firmamentum immeditatè ſit Cælum Saturni; poſtea Sphera Iouis, deinde Cælum Martis, poſtea Sphera Solis, hanc ſequitur Cælum Veneris; penultimo Cælum Mercurij; Tandem eſt Sphera Lunę. Ita Ægidius in 2. diſt. 2. q. 2. in reſolutione art. 3. in fine. Itẽ diſt. 14. q. p. art. 4. Scotus apud Maſtrium, & Bell. diſp. 2. de Cęlo q. p. art. 2. num. 21. Argent. in 2. diſt. 2. q. 2. art 4. & probatur; quia quodcunque Cęlum vel eſt totum Lucidum, vel totum non Lucidum; vel partim Lucidum, & partim non Lucidum. Totum Lucidum eſt Cęlum Empireum, quod dicitur à Pir, quod eſt Ignis, vnde Empireum dictum eſt Cęlum Igneum non à calore, ſed à ſplendore, quia totum eſt ſplendidum, & totum Lucidum. Cælum, quod totum eſt non Lucidum, eſt Cęlum chriſtallinum ſeu Aqueum, eſtque Primum Mobile, & dicitur non Lucidum, quia totum eſt Diaphanum ſine vlla Stella. Cęlum vero, quod partim eſt Lucidum, & partim non Lucidum eſt Cęlum Stellatum ſeu Sydereum, quod dicitur Firmamentum, & ſeptem alij Cæli Planetarum: nam Cęlum, quod partim eſt Lucidum, & partim non Lucidum, vel habet multas, & mirabiles Stellas, & ſic eſt Cęlum ſydereum, in quo ſunt Aſtra fixa: vel non habet niſi vnam Stellam tantum, & ſic ſunt Septem Cęli Planetarum, quorum quodlibet quãtum ad Stellam, quam habet, eſt Lucidum; quantum vero ad alias partes, vbi nulla eſt Stella; eſt non Lucidum.

Vera ſẽtentia concedit decem Cęlos.

Empireum eſt totũ Lucidum.

Chriſtallinũ eſt totũ nõ Lucidũ.

Cælũ ſydereum, & reliqui ſeptem partim ſunt Lucidi, & partim non Lucidi.

2 Obijcies primo; inter omnes hos Cęlos nominatos nulla facta eſt mentio illius Cæli, in quod volebat aſcendere Lucifer, de quo Eſay. 14. dicitur. *In Cælum conſcendam &c.* Ibi enim Lucifer non petebat aſcendere Empireum, quia iam erat ibi; Sunt ergo plu-

Lucifer volebat aſcendere in Cælum Santiſſimæ Trinitatis.

plures Cæli &c. Reſpondetur; quod illud Cælum, quod volebat aſcendere Lucifer, non erat Corporeum, ſed Cælum Santiſſimæ Trinitatis, volebat enim æquari Deo, & eſſe ſimilis Altiſſimo.

3 Obijcies ſecundo. vltra illud Cęlum, ad quod fuit raptus Diuus Paulus, non datur aliud Cælum; ſed Diuus Paulus fuit raptus vſque ad tertiũ Cælum, vt dicitur ſecundo corinth. 12. ergo Cæli non ſunt plures, quam tres. Reſpondetur dupliciter, primo, quod omnes Decem Cęli poſſunt compræhendi ſub tribus tantum Cælis ſcilicet ſub Empireo, Chriſtallino, ſeu Sydereo, & Stellato, ita vt hoc Stellatum, & 7. Stellæ Planetarum comprehendantur pro vno Cælo, quia Spheræ Planetarum nõ habent aliũ motum, quam Ottaua Sphera. Sed Reſpondetur ſecundo, & melius cum Ægid. quod illud tertium *Cælum*, ad quod raptus fuit Diuus Paulus, non eſt tertium Cælum Corporale: ſed eſt quodam tertium genus viſionis, raptus enim fuit D Paulus vſque ad tertiũ Cælũ, ideſt vſque ad tertium genus Viſionis; Viſio enim Intellectiua, per quam poſſumus capere Æterna, dicitur *Cælum*, iuxta illud Auguſtini 3. de Trinitate cap. 20. *In quantum aliquid æternum mente concipimus, non in hoc mundo ſumus, & cum conſideramus de æternis, poſſumus cum Apoſtolo dicere, noſtra conuerſatio in Cælis eſt*. Viſio ergo intellectiua poteſt dici Cęlum: nunc comuniter diſtinguitur triplex Genus Viſionis intellectiuæ, quia datur Viſio intellectiua cauſata à ſenſibus externis; vnde Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, & per ea, quæ aſpicimus per ſenſus exteriores, intellectu conſpiciuntur; ſecundum Genus Viſionis eſt cognitio Intellectiua Phantaſmatibus admixta, quia ſecundum Philoſophum noſtrum intelligere vel eſt Phantaſia, vel non eſt ſine Phantaſia. Tertium tandẽ Genus Viſionis eſt cognitio non occupata à ſenſibus exterioribus, ſed tantũ interiorib', nec ad mixta Phantaſmatib'; ſed in pura, & clara Viſione dictæ Eſſentiæ conſtituta; & adhoc tertium Genus Viſionis, quod eſt quodam Cælũ, fuit raptus D. Paulus, nam vidit Diuinam Eſſentiã in illa claritate, in qua vident Beati.

Tertiũ Cælum. ad quod raptus fuit D. Paulus, fuit tertium Genus viſionis.

4 Obijcies tertio. In Sacra Scriptura Aer vocatur nomine Cæli; dicitur enim Lucæ 8. *Volucres Cæli comederunt illud*. Ergo plures ſunt Cæli, quam decem. Reſpondetur, quod Aer, & etiam Ignis poſſunt no-

nominati nomine Cæli propter aliquam ſimilitudinem, quam habent cum Cælo: nam ſi Cælum eſt altum, & Diaphanum, ſicut videmus in Cælis Planetarum; propter has duas conditiones etiam Aer, & Ignis poſſunt vocari Cæli, cum ambo ſint alti, & Diaphani: nos autem cum diximus, tantum decem eſſe Cælos, Loquuti ſumus de Cælis, quæ ſunt ſupra Regionem Elementarem.

DE MOTV CORPORVM Cæleſtium

DVBITATIONES TRES.

Dubitatio Prima. V. Cælum moueatur actiuè a Principio intrinſeco, vel extrinſeco?

Dubitatio Secunda. V. Motus Cæli ſit illi Naturalis?

Dubitatio Tertia. V. Cælum naturaliter quieſceret; ſi ceſſaret motor ab actu mouendi?

DVBITATIO PRIMA.

V. Cælum moueatur actiuè à Principio Intrinſeco, vel Extrinſeco?

1 TRES ſũt in hac difficultate ſententiæ. Prima docet, Cælum moueri circulariter a ſua propria Forma abſque vllo principio extrinſeco actiuo, Ita maior 2 Cæli cap. 5. & Albert. de Saxon. 8. Phiſic. q. vlt. Altera, ſententia extremè contraria aſſerit, Cælum ſolum ab extrinſeco principio moueri actiuè, ipſumque Cælum ſolum paſſiuè cõcurrere ad motum. Ita omnis Theologorum, & Philoſophorum conſenſus, Tertia videtur eſſe media, & concedit, Cælum moueri ab extrinſeco, ſed cum hoc ait, concurrere quoque Formam cæleſtem inſtrumentaliter; ita Valleſius p. Phiſicorum.

Referũtur tres Opiniones.

2 Ex his Opinionibus ſecũda eſt nobis Probabilior, & defendenda; quod ſcilicet Cęlum ab extrinſeca Intelligentia moueatur actiuè, non vero à ſua naturali Forma. Ita D. Thom. 2. ſent. diſt. 14. art. 2. Scot in 2. diſt. 2. q 5. & diſt. 14. q. 1. apud Maſtriũ & Bellutum in diſput. 2. de Cęlo q. 4. art. 3. Ægid. in 2. diſt. 14. q 1. art. 3. & omnes Recentiores; eſt etiam Ariſt. 8. Phiſic. tex. 52. & multipliciter ſolet probari: Sed ab Ægidio ſic ſuadetur. Cæli non mouentur à ſua Forma naturali tanquam ab Anima, quę cum Materia Cęli faciat vnum ſecundæm eſſe, quia Cæli non ſunt animati Simpliciter, vt alibi oſtenſum eſt; nec mouentur actiuè à ſua Forma naturali tanquam

Vera Opinio D. Thomæ Scoti. Aegid. Ariſt.

Ab Aegid. probatur aſſertio.

à Forma inanimata, ſicut mouentur Elementa à ſua Forma Materiali, quia ſequeretur, Cælos eſſe priuatos ſuo loco naturali, & eſſe extra ſuum locum naturalem, quod eſt inconueniens; probatur ſequela, quia Materia ideo naturaliter appetit Formam, quia eſt priuata Forma, ergo ſi Cælum naturaliter actiuè, & per ſuam Formam naturalem moueretur ad Vbi, eſſet priuatum ſuo loco naturali.

2 Sed Obijcies primo. Cęlũ eſt Corpus naturale, eiuſque motus eſt naturalis ex Philoſopho primo de Cęlo text. 14. ergo Cęlum habet Principiũ motus internum; nam motus qui prouenit ab extrinſeco, eſt violentus. Reſpondetur; naturam in Cælis habere ſolum rationem principij paſſiui in ordine ad motum localem, & vt ſic eſt principium internũ eiuſdem motus, quem propterea denominat naturalem; ſed de hoc quomodo motus Cæli ſit illi naturalis, in dubitatione Sequenti latius, & ex profeſſo.

4 Obijcies 2. Mouere ſe à propria Forma; eſt perfectio, & reperitur in Sublunaribus, ergo id non eſt denegandum Corporibus Cæleſtibus, quę ſunt perfectiora his inferioribus. Reſpondetur; non eſſe inconueniens, quod aliquid ſit in his inferioribus, quod quidem non ſit in Cęleſtibus; nam multa Animalia ex naturali inſtinctu ſciunt facere aliqua, quæ neſciunt Homines, vt Aranea ex naturali inſtinctu facit telam, & Hirundo nidum, & Canicula quando facit filios, ſcit quomodo ſe debeat habere ad eos; vt ſi facit eos inuolutos cum pellicula, ſtatim illam pelliculam cum dentibus lacerat: licet hæc autem ſint in beſtijs; & non in Homine; Homo tamen propter Intellectum eſt nobilior, & perfectior Beſtijs: Sic in propoſito licet Grauia, & Leuia habeãt in ſe principium motus, & quietis; quod Cælum non habet, hoc tamen eſt nobilius omnibus corporibus ſublunaribus, tum quia Cælum eſt incorruptibile, tum quia habet nobiliores motores, vt ſunt Intelligentię.

5 Obijcies Tertio. Philoſophus in 8. Phiſic. text. 34. inquit, quod Cælum mouetur ex ſe, ergo eſt diuiſibile in duo, quorum vnum eſt per ſe mouens, & aliud per ſe motũ, ſed id, quod in Cęlo eſt per ſe motum, eſt Materia, ergo id, quod in eodem Cælo eſt per ſe mouens, erit eiuſdem Cęli Forma. Reſpondetur; quod Cęlum mouetur ab Anima ideſt à ſuo Motore appropria-

propriato: vnde non mouetur ab *Anima*, quæ cum *Cælo* faciat vnum ſecundum eſſe, ſed quæ faciat vnum ſecũdum operationẽ, & motum; & quia motus, & Operatio eſt quodam opus vitę, dici poteſt, quod Cælum moueatur à ſua Anima, & quod ſit *Animatum* non ſimpliciter, & ſecundum eſſe; ſed ſecundum motum.

6 Obijcies quarto. Philoſophus 1. Phiſ. text. 2. hoc ſtatuit diſcrimẽ inter Naturam, & Artem, quod Res Artiſicialis eo quod eſt talis, nullum ex ſe conſequitur motũ, ſed ex eo quod eſt res naturalis: ſed Cælum habet ſuam Naturam, ergo ex ſua natura conſequitur ſuum motũ. Reſpondetur; quod in ipſo Cęlo eſt quædam natura, vt moueatur circulariter; ſed illa natura non eſt effectiua ſeu actiua talis motus, ſed eſt habilitans ad talem motum.

DVBITATIO SECVNDA.

V. Motus Cæli ſit illi Naturalis?

1 SEntentia Comunis, & vera eſt, motum Cæli eſſe illi Naturalem, non quidem naturalem. quia fortè efficiatur ab eius Forma intrinſeca, & naturali: ſed quia Cęlum habet inclinationem ad talem motum. Ita D. Thom. in p. lib de *Cælo* text. 6. lect. 3. vbi ſic ait. *Sic igitur dicendum eſt, quod principium actiuum motus Cæleſtium corporum eſt Intellectualis ſubſtantia: principium vero paſſiuum eſt natura illius corporis, ſecundum quam natum eſt tali motu moueri*. Ita etiã Scotus apud Maſtrium, & Bellutum in lib. Phiſic. diſput. 5. qu. 2. art. 1. vbi rectè oſtendit, Cælum habere naturam etiam in ordine ad motum localem. Et Ægidius in 2. diſt. 14. qu. p. art. 3. dub. 3. Lateral. & in 2. phiſ. lect. 1. explicans, quomodo natura ſit principium motus, & quietis eius in quo eſt, docet, quod motus *Cæli* dupliciter poteſt dici naturalis, primo ratione Motoris, ſecundo ratione Mobilis. Ratione *Motoris*, quia Motor Cæli eſt quaſi *Forma* eius, & quaſi Anima ipſius, nõ quod ex Cælo, & eius Motore fiat vnum ſecundum eſſe, ſed quia ſit vnum ſecundum Operationem, quæ eſt quodã Opus Vitæ, ex parte igitur Motoris Cælum mouetur naturaliter, quia mouetur à principio, quod eſt in ipſo *Cælo*, tum quia Motor eſt ei appropriatus, tum etiam quia eſt eius Anima; tum tertio quia idem Motor eſt in ipſo *Cælo*: ſub-

Vera ſententia aſſerit, motũ Cęli eſſe illi naturalem.

Ita Diu. Thomas

Et Scotus.

Idem dicit Aegidius.

ſubſtantia enim ſeparata vbi operatur, ibi eſt, cum eius virtus non ſeparetur a ſubſtantia, & ſic ſi Motor Cæli operatur in Cælo, iam eſt in Cælo, habetque Cælum in ſe Animam, ipſum mouentem: Eſt etiam Motus Cęli naturalis eidem ex parte Mobilis, quia ſi Leuia per naturã mouentur à medio, & Grauia per naturam mouẽtur ad mediũ; cum Cęlum per ſuam natuã moueatur circa medium, ſequitur, quod motus eius eſt illi naturalis; ideſt natura Cæli eſt aliquo modo principium talis motus, cum ex natura ſua habeat, quod ſit aptum moueri circa medium.

2 Et ſi dicatur, quod Motor Cæli eſt ſeparatus à Cælo, dicendum eſt, quod eſt ſeparatus ſecundum eſſe, non tamen propriè motor eſt extrinſecus Cęlo, cum ſit quaſi Anima eius, & cum Cælo faciat vnum ſecundum operationẽ: poteſt ergo dici, quod Cælũ mouetur à principio intrinſeco, quia mouetur ab jntelligentia, cum qua facit vnum ſecundum operationem.

3 Petes; ſi per Diuinam potentiam aliqua pars Cæli collocaretur in hoc Mundo inferiori, talis pars moueretur ne naturaliter, vel violenter? & ſi naturaliter; moueretur ne motu recto, vel circulari?

Quomodo moueretur pars Cæli, ſi eſſet in terra?

Reſpondetur, quod Cęlum ex ſe non habet naturalem inclinationem determinatam ad aliquem locum, niſi quatenus eſt quędam pars Vniuerſi, cui vt ſic congruit eſſe in ſupremo loco ſupra omnia corruptibilia; vt poſſit in omnia influere; nec propriè locum illum ex ſe reſpicit, vt naturalem: nam locus naturalis eſt conſeruatiuus locati, vnde locatum extra proprium locum eſt extra ſtatum naturalem, & corruptioni ſubiectum; Cęlum autem eſt incorruptibile: vbicumque ergo collocetur, numquam poteſt dici violenter exiſtere.

4 Ex quo inferes, quod motus ille, quo Cęlum, vel pars eius extraheretur à propria ſede, non eſſet violentus; quia motus localis rectus tunc dicitur violentus, quando terminatur ad locum Mobili violentum: ille autem locus non eſt Cęlo violentus ex propria natura: Rurſus ſi pars illa Cæli in his inferioribus locata iterum moueretur ſurſũ, vel ab Angelo, vel aliter; tunc motus ille nec eſſet Naturalis, tum quia non terminaretur ad locum naturalem, tũ etiam quia ſi talis motus eſſet illi naturalis, oppoſitus fuiſſet illi violentus, eſſet igitur talis motus ſimpliciter neuter.

Sed

5 Sed cum Durando Obijcies primo contra principalē Aſſertionem. Natura corporis ſimplicis inclinat ad vnum motum ſimplicem; ſed in Cælo non eſt vnus motus tantum, ſed plures, quia ibi ſunt motus oppoſiti, motus enim Primi Mobilis eſt ab Oriente in Occidens: motus vero Planetarum è conuerſo, igitur motus Cæli non eſt illi naturalis. Reſpondetur ad minorem, quod ſicut in Cælo ſunt plures motus, ita ſunt plura mobilia: & ſicut in ipſis mobilibus eſt cōuenientia, & differentia, ſic etiam in motibus: conueniunt enim omnia mobilia Cæleſtia in hoc, quod habeant quandam Qualitatem neutram, quia nec ſunt Grauia, nec Leuia: & in hoc etiam conueniunt omnes motus Cæleſtium mobilium, quia omnes ſunt circulares. Et ſi mobilia Cæleſtia differunt inter ſe ſecundum aliquas proprias qualitates, & diſpoſitiones; ſecundum hoc etiam differunt eorumdē mobilium cæleſtium motus.

6 Obijcies ſecundo. Motus eſt naturalis ex connaturalitate Mobilis ad aliquem terminum: ſed Cælum non habet connaturalitatem ad aliquem locum, qui eſt terminus localis, ergo motus Cæli non eſt illi connaturalis. Reſpondetur; quod quamuis cōnaturalitas mobilis ad locum non cauſet motum in loco rectum: cauſat tamen motum in loco circularem.

7 Obijcies tertio. Si motus Cæli eſſet naturalis, quies in eodem loco eſſet illi violenta, ſed conſequens eſt falſum. Ergo &c probatur falſitas conſequentis, quia in fine Mundi cum ceſſabit Cælum à motu, ſequeretur, quod Cælum eſſet in deteriori conditione, quam nunc eſt. Reſpondetur; negando conſequētiā, loquēdo de motu circulari, nam talis motus non eſt ad locum, ſed in loco, & ideo in eodem loco, in quo naturaliter mouetur; ceſſante Motore ab operatione; naturaliter quieſcit: quia ſicut Cælum nunc propter qualitatem neutram nec mouetur ad cētrum, nec à centro, ſed circa centrum, ſi propter eandem qualitatem ceſſaret Motor ab actu mouendi, tunc quies eius eſſet naturalis, quia nec eſſet in Centro, nec ſuper Centrum, ſed circa centrum. Sed de hoc Latius in dubitatione ſequenti.

DVBITATIO TERTIA

V. Cælum naturaliter quieſceret, ſi ceſſaret Motor ab actu mouendi?

1 CÆlum in fine *Mundi* ceſſabit à motu; hoc ſupponimus de Fide; eo autem ſuppoſito, quęritur, an illa quies in fine *Mundi* ſit futura naturalis Cælo, vel violenta?

2 Veritas eſt nobis cum diſtinctione ſoluenda; dicimus ergo, quod ſi ly naturale ſumatur, pro vt opponitur violento, tunc in fine Mundi, quando Cælum cessabit à motu, illa quies futura eſt naturalis, ideſt non violenta; quia ſi non quieſceret naturaliter, ſequeretur, quod quieſceret violenter, atquę adeo Cælum in fine *Mundi* eſſet inferioris conditionis quã nunc eſt. Aſt ſi ly naturale dicat hoc, quod eſt, naturam Cæli vel eius *Motorem* appetere quietem propter aliquem laborem, vel fatigationem, quæ illi acciderit; ſic reſolutè dicimus, Quietem Cęli in fine Mundi non futuram eſſe naturalem, nec violentam; ſed non naturalem, vel potius neutram; Ita Ægidius in quodlib. primo q. 17. & probatur ab eodem ibidem, quia corpus Humanum ideo cum ceſſat a motu, naturaliter quieſcit, quia motus corporis Humani eſt cum labore, & pęna: ſed motus Cæli eſt ſine vllo labore, & pæna Intelligentiæ mouentis, ergo cum Cælum ceſſat à motu, eius quies non eſt naturalis. Maior eſt certa, quia ſi in motu Hominis nulla accideret fatigatio, non oporteret Humanum Corpus per naturam aliquãdo quieſcere, ſed ſemper poſſet eius motus naturaliter perpetuari: minor, in qua eſt omnis difficultas, ſic declaratur, ideo motui corporis Humani accidit labor, & fatigatio in mouendo, quia Anima Rationalis coniungitur Humano Corpori per potentiam Organicam, qui poteſt in mouendo pati laborem, & pænam: ſed *Motor* Cæli non coniungitur Cęlo per potentiam organicam, ſed per potentiam Intellectiuam vel per potentiam, & Virtutem non Organicam, ergo motus Cęli eſt ſine vllo Labore; & pæna Intelligentiæ mouentis; probatur maior, Potentia intellectiua Animæ Rationalis vel aliqua alia potentia non Organizzata non ſufficit admouendum corpus, cum huiuſmodi potentiæ non organizzatæ non coniungantur corpori immediatè, ſed mediante ſubſtantia Animæ, quæ cũ cor-

Cum diſtinctione Dubitatio reſoluitur.

Ab Ægidio redditur ratio, cur corpori humano accidit labor in mouendo?

corpore facit vnum per ſe, & ſecundum eſſe; oportet ergo adhoc, vt fiat motus Corporis Humani, dare aliquã potentiam organicam, quæ immediatè attingat Corpus: & quia omnis virtus organica in mouendo, patitur pænam, ideo in motu Corporis humani poteſt accidere labor, & fatigatio in mouendo: Aſt motor Cæli immediatè coniũgitur Cælo per potentiam non organicam, quia ex Intelligentia mouente, & Cælo moto non fit vnum ſecundum eſſe; Sed tantum ſecundum motum, & operationem: & quia virtus non organica non fatigatur in mouendo, ideo talis motus fit ſine vlla pæna, & labore.

Si ex Intelligentia, & Cælo fieret vnum ſecundum eſſe, motus Cæli non eſſet perpetuus.

3 Et ex hoc poteſt ſatisfieri illi difficultati, an motus Cæli eſſet perpetuus, ſi ex Cælo, & Intelligentia fieret vnum ſecundum eſſe: patet enim, quod non, quia ſi fieret vnum ſecundum eſſe, ergo Angelus deberet tangere Corpus Cæli ſecundum potentias organicas, ſed his accidit labor, & pæna; ergo &c. An autem in his Inferioribus ſit aliquis motus, qui non reducatur ad motum Cæli? videndus eſt Ægid. in quolib. 4 q. 12.

DE LVCE CÆLESTI, atque etiam de Scintillatione, & Æclipſi.

DVBITATIONES QVATVOR.

Dubitatio Prima. Quid ſit lux, & quomodo differat à lumine?

Dubitatio Secunda. V. Lux Cæleſtis ſit eiuſdem Speciei cum Luce horum Inferiorum?

Dubitatio Tertia. An verè Aſtra Scintillent, & quæ ſit cauſa Scintillationis?

Dubitatio Quarta. Quid ſit Æclypſis Aſtrorum, & in quibus Aſtris poteſt contingere?

DVBITATIO PRIMA

Quid ſit Lux, & quommodo differat à lumine.

1 SENSVS primæ partis quæſiti eſt, An Lux ſit Corpus, vel ſit Forma? & ſi eſt Forma, an ſit Subſtantialis, vel Accidentalis? Cui quæſito dicendum eſt, nec Lucem, nec lumen eſſe Corpora, vel Formas Subſtantiales: ſed eſſe Formas Accidentales de Genere Qualitatis. eſt Sententia comunis, & deduci facilè poteſt ex dictis Ægidij cũ in 2. Sent. diſt. 13. q. 2. art. 1. tum

Aegidius reſoluit Lucẽ, & Lumen eſſe Formas accidentales.

tum in tractatione de Intentionibus in medio,& in Quolibet. Quinto.q.10.in quibus omnibus locis ſemper ſupponit,lucem,& Lumen eſſe Formas in ſubiecto receptas,nec ſimpliciter reales, nec ſimpliciter Intentionales;probatur autem,quod non ſint corpora, quia corpus eſt cum altero corpore impenetrabile naturaliter;ſed Lux,& Lumẽ ſunt ſimul cũ Aere,ſi.n.Aer in aduentu Luminis recederet, non experiremur reſpirationẽ Aeris: Lux ergo, & Lumen non ſunt corpus;quod autem nec Lux, nec Lumen ſint Formæ ſubſtantiales, etiam probatur, quia ſubſtantia non intenditur, nec remittitur, nec eſt per ſe ſenſibilis:ſed Lux & Lumen intenduntur, & remittuntur etiam loquendo de Luce Cæleſti; iuxta illud Eſay. 30. *Et erit Lux Lunę, vt Lux Solis ſeptempliciter maior, Ergo &c.*

2 Sed contra hoc obijcies, & probatur Lucem,& Lumen eſſe Corpora, vel ſaltem Formas ſubſtantiales; primo quia dicitur Genes. primo, quod Lux fuit facta, ergo Lux eſt quid ſubſtantiale: non enim tunc Accidentia fuerunt producta ſine ſubiecto. Secundo Lumen gignit Ignem, vt patet de ſpeculo cõcauo ad Solem expoſito; quod per reflexionem radiorum conburit ſtuppam; Sed hæc omnia ſunt munera Corporis ſubſtantialis, & non tantum Formæ accidentalis;ergo &c.Tertio omne accidens ſenſibile habet contrarium, nec tranſit de ſubiecto in ſubiectũ: nec duo Accidentia ſolo numero differentia in eodem ſubiecto exiſtunt; Sed Lux, & Lumen carent contrario, & Lumen tranſit ab vna parte in aliam, & in reflexione duo Lumina ſunt ſimul in Aere; ergo Lumen, & Lux non ſunt Accidentia.

Obiectiones cõtra reſolutionẽ Aegidij.

Reſpondetur ad primum, quod in Genes; cum dicitur: fiat Lux &c. non eſt ſermo de Luce pro formali, ſeu pro Forma Accidentali, ſed pro connotato, ſeu pro Corpore Lucido, quod denominatur à Luce tanquam a potiori.

Soluuntur obiectiones.

Ad Secũdum Reſpondetur; quod ignis ille producitur à Sole mediante virtute Luminis, iuxta dicta in 2.Phiſ;cum vidimus, quomodo Accidens attingat ſubſtantiam? Ad tertium negandum eſt, omne accidens ſenſibile habere contrarium,niſi ſit ſermo de Qualitatibus primis; vel de Qualitatibus conſequentibus primas; cuius ordinis non eſt Lumen, & Lux: nec verum eſt, Lumen migrare de ſubiecto in ſubiectum, cum con-

tinuo renouetur: Tandem & ſi duæ Formæ Accidentales reales numero diſtinctæ eſſe non poſſint in eodem ſubiecto, cum huiuſmodi conſeruentur in eſſe materialiter per ſuum ſubiectum: Formæ tamen Intentionales quia fiunt ſine tranſmutatione Materiæ ad ſolam præſentiam Agentis, & quia conſeruantur in eſſe per ſua Agentia, benè poſſunt eſſe in eadem parte medij. Ita Ægid. in quolib. 5. q. 10 & nos in p. tract. in 2. Phiſic.

Diſcrimẽ inter Lucem, & Lumen.

3 Quo ad ſecundam dubitationis partem de differentia inter Lucem, & Lumen dicimus cum Ægidio in 2. diſt. 13. q. 2. art. p. §. 2. via &c. quod Lux, & Lumen differunt inter ſe, quia Lux eſt illa Forma, quæ reperitur in Corpore Lucido, & habet eſſe reale, vt Lux in Sole, vel in Igne: Lumen vero eſt illa Forma, ſeu ille radius, qui reperitur in medio, & habet eſſe Intentionale, vt Lumen in Aere, & hoc eſt triplex ſcilicet rectum, reflexum, & fractum; Lumen rectum eſt illud, quod cauſatur a Luce in medio eiuſdem Diaphaneitatis, vt vel in Aqua ſolum, vel tantum in Aere; & pergit recta via ſine obſtaculo, quantum durat virtus Lucidi corporis, vt eſt lumen cauſatum à luce candelæ in aperto aere poſitæ. Lumen ſeu radius reflexus eſt ille, qui occurrente Corpore Opaco, antequam termînetur virtus Lucidi, diffunditur, & reflectitur in partem oppoſitã, cuius ratio eſt, quia Agens naturale ſemper agit in directum, quantum poteſt, & cum impeditur, agit in obliquum. Radius tandem fractus eſt ille, qui occurrente medio alterius Diaphaneitatis non tamen opaco multiplicatur in illo medio, ſed non ſecundum lineã rectam: ſed incidit ibi Angulus. Videatur adhoc Gratianus in 2. de Cælo diſput. 13. apud Maſtrium, & Bellutum diſp. 2. q. 1. num. 151.

4 Petes. Lux competit ne omnibus corporibus Cæleſtibus? Reſpondetur affirmatiuè, excipiendo ſolum Cælum Chriſtallinum, quod totum eſt Diaphanum.

DVBITATIO SECVNDA

V. Lux Cæleſtis ſit eiuſdem Speciei cum Luce horum Inferiorum?

1 POteſt hæc dubitatio fieri etiam de omnibus alijs Accidentibus, quæ ſunt comunia corporibus cæleſtibus, & ſublunaribus, vt eſt Quantitas, denſitas Opacitas,

tas, & Diaphaneitas.

2 SCOTVS in 2. diſt. 15. q. 1. apud Maſtrium, & Bellutum diſp 2. de Cælo q. 6. nu. 181. videtur docere, lucem, & omnia Accidentia, quæ ſunt in corpore Cæleſti, eſſe eiuſdẽ rationis cum Luce, & Accidentibus horum inferiorum. Idque ſubtilis conatur oſtendere, quia nulla apparet ratio diſtinctionis, imo potius patet aperta ratio identitatis: nã idem effectus formalis reperitur in Quãtitate Cæli, & Quantitate ſublunariũ: Similiter quęlibet lux habet illuminare, quælibet Diephaneitas habet reddere corpus perſpicuum, & tranſparens licet ſecundũ magis, & minus, quæ non variant ſpeciem.

Scotus negat diſtinctionẽ ſpecificã inter lucẽ Cæleſtem, & ſublunarem.

3 Diuus Thomas p. p. q. 67. art. 2. & omnes Thomiſtæ negant abſolutè, lucem, & Accidentia quæ ſunt in Cælo, eſſe eiuſdem rationis ſpecificæ cum Luce, & accidentibus horum inferiorum. probant primo, quia ea, quæ differunt Genere, ſunt diuerſarum rationum; ſed ex 10. Meth. text. 26. quę ſunt in ſuper Cæleſtibus, & Sublunaribus, differũt genere; ergo &c.

D. Tho. prædictã diſtinctionẽ concedit.

4 Ægidius in 2. diſt 12. q. 2. art. 1. p. Licet expreſſius adhæreat ſententiæ D. Thomæ, in re tamen ab Opinione ſubtiliſſimi non declinat; docet enim loco citato, quod ea, quæ ſunt inſuper Cæleſtibus, & iſtis jnferioribus vt lux, vel Alia Accidentia, non ſunt eiuſdem ſpeciei, quia corruptibile, & in corruptibile differunt Genere; Addit tamen in reſpõſione ad primũ, quod Diaphaneitas (& idem dici poteſt de alijs Accidentibus) eſt aliquo modo eadem in Aere, & Aqua, & in corpore Cæleſti, quia omnia iſta ſunt ſuſceptiua eiuſdem luminis, idem enim luminare Cæleſte, vel eadem lux Cæleſtis multiplicat lumen ſuum ſuper omnia iſta: ſed hæc idẽtitas non eſt ſecundum eandem ſpeciem. nec propriè eſt eiuſdẽ Generis: ſed eſt ibi quędam identitas Analogica, vel eſt ibi identitas Generis logici, ſecundum quem modum non ſolum omnia Corpora ſunt eiuſdem generis, ſed etiã omnia ea, quæ ſunt in Prædicamento ſubſtantiæ tam corporea, quam incorporea poſſunt dici eiuſdem rationis.

IVDICIVM AVTHORIS ex Ægidio pro Defenſione

Vtriuſque Opinionis.

5 Lux, & Accidentia, quę ſunt in Corporibus Cæleſtibus, & his Inferiori-

bus dupliciter poſſunt conſiderari, primo ſecundum eſſe purè quidditatiuum, ideſt ſecundum Eſſentiam abſolutè ſumptam: & hoc modo Accidentia corporum ſuperiorum non diſtinguntur ſpecie ab Accidentibus Inferiorum, quia omnia habent eandem eſſentiam. Hoc intendunt Scotiſtæ: nec eorum argumenta aliud probant, idque vult Ægidius, cum inquit, eſſe eiuſdem Generis Logici. Secundo poſſunt conſiderari Accidentia corporum Cęleſtium, & Sublunariū ſecū dū eſſe ſuper additū eſſentiæ ideſt ſecundum eſſe, quod habent in ſubiecto, & hoc modo non ſolum ſpecie, ſed etiam genere diſtinguntur, quia Accidentia corporum ſuperiorum habent à ſuo ſubiecto eſſe incorruptibile: accidētia vero in his inferioribus habēt eſſe corruptibile: & hoc volunt Thomiſtæ, vt eorum argumenta demonſtrant.

RESPONDETVR Argumentis

Vtriuſque Sententiæ.

6 AD Primum Scoti dicimus, quòd in Accidentibus Corporum Cæleſtium, & horum inferiorum conſideratis ſecundum purā eſſentiam non eſt diſtintio ſpecifica: quæ vtique apparet in eiſdem conſideratis ſecundum eſſe ſuperadditum eſſentiæ.

7 Ad D. Thomam dicimus, quod Accidentia in ſuper Cęleſtibus, & his inferioribus diſtinguntur etiam Genere, ſi conſiderentur ſecundū eorum eſſe ſuperadditum eſſentiæ; non vero ſi conſiderentur ſecundum eſſe quidditatiuum.

DVBITATIO TERTIA

An verè Aſtra Scintillent, & quæ ſit cauſa ſcintillationis?

1 CIrca Scintillationem quamuis nobis appareat, ſtellas fixas Scintillare, ac veluti tremulas apparere, & ab aliquibus Aſtrologis etiam compertum ſit Planetas præter Lunam rutilare: vnde dicunt, Mercurium Scintillare, & Solem ad inſtar feruentis metalli ebullire, totúque commoueri.

2 Tamen Ariſt. in 2. de Cęlo text. 48. & cum eo omnes Peripatetici aſſerunt, Stellas fixas re ipſa non Scintillare, ſed nobis ita videri ob imbecillitatem potentiæ viſiuæ, & diſtantiam Specierum Stellarum

rum fixarum: ſpecies enim viſibiles alicuius obiecti quo longius protrahuntur, eo magis elangueſcunt, vnde nequeunt iuuare potentiam, vt hæc perfectam eliciat viſionem: ideoque requiritur maior conatus potentiæ, & ad hunc conatũ exigitur maior copia ſpirituum vitalium, qui ſpiritus quia valde ſunt mobiles, efficiunt, vt ſpecies receptæ in potentia moueantur; propter quod obiectum vt mobile repræſentant; ſicut cum aliquis exiſtit in Naui, ſibi videtur Terram moueri, propterea quod ſpecies mobiliter recipiuntur in potentia: Planetæ autem quia ſunt propè nos, & non adeſt debilitas ipſarum ſpecierũ; propterea non videntur Scintillare.

3 Quæ ratio Philoſophi ab omnibus approbatur, ſed præſertim à D. Thom. in 2. de Cælo lect. 12. & à Conimbricenſibus 2. de Cęlo cap. 8. q. p. & ab Amico tract. 5. q. 7. dub. 3.

DVBITATIO QVARTA

Quid ſit Eclypſis Aſtrorum, & in quibus Aſtris poteſt contingere?

1 Eclypſis vel eſt interpoſitio Terrę inter ſolem, & Lunam, vel Interpoſitio Lunæ inter nos, & Solem: Propter quod non omnia Sydera poſſunt eclipſari, maximè propter interpoſitionem Terræ, nam vmbra Terræ nõ aſcendit ſupra Spheram Solis: Et licet Venus, & Mercurius ſint infra Solem, nunquam tamen tam lõgè recedunt à Sole, vt inter ipſos Terra poſſit intercipi: poſſentque ſolum Eclipſari, ſi inter nos, & illa Sydera interponeretur Luna, vel Alius Planeta Inferior. Sed quoniã per hanc eclipſim nunquam fieret ſenſibilis obſcuratio, idcirco comuniter tantum in Luna, & Sole poteſt contingere eclipſis.

2 Eclipſis Lunæ nihil aliud eſt niſi Priuatio Luminis ſolaris in Luna propter interpoſitionem Terræ inter ſolem, & Lunam. quod ſic explicatur. Sol quia ſemper mouetur ſub Eclyptica, proijcit vmbram Terræ ad partem eclypticæ diametraliter ſoli oppoſitam; propter quod vt eclypſetur Luna, oportet, vt ipſa in vmbram Terræ in grediatur, per quam impediatur, ne illuminetur à Sole, atque adeo requiritur, vt exiſtat ſub Ecliptica, in quam vmbra Terræ eſt proiecta, & conſequenter quod ſit Soli oppoſita Diametraliter, & quia ſolum in plenilunio eſt maximè ſoli oppoſita

Explicatur quid ſit Eclipſis Lunæ.

poſita, & non eſt perfectè op-poſita diametraliter, niſi ſit ſub eclyptica, nec eſt ſub ecliptica, niſi quando eſt in capite vel cauda Draconis; idcirco tunc contingit Eclipſis Lunæ, quando Sol, & Luna exiſtunt in capite vel cauda Draconis, ſed vt plurimũ in parte Proprij Eccentrici declinante ab ecliptica; idcirco non fit Eclipſis in quolibet Plenilunio, ſed ſolum cũ accedit ad eclipticam; & diuerſimodè fit: nam Luna exiſtens in Plenilunio, diſtans à capite, vel cauda Draconis per 12. gradus, non Eclipſatur: diſtans vero infra ſex gradus, tota eclipſatur, diſtans tandem infra 12; & ſex gradus, eclipſatur in parte, quia ſecundum partem ingreditur vmbram Terræ: & quo plus Luna in vmbra moratur, eo magis durat eclipſis: vnde Longior eſt eclipſis in Eſtate, quam in Hyeme, cæteris paribus, quia vmbra Terræ in Eſtate eſt maior, quoniam Sol magis diſtat, cum ſit in Auge.

3 Eclipſis vero Solis eſt Priuatio Luminis Solis in Terra propter interpoſitionem Lunæ inter nos, & Solem. Ex quo inferes, duo neceſſaria eſſe ad hanc eclipſim, & quod Luna ſit cum Sole coniuncta, vt in Nouilunio; & quod ſimul ſint in capite, vel cauda Draconis, aut propè, aliter vmbra Lunę non proijceretur Diametraliter ad Terram, ſed lateraliter, poteſtque magis vel minus durare, & maior, vel minor pars Solis nobis obſcurari ſecundum maiorem, vel minorem propinquitatem Lunæ ad illa puncta eclipticæ, & ad Solẽ, & qa non in quolibet Nouilunio Luna eſt in capite, vel cauda Draconis, hinc non ſemper in Nouilunio fit eclipſis ſolaris.

Eclipſis Solis explicatur.

4 Differunt autem iſtæ duę eclipſes, quod eclipſis Lunæ fit per verãm priuationem luminis in Luna, & omnibus in eodem inſtanti accidit, eſtque vniuerſalis in tota Terra, & æquali tempore durat apud omnes; quia hæc eclipſis eſt quædã luminis corruptio, quod non corrumpitur comparatiuè huic, vel illi parti Orbis, ſed abſolutè deſtruitur, ergo quandiu Luna manet priuata apud omnes, & in toto tempore dicetur priuata. Aſt eclipſis Solis non eſt vera priuatio Luminis in Sole, ſed ſolum radiorum in hac Terra exiſtentium: vnde contingere poteſt prius vni parti, quam alteri, quia Luna poteſt prius interponi inter vnius regionis Habitatores, & Solem, quam inter habitatores alterius Regionis,

Diſcrimẽ inter eclipſim Lunæ, & Solis.

&

& Solem; poteſt quoque diu-tius durare aliquibus, quam alijs, nec eſt vniuerſalis in vniuerſa Terra, quia hæc pendet ex noſtro aſpectu, ideoque ad variationem aſpectus variatur eclipſis ſolaris.

DE INFLVENTIA CÆLI in hæc Inferiora.

DVBITATIONES NOVEM

Dubitatio I. V. Corpora Cæleſtia influant in hæc inferiora?

Dubitatio II. V. Omnia corpora Cæleſtia etiam immobilia vt Empireum agant in hæc inferiora?

Dubitatio III. Quæ nam Accidentia producantur ab Aſtris in hæc Inferiora?

Dubitatio IV. V. Cæli producant corpora inanimata tam diſpoſitiuè, & per Alterationem, quam effectiuè, & per Generationem?

Dubitatio V. V. Corpora Cæleſtia poſſint attingere productionem Viuentium Vita Vegetatiua, & Senſitiua?

Dubitatio VI. V. Corpora Cæleſtia poſſint agere in Animam Rationalem, eiuſque Potentias ſcilicet in Intellectū, & Voluntatem?

Dubitatio VII. V. Cæli influāt in hæc inferiora mediante Motu, ita vt ceſſante Motu Cæli, ceſſarent etiam agere hæc inferiora?

Dubitatio VIII. V. Cælum producat in hæc inferiora calorem, mediante Lumine?

Dubitatio IX. V. in Cælis præter Motum, Lucem, & Calorem, ſint aliæ Qualitates actiuæ, per quas Cælum agat in hæc Inferiora?

DVBITATIO PRIMA

V. Corpora Cæleſtia influant in hæc Inferiora?

1 MVltiplex eſt ratio dubitandi difficilis. Prima eſt, quia ſi effectus ſublunares fierent ex motibus Corporum Cæleſtium, ſequeretur, quod omnes huiuſmodi effectus eſſent neceſſarij, & de neceſſitate fierent vniformiter, quia motus Cæleſtium corporum ſunt neceſſarij, & vniformes: ſed hoc eſt falſum; ergo &c. Secundo, ſi Cælum alteraret Aerem, & hæc Inferiora, ſequeretur, quod prius alteraret Cælos inferiores, qui ſunt intermedij inter Cælum alterans, & Terrā alteratam; ſed Cæli non ſuſcipiūt peregrinas impræſſiones, ergo &c. Tertio D. Damaſcenus lib. 2. cap. 7. Loquens de Luminaribus Cæleſtibus ait; *Nos autem dicimus, quod non ipſa cauſa ſunt alicuius eorum, quæ fiunt, nec corruptionis eorum, quæ corrūpuntur*

puntur. Quarto Luminaria Cæli Genes. 1. fuerunt facta à Deo in ſigna, & Tempora: ergo eadem Luminaria non ſunt cauſa horum Inferiorũ.

2 Cæterum negare, Corpora Cęleſtia effectum habere in hæc inferiora, eſt proculdubio ſenſum negare. Ita comunis omnium Philoſoforum conſenſus pręſertim D. Thom. p.p.q. 115. art. 3. Scotus in 2. diſt. 14. q. 3. Argent. noſter ibid. q. 1. art. 2. Et Ægid. in 2. diſt. 14. q. 3. art. 2. probatur autem primo, quia quotidie multas reales Alterationes percipimus, quas in nullum aliud Agẽs poſſumus reducere niſi in ipſum Cęlum; Secũdo, quia ſicut omnis motus reducitur in mouens immobile; ſic omnis Alteratio corporalis reducitur in Alterãs inalterabile: ſed Cælum ex Philoſopho eſt primũ Alterãs inalterabile; ergo &c. 3. Cęlũ habet cauſalitatẽ ſupra Hominem, qui eſt nobiliſſima ſpecies in Vniuerſo; iuxta illud, *Sol, & Homo generant Hominem*. ergo Cælum habet etiã cauſalitatem in hęc inferiora.

3 Ad rationes dubitandi, Reſpondetur; ad primam neganda eſt ſequela, quia in iſtis inferioribus poteſt effectus multipliciter impediri, vnde non dicuntur fieri neceſſario: cum igitur Aſtrologus videt ex aſpectibus Syderum aliquos effectus eſſe faciẽdos, vt Pluuias, vel aliquid tale, non ſtatim debet dicere, tales effectus eſſe neceſſario faciendos; ſed debet conſiderare; V. Materia ſit hic inferius diſpoſita, vel indiſpoſita ad illos effectus, quia ex Indiſpoſitione *Materiæ* poterunt prædicti effectus impediri. Ad ſecundum Reſpondetur. quod licet Luminaria Cæli non poſſint aliquid imprimere in hæc inferiora, niſi aliquid imprimant in Orbibus intermedijs: non tamẽ oportet, quod eodem modo immutentur Orbes intermedij, ſicut immutantur iſta inferiora: Sed immutabuntur Orbes intermedij ſicut poſſunt immutari, & prout eorum Natura eſt apta nata immutationes recipere: ſic etiã Iſta Inferiora immutabuntur ſuo modo, quia ergo natura Cæli eſt ab omni contrarietate ſemota, poſſunt Orbes cæleſtes eam immutationem ſuſcipere, quę contrarietatem ſecum non importat: ſed natura horum Inferiorum cum ſit coniuncta Formis contrarijs, poterunt hæc inferiora immutationem ſuſcipere cum contrarietate admixtam: & quia Formæ, per quas fit immutatio ſine contrarietate, ſunt potiſſimæ Formę

Intentionales, quæ non ſolum in ſuper Cæleſtibus, ſed etiam in his Inferioribus carent contrarietate; dici poteſt, quod immutationes factæ in Orbibus Cæleſtibus in Luminaribus, ſunt intentionales, & hinc eſt, quod videmus ad ſenſum Lunam eclipſari; & priuari ſuo lumine, & iterum ſuum lumen recipere; Luminaria ergo Cæleſtia immutabunt Orbes Cæleſtes, & etiã hæc Inferiora: ſed illa immutabunt intentionaliter, quia non ſunt apta nata aliter immutari: hæc vero inferiora immutabunt tum intentionaliter, tum etiam realiter, quia vtroque modo poſſunt immutari; nec mirum eſſe debet, quod Aſtra immutent Orbes intentionaliter tantum, hæc vero inferiora intentionaliter, & realiter: nam ab eodem Agente poteſt prouenire immutatio per medium ad extremum, non eodem modo immutato medio; & extremo; vt de illo Piſce, qui eſt ſimilis Raijæ, quæ quando capitur in Rete, obſtupefacit manus Piſcatoris, & facit eas tremulantes; in rete autem intermedio non cauſat hunc effectum, ſed alium. Ad tertium ex Damaſceno dicẽdum eſt, quod luminaria Cæli non ſunt cauſæ neceſſariæ, ita vt eorum effectus non poſſint impediri; ſed quatenus deficiũt à productione ſuorũ effectuum, poſſunt dici cauſæ deficientes, vel potius ſigna.

Aſtra immutant Orbes intentionaliter tãtum.

Hæc vero inferiora intentionaliter, & realiter.

Ad vltimam Reſpondetur, quod luminaria ita ſunt ſigna iſtorum Inferiorum, vt etiam ſint cauſæ: ſunt ſigna, quatenus per ea pronoſticamur de Futuris effectibus; vt quia ſero Cælum rutilat; pronoſticamur ſerenitatem: & quia Cęlum etiã realiter cauſat illam ſerenitatem, ideo Cæli ita ſunt ſigna, vt ſint etiam cauſæ.

DVBITATIO SECVNDA.

V. Omnia Corpora Cæleſtia etiã Immobilia vt Empireum agant in hæc Inferiora?

1 DE Aſtris tam Fixis, quam Errantibus, quod influant in hæc inferiora, dubium eſſe non debet, id enim experitur ad ſenſum. Tota difficultas eſt de Cælis, & pręcipua controuerſia eſt de Empireo.

2 Nam Scotus in 2. diſt. 14. q. 3. apud Maſtium, & Bellutum in diſp. 2. de Cælo. qu. 7. art. p. defendit, Cælum Empireũ præter productionẽ propriæ lucis, & Illuminationẽm conuexæ ſuperficiei Primi Mobilis nullam aliam actionem habere in hæc Inferiora,

Scotus negat Empireũ influere in hæc inferiora.

riora, quæ ſententia Rationibus non parum efficacibus, ſic probatur, primo, quia Cælum Empireum non mouetur, ergo non poteſt illi competere aliqua realis influentia in cætera corpora, quia Corpus non agit niſi per motum. Secundo Influentia Cæli Empirei non poſſet recipi in iſtis inferioribus, niſi prius reciperetur in Corporibus Cæleſtibus, quę mediant inter Empireum, & hęc inferiora: ſed Cæleſtia corpora non poſſunt recipere iſtam influentiam, quia Cælum non patitur Peregrinas impræſſiones, ergo &c.

3. D. THOMAS in p. p. qu. 66. art. 3. Argent. in 2. ſent. diſt. 14. Suar. lib. p. de Opere ſex dierum cap. 5. Conimb. 2. de Cælo cap. 3. q. 1. & Amicus Tract. 6. q. 3. affirmant, non ſolum omnes Cælos mobiles, ſed etiam Empireum, quod eſt Immobile, influere in hæc Inferiora. De Empireo ſic probant; primo, quia hoc eſt omnium Cælorum perfectiſſimum, ergo perfectionem debet habere actionem in hæc inferiora, aliàs eſſet ſubſtantia otioſa. Secundo quia Empireum eſt pars Vniuerſi; partes autem interſe vniuntur, eo quia ſuperior agit in Inferiorem, & inferior regitur, & conſeruatur a ſuperiori. Tertio quia multi effectus fiunt ſemper, & vniformiter in diuerſis partibus Terrę etiam eiuſdem Paralleli; qui non niſi ad aliquam cauſam immobilem debent referri, qualis eſt Empireum; antecedens Probatur: nã Homines vnius regionis ſemper habent eaſdem inclinationes. Quarto; quia Empireum vel agit in ſeipſum, vel in alia; nulla enim res penitus deſtituitur à propria Operatione: ſed Empireum non agit in ſeipſum, quia non eſt ſupra ſeipſum, ergo agit in alia.

D. Thom. tribuit Empireo influentiam in hæc inferiora.

4. ÆGIDIVS in 2. diſt. 2. q. 2. art. 4. docet, quod licet Agentia inferiora agant mediante motu Cæli tanquam mediante Regula, & directiuo, & per conſequens dependeant ab illo; tamen Cælum Empireum non influit mediante motu Cæli tanquam mediante Regula, vel Directiuo, ſed tanquam mediante Organo, quod quidem Organum non eſt in tali influentia requiſitum ratione Cæli Empirei influentis: ſed ratione Patientis recipientis huiuſmodi influentiam: Cælum enim Empireum poſſet influere ſine motu Cæli, tamen Patiens non poteſt huiuſmodi influentiam recipere ſine Motu Cæli; Neque ex hoc ſequitur, quod Cælum Empireum de-

Sententia Aegidij.

dependeat à Motu Cæli, quã uis benè probetur, quod iſta inferiora dependeant a motu, & virtute Cæleſti.

IVDITIVM AVTHORIS ex Ægidio

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

5 CÆlum Empireum non influit in hæc inferiora mediante Motu, qui fit in Cælo Empireo, quia Empireum eſt immobile, nec mimus influit in hæc inferiora mediante Motu Cæli tanquã mediãte regula, & directiuo, quod ſit neceſſarium ex parte Empirei; quia hoc vt influat, a nullo corpore dependet tãquam à regula: in hoc ſumus cum Scotiſtis. Cum quo etiã ſtat, quod Cælum Empireum influit in hæc inferiora mediante Motu, qui fit in alio Cælo ſub Empireo: ſeu influit in hæc inferiora mediãte Motu tanquam mediante inſtrumento, quod quidem inſtrumentũ non requiritur ex parte Cæli Empirei influentis, ſed ratione Pacientis, & recipientis huiuſmodi influentiam; & ſic intelligimus, & accipimus Diuum Thomam.

RESPONDETVR in Forma Argumentis

Vtriuſque Sententiæ.

6 AD Primum Scoti Reſpondetur; diſtinguẽdo vltimum antecedens. Corpus non agit niſi per motum, qui requiratur vel ex parte Corporis influentis, vel ex parte Paſſi recipientis influxum, concedendum eſt; modo Empireum influit in hæc inferiora abſque Motu, qui requiratur ex parte Empirei influentis. Ad ſecundum neganda eſt minor, ad cuius probationem diſtinguendum eſt de Influentia: nam ſi ſermo ſit de Influentia deſtructiua ſeu corruptiua ſubiecti, ſic verum eſt, Cælum non poſſe recipere huiuſmodi influentiam: ſed de Influentia perfectiua, ſic falſum eſt: nã in Orbe Lunæ recipiuntur influentiæ corporum Cæleſtiũ Superiorum.

7 Ad primum D. Thomæ conceſſo Antecedente, diſtinguendum eſt conſequens, ergo Empireum perfectiorem habet actionẽ in hęc inferiora, itaut agat mediante motu, qui requiratur ex parte ipſius Empirei, negatur; ita vt agat mediante motu, qui requiratur ex parte paſſi. Conceditur: prior autem modus

 agen-

agendi; ideſt agere ſine medio, quod requiratur ex parte Agentis, perfectior eſt, quã agere mediante aliquo, quod requiratur ex parte Agentis. Et eodem modo reſpondetur ad ſecundum. Ad tertium cõcedẽdum eſt totum modo explicato. Ad vltimũ dicimus, quod Empireum agit in hæc Inferiora, non mediante motu, qui requiratur ex parte ipſius, ſed agit in alia, mediante motu, qui neceſſarius ſit ex parte Paſſi recipientis influxum.

DVBITATIO TERTIA

Quæ nam Accidentia producantur ab Aſtris in hæc Inferiora?

1 PVtarunt Auerroiſtæ, quod Aſtra præter lumen, Calorem, & Motum localem non cauſent in hæc Inferiora Frigus, & Humiditatem per ſe, ſed ſolum per accidens ſcilicet ex abſentia eorumdẽ Aſtrorum; quia ex abſentia Solis cauſatur in nocte Frigus, & Humiditas.

2 Sed veritas ab omnibus recepta eſt, Aſtra præter Lumen, & Calorem; etiam Siccitatem, Frigiditatem, atq; Humiditatem per ſe cauſare in hæc inferiora. Ita Scotus in 2. diſt. 14. q. 3. Ægid. ibid. Et de lumine, Calore, Siccitate, atque motu locali res eſt manifeſta: Quod vero etiam Frigus, & Humiditas per ſe cauſetur ab Aſtris. Probatur primo ex Iob 37. vbi dicitur; Ab interioribus orietur Tempeſtas, & ab Arcturo Frigus. 2. id idem probatur experientia, quia obſeruarunt Aſtrologi, quod dominante Saturno ſiue per annum, ſiue per menſem, magnum Frigus generatur in his ſublunaribus; ſimiliter regnante Luna, Maxima Humiditas.

3 Ad Auerroiſtas Reſpondetur, quod etiam ex præſentia quorundam Aſtrorum generatur Frigus, vt oſtenſum eſt.

DVBITATIO QVARTA

V. Cæli producant Corpora Inanimata tam diſpoſitiuè, & per Alterationem, quam effectiuè, & per Generationẽ?

1 COrpora inanimata vel ſunt ſimplicia, vt Elementa, vel ſunt Mixta, quæ ſunt in duplici differentia, vel imperfecta, vt Pluuiæ, Nubes, Nix, &c. vel perfecta, vt Metalla, lapides, Gemmæ; &c. reſpectu omnium iſtorum Aſtra poſſunt habere duplicem Actionem, vnam alteratiuam, ſeu diſpoſitiuam, aliam effe-

effectiuam ſeu generatiuam; Primam omnes admittunt; nam conſtat Aſtra in hæc Inferiora producere primas Qualitates, ſolum de ſecunda eſt aliqua dubitatio.

2 Cui etiam dicendum eſt, Aſtra producere Corpora inanimata tam ſimplicia, quam Mixta, & tam Mixta perfecta, quam imperfecta, quia ſi ę xtiuo tempore exponatur Soli ſpeculum concauum, & vbi ſit reflexio radiorum, ſit eſca, ſtatim Ignis generatur; ergo Aſtra attingũt productionem Elementorum.

3 Ruiſus Mixta imperfecta totaliter a Cæleſtibus Corporibus cauſantur, nam Materia illorum ſunt Vapores, qui virtute Stellarum ad locũ Generationis eleuantur: Mixta quoque perfecta cum nec producantur vniuocè ab alijs ſimilibus Corporibus, nec ab alijs *M*ixtis, in quibus virtualiter continentur, nec tandem ab Elementis (intellige effectiuè) quia Elementa ſunt imperfectiora Mixtis perfectis, reſtat, quod à Cæleſtibus Corporibus producantur

4 Sed Petes, Cæleſtia Corpora ſunt cauſæ principales horum Corporũ inanimatorũ, vel cauſæ Inſtrumentales? Reſpondetur cum diſtinctione; ſunt cauſæ Inſtrumentales reſpectu Intelligentiarum mouentiũ Orbes: ſed ſunt cauſæ Principales reſpectu Corporum inferiorum. Ita Ægid. in 2. diſt. 14. q. 3. art. 1. dub. 2. lateral. vbi in fine ſic ait. *Cum ergo quæritur, quomodo Corpora ſuper Cæleſtia agant in iſta inferiora, patet, quod omnia iſta inferiora ſunt quędam organa ſuper Cæleſtium Corporum, ita quod ſuper Cæleſtia Corpora tanquã principaliora Agentia, quam iſta Inferiora habent quãdam principalitatẽ reſpectu productionis omnium ſpecierum, quæ producuntur: vnde ſicut calores omnium ſpecierum animalium habent menſuram ex caloribus Stellarum: ſic omnes virtutes hic inferius habẽt menſuram ex virtutibus ſuper Cæleſtibus, vt nulla ſpecies hic inferius fiat niſi ſecundum menſuram, & proportionem virtutum Corporum Cæleſtium. ſicut autem omnia iſta inferiora ſunt organa ſuper Cæleſtium Corporum; ſic omnia ſuper Cæleſtia Corpora ſunt organa Intelligentiarum mouentium ea; nam Intelligentiæ ſunt eorum motores appropriati; illorumque Animæ.* Ægidi⁹

DV-

DVBITATIO QVINTA.

V. Corpora Cæleſtia poſſint attingere productionem Viuentium vita Vegetatiua, & ſenſitiua?

Explicatur multiplex Genus Animatorum.

1 ANimata (extra Hominem, de quo ſermo erit in dubitatione ſequẽti) vel ſunt perfecta, vel imperfecta: priora ſunt illa, quæ non niſi virtute ſeminis petũt generari: poſteriora vero ſũt, quæ ex putridi *Materia* producuntur, licet ex his etiam aliqua producantur per virtutem ſeminis: vnde ſicut ex Plantis quædam ex putridi Materia, & quædam ex ſemine generantur; quædam vero ſolum ex ſemine: ſic ex *A*nimalibus, quædam vt Apes ſolum generantur ex *Mate*ria putrida: Mures vero tum ex Materia putrida, tum etiã ex ſemine: ſed Leones, Æqui, &c. ſolum ex ſemine producuntur: hæc autem perfectio, vel imperfectio non eſt attendenda penes gradus eſſentiales: nam quodlibet Brutum etiam genitum ex Materia putrida perfectius eſt qualibet Planta etiam vi ſeminis comproducta: ſed attendenda eſt perfectio vel imperfectio penes modos generationis: nam Plancta ex vi ſeminis producta poteſt dici ſecundum modum perfectior Bruto ex putridi *M*ateria genito: Nunc quærimus, an Corpora Cæleſtia poſſint attingere aliquo modo ſaltem vt cauſæ inſtrumentales productionem Animatorum tam vegetabilium, quam ſenſibilium, & tã perfectorum, quam imperfectorum? Aperitur ſtat' quæſtionis.

2 SCOTVS In 2. diſt. 8. q. Vnica, & diſtinct. 14. q. 3. apud *M*aſtrium, & Bellutum in diſputatione 2. de Cælo q. 7. art. 2. nu. 200. Negat abſolutè, Corpora Cæleſtia poſſe attingere productionẽ cuiuſcunq; Animæ ſiue vegetatiuæ, ſiue ſenſitiuæ tam Viuentium perfectorũ, quam imperfectorum, ſiue principaliter, ſiue inſtrumẽtaliter. Et quod Aſtra principaliter non producant vllam Animam, probat ex eo, quia Cæleſtia ſunt imperfectiora viuentibus: nullum autem imperfectum poteſt producere effectum ſe ipſo perfectiorem. Quod vero nec Aſtra inſtrumentaliter attingant productionẽ alicuius Animę, oſtẽdit ex eo, quod cauſa Inſtrumentalis non poteſt attingere effectum principalis Agentis nec in virtute propria, nec minus in virtute ab *A*gente de nouo recepta; idque ſupponit ex alibi dictis: & quia Cælum quomodocunque eleuatum

Scotus negat, Cęlũ attingere Productionem Animatorum.

uatum ſemper eſt imperfectius quolibet Viuente, quia numquam Cælum per eleuationem conſtituitur in genere viuentium, hinc fit, quod Cælum etiam vt eleuatū nullo modo poteſt attingere productionem alicuius *Animæ*.

D. Tho. concedit Cęlū poſſe inſtrumentaliter producere Viuētia.

3 D. THOMAS eiuſque diſcipuli iuxta ſua Principia procedentes, affirmāt, *Cælum* poſſe cauſare ſaltem inſtrumentaliter Viuentia vegetatiua, & Senſitiua tam perfecta, quam imperfecta. Probant, quia illud Agens, quod poteſt inducere in *Materia* diſpoſitiones ſufficientes pro aliqua Forma ſubſtātiali, poteſt etiam attingere talē Formam Saltem inſtrumētaliter; cum Forma ſubſtantialis naturali ſequela conſequatur ſufficientes diſpoſitiones: ſed Cælum poteſt inducere in *Materia* diſpoſitiones ſufficiētes ad omnem Animam ſenſitiuam, & vegetatiuam. ergo &c.

4 ÆGIDIVS quid ſentiat in hac controuerſia, videndus eſt in quolib. 3. q. p. & in p. noſtro Tract. diſp. 2. q. 2. de Cauſis: art. 3. de cauſa efficiente dubit. 5. nu. 3.

IVDICIVM AVTHORIS
Ex Ægidio pro defenſione

Vtriuſque Opinionis.

5 IN hac controuerſia eodē medio, eademq; diſtinctione eſt procedendū cū Ægidio, qua proceſſimus in mox iam citato primo Tract. diſp. 2. q. 2. de Cauſa *E*fficiēte dubit. Quinta: Vnde dicimus, quod Cælum non attingit hæc Viuentia efficienter principaliter, nec inſtrumentaliter ſecundum eſſe, & perſe; propter rationem Scoti, quem ſequimur in hoc ſenſu: Beneuerum eſt, quod Cælum attingit productionēViuentiū tantum inſtrumentaliter diſpoſitiuè; modo ibidem explicato, & in hoc ſenſu ſumus cum Thomiſtis: Argumenta Vtriuſque ſententiæ cum prædicta diſtinctione ſoluentur.

DVBITATIO SESTA.

V. Corpora Cæleſtia poſſint agere in Animam Rationalem, eiuſque potentias ſcilicet Intellectum, & Voluntatē?

1 HEretici Priſcillianiſtæ dixerunt, omnia fatali quadam neceſſitate Hominibus contingere ex ſyderum actiuitate, & influentia

Cæli

Cæli directè, & perſe in Animam Rationalem terminata.

2 Sed catholica veritas duplici concluſione eſt explicãda; Prima concluſio. Cælum non poteſt agere per ſe, & directè in Animam Rationalem, eiuſque potentias ſcilicet in Intellectum, & Voluntatem. eſt comunis apud catholicos, eamque præter concilia, & Patres, ac decreta Pontificia præſertim Sixti V. & Vrbani 8. docet D. Thom. p.p q. 115. Scotiſtæ apud Maſtrium, & Bell. diſp. 2. de Cælo. q. 7. art. 2. num. 108. Ægid. in 2. diſt. 14. q. 3. art. 3. Argent. etiam in 2. diſt. 14. q. p. art. 3. & probatur, (ſupponẽdo prius; quod Agens agere directè in aliud nil aliud eſt, niſi agens reſpicere illud, in quod Agit directè tanquam proprium Paſſum: inducendo in illo aliquam Formam, vt cum Ignis calefacit Aquã: agere vero in directè, & per accidens, eſt quãdo Agens nõ producit immediatè ſuum effectum in aliud, vt in propriũ paſſum, ſed in aliquod aliud, quod eſt illi coniunctum: vt ſi cum Petro eſſet vnitus Canis, & aliquis proijceret ſagittam in Canem, tunc indirectè etiam ageret in Petrum: Nunc probatur concluſio. Res purè corporalis non poteſt directè agere in rem ſimpliciter ſpiritualem: ſed Cælum eſt res ſimpliciter Corporalis; Anima autẽ Rationalis eiuſque potentiæ ſunt Spirituales, ergo &c. de minori non eſt dubium, probatur maior; quia Agens directè in aliud, ſemper debet continere ſaltem virtualiter illum effectum, cuius paſſum eſt capax: ſed Anima Rationalis eiuſque potentię non ſunt capaces niſi Formæ Spiritualis, & nullum ſpirituale cauſari poteſt perſe à materiali, ergo Agens purè corporale non poteſt per ſe, & directè agere in id, quod eſt ſimpliciter ſpirituale. Deinde ſi Cælum directè ageret in Animam Rationalem eiuſque potentias, ſequeretur, quod Hominis Voluntas naturaliter ageret, & non liberè, ſed hoc eſt cõtra Fidem. ergo &c. Probatur ſequela, nullum purè paſſiuum eſt liberum: ſed ſi Cælum directè ageret in Animã Rationalem, eiuſque potentias, tunc Voluntas Hominis reſpectu talis actionis eſſet purè paſſiua, ergo ſi Cælũ ageret perſe in Animam, tolleretur libertas arbitrij. Probatur maior, quia non eſt in libertate purè paſſiui pati, vel non pati: ſed neceſſe eſt, ipſum pati, cum virtus Agentis directè ipſum attingat: ſed falſum eſt, per actionem Cæli tolli

Veritas Catholica quam tuetur D. Tho. Scot. Aegid. Argent.

Cælũ nõ poteſt agere in Animam directè.

tolli libertatem Arbitrij; ergo; &c. omnis actio Corporis Cæleſtis quamuis ſit neceſſaria ex parte Agentis, liberè tamen recipitur in libero Arbitrio: & ex conſequenti Actiò Cæli non poteſt impedire liberam actionem Voluntatis.

3 Sed contra hanc primam cõcluſionem obijcies primo. ſicut ſe habet Mobile ad *Mobile*, ſic Motor ad motorem: ſed Mobile Cæleſte habet immediatam, & directam actionem in Corpus Humanum, quod mouetur ab Anima rationali, ergo motor Cæleſtis directè aget in Animam Humanam; quæ eſt motor corporis Humani: & quia ſecundum Philoſophum nõ poteſt Intelligentia mouere ad aliquam Formam niſi mediatè motu *Cæli*, ergo Cæleſte Corpus directè, & immediante aget in Animam Rationalem. Reſpondetur; quod illa comparatio ſicuti ſe habet Mobile &c. ita motor admotorem; ſolum habet locum, quando motor eſt æductus de potentia mobilis; propter quod ſi Anima Rationalis eſſet æducta de potentia Materiæ per motum Cæli, oporteret Animam Rationalem eſſe directè ſubiectam *Cælo*, & motori Cæli: ſed cum Anima Rationalis quantum ad ſuam eſſentiam immediatè ſit creata à Deo, oportet, quod immediatè Anima, eiuſque potentiæ ſint ſuppoſitę ipſi Deo; qui, & ſi non poſſit cogere Voluntatem, quia tunc Voluntas non eſſet Voluntas, poteſt tamen eam pro libito immutare; quia cor Hominis eiuſque Voluntas in manu Domini &c.

Obijcitur contra primã concluſionem.

Soluitur obiectio

4 Objcies ſecundo. Spiritus poteſt directè agere in Corpus, vt patet de *Angelo* mouente Cælum, & de *Anima* informante corpus: ergo poteſt corpus Cæleſte directè agere in Animam Rationalem; non enim habet maiorem improportionem corpus ſpiritui, quam è contra. Reſpõdetur; non eſſe eandem rationem, quia Angelus quo ad motum, & Anima quo ad Informationem ſunt virtualiter diuiſibiles, quamuis formaliter indiuiſibiles: nullum autem Corpus eſt virtualiter indiuiſibile, aliàs produceret effectum ſe ipſo nobiliorem; quia nobilius eſt eſſe formaliter indiuiſibile; quam virtualiter ſolum, quæ ratio non militat de Angelo, & *Anima*.

Alia obiectio cõtra primam cõcluſonẽ.

Solutio.

5 Secunda concluſio. Cęlum per accidens, & indirectè poteſt agere in Animam Rationalem, eiuſque potentias. Probatur, quia cum appetitus

Cælum agit in Animã indirectè.

ſenſitiuus, & appetitus Intellectiuus radicaliter ſint in nobis coniuncti ſicut duæ rotę connexæ in eodem ſtipite, vt patet 2. de Anima: ideo Cælum directè, & perſe immutans appetitum ſenſitiuũ, aliquo modo indirectè etiam agit in appetitum Intellectiuum, & per conſequens in liberum Arbitrium ipſum alliciendo ſecundum immutationem virtutis ſenſitiuæ; neque hoc debet eſſe mirum, quia iſto modo etiam res alię vt cibus, & potus inflammãtes vires ſenſitiuas poſſunt agere in liberum Arbitrium.

DVBITATIO SEPTIMA

V. Cæli influant in hæc inferiora mediante motu, ita vt ceſſante Motu Cæli, ceſſarent etiã agere hæc Inferiora?

Opinio D. Thomæ.

11 D. THOMAS quæſt. 5. de Potentia; art. 8 & in 2. ſent. diſt. 2. qu. 3. art. 3. apertè docet, motum Cæli eſſe cõditionem neceſſariam, ſine qua non Operarẽtur Cęleſtia corpora: vnde ceſſante eorum motu, ceſſarent etiam Cęli aquibuſdam alijs Operationibus, præter illuminationem, & ſpecierum viſibilium diffuſionem: Imo in 2. de Cęlo tex 20 aſſerit, quod ceſſante motu Cæli, ceſſarent, & actiones omnium cauſarum Sublunarium; ſic enim loquitur ibi. *Sed melius eſt dicere, quod ceſſante motu Cæli, omnis motus Corporum inferiorum ceſſaret, quia virtutes inferiorum corporũ ſunt ſicut materiales, & inſtrumentales reſpectu cæleſtiũ virtutum, ita quod non mouent, niſi mota.* Suadetur autem hæc Thomiſtica ſententia primo, quia ceſſante actu ipſius Intelligentiæ, & Cælo non moto, ceſſat actio corporis Cæleſtis reſpectu Inferiorum: ſed ceſſante tali operatione corporis Cæleſtis, ceſſat etiã operatio elemẽtaris, quia Cælum agit in virtute Intelligẽtiæ, ipſum mouentis; Inferiora vero in virtute Cæli, ergo, &c. Secundo; Agere non motum eſt cõditio ſolius Primi Principij: ſed Cælo non competit conditio Primi Principij, ergo nec Cælo competit agere, niſi moueatur. Tertio primum in vno quoque genere eſt cauſa omnium cæterorum illius generis: ſed motus Cæli, eſt primus omnium motuum corporalium, vt patet 8. Phiſ. text. 55. igitur quia ceſſante cauſa, ceſſat effectus ſaltem quo ad fieri: ſequitur, quod ceſſante motu Cæli, non poterit fieri aliquis motus in rebus inferioribus. Quarto eſt aperta ſententia Ariſt. in 2. de Cælo.

lô tex. 41. & p. *Metheor.* cap. 4. aſſerentis, Solem tantum per motum localem tanquam per rationem agendi producere lumen, & calorem in iſtis Inferioribus.

Scotus aſſerit, motum non eſſe rationẽ agendi corporibus Cæleſtibus.

2 SCOTVS in 2. diſt. 14. q. 3. ad tertium, & in 4. diſt. p. q. 4. quem ſequuntur omnes Scotiſtæ præſertim Maſtrius, & Bellutus in diſp. 2. de *Cælo* q. 7. art. 4. docet, motum Cæleſtem nec Soli, nec Lunæ, nec alijs Corporibus eſſe rationem agendi, aut conditionem; ſine qua corpora *Cæleſtia* non agerent: ſed eſſe conditionem neceſſario requiſitã, vt *Aſtra* ordinatè per varias Mundi partes diuerſos producant effectus; probatur autem hæc Opinio primo, & præcipuè, quod motus Cæli non ſit ipſi *Cælo* ratio agendi. Quia quod eſt perſe ratio agendi, ſemper ponit in ipſo Agente aliquam Formam abſolutam, habentem eſſe permanens in ipſo *Agente*: ſed motus Cæli nihil tale ponit in ipſo *Agente* ſcilicet in Cælo; nã ſi poneret huiuſmodi Formam in Cælo; vel talis Forma eſſet ſubſtantialis, & tunc motus *Cæli* eſſet Generatio, vel accidentalis, & tunc ſi Forma eſſet Qualitas, eſſet *Alteratio*, vel ſi eſſet Quantitas, eſſet *Augmentatio*: ſed Cælum nec alteratur, nec augetur. ergo &c. Secundo illud, quod eſt formaliter ſucceſſiuum, non poteſt eſſe ratio producendi illud, quod eſt formaliter permanens: ſed motus Cæli eſt formaliter ſucceſſiuus, & ea, quæ producuntur per *Cælum*, ſunt formaliter permanentia, ergo &c. minor eſt nota. Probatur maior, quia cauſa non eſt minoris permanentiæ quam effectus, ergo eſt impoſſibile, quod illud, quod eſt per ſe ratio producendi aliud, ſit formaliter ſucceſſiuum, ſi productum eſt formaliter permanens.

Rationes Scoticæ.

Item q. nec motus Cæli eſt cauſa, vel conditio ſine qua non ad operãdũ in hæc inferiora.

3 Quod vero motus Cæli non ſit cauſa, nec conditio ſine qua non ad omnem Operationem, quam habet Cælum in hæc Inferiora, probatur, & ſit tertium argumentum in ordine, quia dato, quod Sol ſtet in medio Cęli, nec aliquod Corpus Cęleſte moueatur, adhuc Sol hęc inferiora illuminaret, & reflectendo radios ſuos ſuper Terram, verè, & realiter calefaceret. 4. Corpus corruptibile manens immotum poteſt habere actionem realẽ in aliud, ergo, & corpus incorruptibile; cuiuſmodi eſt Cælum; cõſequentia patet: probatur antecedens; experientia Magnetis, qui manens immotus, attrahit ad ſe ferrum. Quinto

Adeſt Articulus Pariſienſis ſub his verbis. *Dicere, quod Ignis non poſſit comburere ſtuppam, ſibi approximatam, ſtante motu Cæli, error.*

4 ÆGIDIVS in 2. diſt. 2. q. 2. art. 4. ita videtur inclinare Scoto, vt *Angelici* ſententiam non relinquat; docet enim ibi, verum eſſe, quod nulla eſt influentia corporis, quę non præſupponat aliquē motum; vt *Adamas* ſecundum hunc ordinationem, quem videmus, nullam influentiā haberet inferrum, niſi præſuppoſito aliquo motu, in cuius virtute influeret inferrum; & ideo niſi eſſet motus primi Cęli, in cuius virtute mouent, & agunt omnia Corpora, non eſſet aliqua Actio, & Paſſio in corporibus, niſi Deus hunc ordinem immutaret; eſt enim Cælum Primum in Vniuerſo, imo eſt quædam veluti Vita Vniuerſi, ſicuti eſt Cor in Animali: ſicut ergo ſi motus Cordis Animalis ad horam quieſceret, ſtatim finiret Vita Animalis: ſic ſi quieſceret Cælum, quod eſt Vita Vniuerſi, ſtatim ceſſarent omnes actiones, & motus Vniuerſi: nulla ergo eſt influentia ab aliquo corpore niſi mediante motu Cæli, qui eſt veluti vita omnibus Entibus naturalibus.

Opinio Aegidij.

5 Quamuis autem influentia corporis non ſit ſine vllo motu; motus tamen non eſt neceſſarius, nec requiritur ex parte corporis influentis: nam *Magnes* mouet Ferrum, & trahit illud ad ſe, per aliquā influentiam, quam habet inferrum: magnes tamen non mouetur: ſed requiritur motus in qualibet influentia ex parte Corporis, quod recipit influxum: nam ſecundum hunc ordinē; quem videmus, nullum corpus recipit Influētiam ab alio corpore, niſi ſit motum, vel niſi ſit ſubiectum corpori mobili: non tamen oportet, quod Corpus influens, & Agens ſemper moueatur, poteſt enim Corpus influere, & agere in aliud, abſque eo, quod per ſe moueatur.

IVDICIVM AVTHORIS ex Ægidio.

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

6 MOtus Cæli eſt neceſſarius ſimpliciter, ad hoc, vt omnia corpora ſublunaria moueantur, vnde ſi ceſſaret motus Cæli, nullum corpus hic inferius poſſet per ſe actu moueri, quod idem eſt, ac ſi dicamus, quod motus Cęli eſt neceſſarius ex parte corporis, quod mouetur; quia

quia omnis motus corporis debet ſubijci primo motui, ergo ceſſante motu Primi Corporis, nullum aliud Corpus poſſet per ſe moueri. hoc tantum voluit D. Thomas, vt manifeſtè indicat eius Authoritas primo loco adducta.

7 Cum hoc tamen etiam ſtat, quod motus Cæli non eſt ipſi Cælo ratio agendi, nec eſt conditio ſine qua non ſimpliciter neceſſaria ex parte Cęli influentis; quia poteſt dari corpus actu influens in aliud, abſq; eo, quod actu moueatur Localiter, & hoc intendit Scotus, cuius argumenta nec aliud probant.

Motus ergo Cæli eſt neceſſarius ſimpliciter ex parte Paſſi, nō vero eſt ſimpliciter neceſſarius ex parte Agentis.

RESPONDETVR in forma Argumentis

Vtriuſque ſententiæ.

8 AD primum D. Thomę Reſpondetur, quod Cælum in virtute Intelligentiæ mouentis non agit quantum ad omnem operationē: nam etiam ipſe met D. Tho. vult, quod Cælum poteſt illuminare hæc inferiora, adhuc ceſſante operatione Intelligentiæ: ſed ſolum Cælum dependet ab Intelligentia quo ad motum, ita vt ſine concurſu Intelligentiæ nullo modo Cælum poſſit moueri; ceſſante ergo Intelligentia a motu, ceſſaret etiam Cælū moueri: ſed non ceſſaret ſimpliciter, ita quod nullo modo poſſet influere in hæc inferiora: Ad 2. Reſpondetur; quod Agere non motum localiter non eſt conditio Primi Principij: nam multæ creaturæ agunt non motæ, vt apparet de Magnete &c. Sed ſolum de ratione Primi principij eſt, quod nullo modo præſupponat influentiā cauſæ Superioris: & hoc modo nulla creatura eſt, quæ agat, non mota, quia omnis creatura dum agit, aliquo modo alteratur per influentiam cauſæ Superioris. Ad tertium dicimus, quod primum in genere eſt cauſa cæterorum non quantū ad eſſe ſimpliciter, & abſolutè, ſed quantum ad eſſe menſuratum: vnde ſicut ceſſante albedine, quæ eſt præſens color menſurans omnem alium colorem, non oporteret, omnem alium colorem ceſſare ſimpliciter; ſed ſolum ceſſare quantum ad eſſe menſuratum, quod alijs coloribus competit per albedinem; ſic in propoſito. Ad quartum ex Authoritate Philoſophi Reſpondetur eodem modo.

Ad

9 Ad Primum Scoti dicimus, & concedimus, motum Cæli non eſſe rationem agēdi, nec conditionem requiſitam ex parte Cæli Influentis: negamus autem, non eſſe neceſſariū ex parte Paſſi, quod recipit influentiam, & per hoc patere poteſt ad ſecundum, tertium, & quartum.

DVBITATIO OTTAVA

V. Cælum producat in hæc Inferiora calorem, mediante Lumine?

1 EST probabilis Opinio aliquorum, affirmantium, Lumen eſſe cauſam caloris.

2 Sed nobis probabilior videtur oppoſita ſententia, quòd ſcilicet Aſtra per aliam virtutem calefaciant, & per aliam illuminent. Ita Scotus apud Maſtrium, & Bellutum diſput. 2. de Cælo q. 7 art. 4. num. 139. Et Ægid. in ſecundo d. 14 q. p probatur autem primo; quia ſi Stellæ per Lucem calefaciunt, ergo quæ æqualem habent Lucem; æqualem producent calorem; quod tamen eſt falſum: nam Stella Canis maximum inducit calorem, & tamen in Luce non excedit Stellas primæ magnitudinis: ſecundo, quia maius Lumen reperitur in Montibus, quam in Planitie Terræ; & tamen maior calor eſt hic, quam ibi. Tertio quia ſequeretur idem ſimul, & ſemel eſſe cauſam oppoſitorum; probatur ſequela; quia Saturnus ex ſe frigefaceret, & ratione Lucis calefaceret.

3 Sed Obijcies contra, primo Ex Ariſt. 4. de partibus Animalium cap. 5. dicente, Noctes plenilunij tepidiores eſſe propter intentiorem Lucem. Reſpondetur. Ariſtotelem debere intelligi tantum per concomitantiam, non enim illa maior tepiditas debet neceſſario refundi in Lucem, ſed potius in aliquam aliam virtutem Lunæ; prouenientem ex tali aſpectu ſolis, quem non habet alijs temporibus.

4 Obijcies ſecundo. Appoſito Lumine, generatur calor, & remoto Lumine, deſtruitur; vnde ſi ſpecula concaua exponatur Soli, & vbi fit reflexio radiorum, reperiatur eſca; vel aliud conbuſtibile, ſtatim hoc accendetur: vnde ratione huius reflexionis radiorum in infima regione aeris generatur calor: Lumen ergo eſt productiuum caloris. Reſpondetur negando aſſumtum; nam in Saturno eſt lux, non calor, & canicula eſt intenſa vis calefactiua, non tamen intenſa lux. Ad exemplum

plum ſpeculi dicimus, non reflexionem Luminis, ſed caloris cauſare incendium in puncto reflexionis: Ratio vero cur in hac infima Aeris regione cauſatur calor intenſior, eſt propter maiorem denſitatem, & impuritatem huius Aeris: aſt Aer mediæ regionis eſt purior, & rarior.

DVBITATIO NONA.

V. In Cælis præter Motum Lucem, & Calorem ſint aliæ Qualitates actiuæ, per quas Cælum agat in hæc Inferiora?

1 SEntentia nobis cum communi Recentiorum applauſu defendenda eſt: præter Motum, & Lumen admittendas eſſe in Cælis influentias quaſdam, quibus Cæli agunt in hæc inferiora non quidem per motum; & Lumen tanquam inſtrumentis; ſed per proprias, ac diſtinctas actiones. Ita Scot. in 2. diſt. 14. q. 3. ad primum. Et Ægidius in 2. diſt. 14. qu. 3. art. 2. dub. p. Later. vbi hæc ait: *Sic & in propoſito, alia, & alia Lumina Cæli habent alias, & alias virtutes, & alio modo alterant iſta inferiora, dato ergo, quod ſine Luce ſolari non poſſent per illas, & alias virtutes, quas habent, alterare aliter, & aliter iſta inferiora: illa tamen Lux ſolaris recipitur in eis Secundum motum recipientium, vt vna, & eadem Luce perfuſa propter alias, & alias virtutes, quas habent in iſtis Inferioribus, alterationes alias, & alias exercebunt.*

2 Admittendæ ſunt ergo in Cælis Qualitates quædam, & virtutes ſpeciales, quæ influentiæ occultæ ſolent appellari, quatenus in ſe ipſis, & à priori ſunt nobis ignotæ, quamuis innoteſcat nobis à poſteriori, & ab effectibus, ſuntque Qualitates dimentionatæ quidem, & per medium extenſæ, ſed ſpiritualiores Elementaribus Qualitatibus, quia non ita impediuntur per groſſitiem obſtaculi, vt Elementares; imo habent ſimilitudinem cũ Lumine; nam penetrant etiã profunda Terræ, & ad diſtinctionem ſpecificam ipſorum Aſtrorum ipſæ quoque ſpecie multiplicantur; poſſuntque ſic diffiniri, *Qualitates inſenſibiles in Cælis exiſtentes per quas effectus proueniunt, quorũ non poteſt reddi ratio ex cauſis perſe ſenſui notis.*

3 Sed Obijcies primo. Ariſt. nunquam de huiuſmodi influentijs mentionem fecit. ergo &c. Reſpondetur. Ariſt. vt plurimum loquutum fuiſſe de Qualitatibus Cæli ſenſibilibus, non de inſenſibilbius, quals ſunt huiuſmodi influen-

fluentię præter quam quod in p. Metheor. cap. 4. & 6. dum non omnibus Stellis, ſed quibuſdam ſpecialibus virtutem tribuit generandi Cometas, & viam lacteam, quamuis habeant vel eundem motum, & Lumen, vel ſimilem, & lib. de Elementor. Cauſis, dum maris æſtum refert ad Lunā, non obſcurè has influentias occultas inſinuauit.

4 Obijcies ſecundo. ſi eſſent in Cælis huiuſmodi influentiæ, ſequeretur, illas eſſe Qualitates perfectiores Luce, quia proprietas conſequens naturam ſpecificam, quales eſſent iſtæ influentiæ, eſt perfectior, quam illa proprietas, quæ cōſequitur naturam Genericam, cuiuſmodi eſt Lux: ſed hoc eſt falſum, quia Lux eſt pręſtantiſſimus effectus primi Corporis, ergo &c. Reſpondetur. cōcedendo ſequelam; ſed negatur falſitas, Lux enim eſt præſtantiſſimus effectus inter ſenſibiles Qualitates, & hæc de Corpore Cęleſti.

DISPVTATIO TERTIA DE ALIIS SIMPLICIBVS Corporibus ſcilicet de Elementis ſub ratione communi quatenus Grauia, & Leuia.

De quibus Ariſt. in tertio Libro.

POST tractationem Cæleſtis Corporis ſimplicis, agemus hic de Elementis, quatenus ſunt Corpora mobilia ad locum, & præcisè quatenus Grauia, & Leuia. Quoniam vero Elementa vt mouentur motu recto, vel ſurſum, ſeu à medio; vel deorſum, ſeu ad medium, conueniunt cum Corporibus *Mixtis* in eo, quod ſunt Grauia, & Leuia; ideo diſputationem hanc vnica principali Quæſtione ſequenti comprehendemus.

QVÆSTIO VNICA DE GRAVITATE, Et Leuitate ſecundum ſe.

DVBITATIONES QVATVOR.

Dubitatio Prima V. Grauitas, & Leuitas ſint Formæ ſubſtan-

ſtantiales, vel Accidentales;
Dubitatio Secunda. V. Grauitas, & Leuitas cauſentur à Formis ſubſtantialibus tantùm, vel tantum à primis Qualitatibus?
Dubitatio Tertia. V. Grauitas, & Leuitas ſint Qualitates realiter diſtinctæ à Raritate, & Denſitate?
Dubitatio Quarta. V. omnes Grauitates, & Leuitates tam in ſimplicibus, quam in Mixtis ſint eiuſdem ſpeciei?

DVBITATIO PRIMA

V. Grauitas, & Leuitas ſint Formæ ſubſtantiales, vel Accidentales?

1 SVpponendum eſt cum Philoſopho in primo Cæli text. 89. quod Grauitas, & Leuitas ſunt Formæ poſitiuæ; & Grauitas eſt principium motus, & quietis deorſum, quod ſi eſt ad locum infimum, erit Grauitas ſimpliciter, quæ ab eodem Philoſo. ſo 4. Cæli text. 30. ſic diffinitur in concreto. *Graue ſimpliciter eſt, quod ad medium mouetur, & omnibus alijs naturaliter ſubeſt.* Si vero mouetur ad locum deorſum non infimum, erit Grauitas ſecundum quid, & comparatiuè, per quam Corpus natum eſt, eſſe ſupra vnum, & infra aliud, & in ordine ad Graue ſimpliciter poteſt dici Leue. Leuitas vero eſt principium motus, & quietis ſurſum, & ſi eſt ad locum ſurſum medium, erit Leuitas ſecundum quid, & relatè, ſi autem ad locum ſupremum, erit Leuitas ſimpliciter, & diffinitur in concreto ſic. *Leue ſimpliciter eſt, quod à medio mouetur, & omnibus alijs ſupereminet.* Quæ differentia non competit Cælo, quia hoc non aptum eſt moueri a medio, nec propriè dicitur omnibus ſupereminere, quaſi quieſcat in loco ſupremo: nam aliud eſt, eſſe locum ſurſum, aliud eſt, eſſe in loco ſurſum; Cælum eſt quidem locus ſurſum, ſed non eſt in loco ſurſum: Ignis autem, qui eſt ſimpliciter Leuis, eſt in loco ſurſum. Aegidi.

2 Hoc ſuppoſito; quęrimus, an Grauitas, & Leuitas ſint Formæ ſubſtantiales, vel Accidentales? & quicquid affe-rant Auerroiſtæ; Nobis dicendum eſt; Grauitatem, & Leuitatem eſſe Formas Accidentales de Genere Qualitatis. Ita Ægidius in quolib. 4. q. p. ſub his verbis: *Dicimus enim, quod ratio, quare mouetur Graue deorſum, eſt natura ſiue ſubſtantialis Forma, & etiam Qualitas, vt puta Grauitas, aliter tamen, & aliter.* Ita etiam Scotus in 2. diſt. 2. q. 10.

Grauitas, & Leuitas ſūt Formę Accidentales.

Ita Aegidius, & Scotus.

10.& diſt.15.ad 2.& tertium principale relatùs à Maſtrio, & Bell diſp. 3. de Cælo q. p. & probatur primo, quia Grauitas, & Leuitas contrarian tur, & ſunt ſenſibiles, quod ſubſtantiæ non cõpetit. Secũ do, quia in Sacramẽto Altaris remanet Grauitas Panis, & Vini, cum tamen ibi nulla ſit ſubſtantia Panis, & Vini. tertiò Grauitas, & Leuitas intenduntur, & remittuntur, ſubſtantia autem intentionē, & remiſſionem non patitur.

Grauitas ergo, & Leuitas non ſunt Formæ ſubſtãtiales, & cum nec minus ſint Quantitates, quia hæc non eſt actiua, vt ſunt Grauitas, & Leuitas, quæ ſunt principia motũ, eſtque indifferens ad vtramque, imo ſine ipſis reperiri poteſt, vt patet in Cælo: remanet ergo, quod Grauitas, & Leuitas ſint Formæ Accidentales de genere Qualitatis.

3 Sed Obijcies primo. Grauitas, & Leuitas ſunt naturę, cum ſint principia motus, & quietis; & cum non ſint Materia, ſequitur; quod ſint Formæ. Reſpondetur, negandũ eſſe, Grauitatẽ, & Leuitatem eſſe naturas: ad cuius probationẽ dicendum eſt, quod non ſunt principium motus, & quietis eius, in quo ſunt, primo, & perſe, ſed extrinſecè, & accidentaliter; vt in ſequẽtibus. Eſtendetur.

4 Obijcies ſecundo. Si Terra poneretur in Aere abſque vllo accidente realiter à ſua Forma ſubſtantiali diſtincto; vel tunc Terra ſiſteret ibi, vel deſcenderet deorſum? Si ſecundum, ergo per Grauitatẽ, quæ eſt principium motus deorſum: & ſic apparet, quod Grauitas eſt de ſubſtãtia Terræ. Si primum, ergo Terra naturaliter ibi quieſceret, quod eſt cõtra naturam Terræ, quæ petit eſſe ſub Aqua. Reſpondetur; quod facta illa ſuppoſitione argumenti, Terra tunc ſiſteret ibi violenter, nec moueretur deorſum, quia careret principio proximo, ad hunc effectum ſibi à natura communicato: Forma enim ſubſtantialis nõ eſt immediatum principium motus, vt in ſequentibus oſtendemus.

5 Obijcies tertio: Ariſt in 4. de Cælo diſcuſſit de Grauitate, & Leuitate, & poſtea in libris de Generatione, & Corruptione egit de Primis quatuor Qualitatibus: ergo in libris de Cælo accepit Grauitatem, & Leuitatem tanquàm Formas ſubſtantiales Elementorum, aliàs, ſi eas conſiderauit vt Qualitates, cum non ſint Qualitates Primæ, ſed Secundæ; prius egiſſet de Qualitalibus ſecundis, quam de pri-

primis. Reſpondetur, quod Ariſt. ſicut prius debuit agere de Corpore Mobili ad Situ, quam de corpore mobili ad Formā, quia mobile ad Situm eſt comunius, & vniuerſalius Mobili ad Formam, ita eadē neceſſitate prius debuit agere de Grauitate, & Leuitate, quæ ſunt Qualitates ſecundæ deſeruientes motui ad locū, quā de Qualitatibus primis, quæ concurrunt in motu ad Formam, ita Ægidius in Prolog. lib. de Gener. & Corruptione.

6 Obijcies quarto, Grauitas, & Leuitas non ſunt Qualitates primæ: nam huiuſmodi ſunt tantum Calor, Frigus, Humiditas, & Siccitas: nec ſunt Qualitates ſecundę, quia omnis Qualitas ſecunda cauſatur a prima: Grauitas autē & Leuitas non cauſatur à qualitatibus primis; ſed à Formis ſubſtantialibus, ergo &c. Ad hoc commodius Reſpondebitur in dubitatione ſequenti.

DVBITATIO SECVNDA.

V. Grauitas, & Leuitas cauſentur à Formis ſubſtantialibus tantum, vel tantum à Primis Qualitatibus?

1 VTramq; partem poſſumus accipere, quod ſcilicet Grauitas, & Leuitas cauſantur tum à Forma ſubſtantiali, tum etiam à Qualitatibus primis: imo diſpoſitiuè proueniunt etiam à Raritate, & Denſitate: ſed à Forma ſubſtantiali tanquam à ratione principali; a primis vero Qualitatibus tanquam a ratione proxima, & immediata. Ita colligi poteſt ex Ægid. in loco præcedenti dubit. citato: vnde non ſufficit quandoque variatio tantummodo Qualitatum, niſi adſit etiam Raritas in ſubiecto, vt patet in Aqua calefacta; & aliquando quamuis æquè denſa, vel rara ſint corpora, & primæ Qualitates variatæ, adhuc tamen remanet eadē Leuitas, vt in Aere infimæ, & mediæ Regionis: ſunt enim æquè rari, & vbi ille eſt calidus, & ille frigidiſſimus, tamen vnus non eſt grauior altero; quod poteſt, & debet adſcribi Formæ ſubſtantiali; Tandem quandoque variatur totaliter Grauitas nulla variatione facta in Forma ſubſtantiali, vt in vapore contingit; idque ex eo prouenit, quia vis conſeruatiua Formę ſubſtantialis ſuperatur ab Agente extrinſeco ſcilicet à Sole, vel ab igne calefaciente, & rare faciente Aquā, & Leuitatem imprimente.

Grauitas, & Leuitas cauſatur a Forma ſubſtantiali tāquā à ratione principali. Sed a primis qualitatibus tanquam à ratione proxima.

2 Hinc ad illud argumentum;

tum, quod in fine præcedentis dubitationis reliquimus inſolutum, Reſpondetur; quod Grauitas, & Leuitas ſunt qualitates ſecundæ, quæ à primis dependent, & cauſantur, & etiam à Formis ſubſtautialibus modo explicato.

DVBITATIO TERTIA.

V. Grauitas, & Leuitas ſint Qualitates realiter diſtinctæ à Raritate, & Denſitate?

1 NON deſunt, qui reponentes Grauitatẽ, & Leuitatẽ inter Qualitates, & Formas *Accidentales*; illas tamen confundunt cum Raritate, & Denſitate: dicunt enim, quod Grauitas nihil aliud eſt, niſi denſitas, & craſſities rei; ſicut Leuitas nihil aliud eſt niſi Raritas.

2 Tamen rectius dicendum eſt nobis, Grauitatem, & Leuitatem realiter diſtingui à Denſitate, & Raritate: eſt communis, & certa apud omnes, eamque docet Ægidius in quolib. 2. q. 14 vbi ſupponit, quod Rarum, & denſum vno modo dicunt poſitionẽ, ſed alio modo dicunt Qualitates; Similia docet in libris prædicam. cap. de Qualitate, vbi ait, quod *Aſperum*, & *Lene*, & conſimilia diuerſis rationibus poſſunt eſſe Quantitates, & Qualitates, & Poſitiones; *Ex quo ſic poſſumus* argumentari. Grauitas, & Leuitas nullo modo Formaliter ſunt Quantitates: ſed Raritas, & denſitas aliquo modo ſunt Quantitates; ergo Grauitas, & Leuitas non ſunt idem realiter, quod Raritas, & Denſitas, minor eſt Ægidij, & negari non poteſt: maior autem probatur, quia Quantitas nullo modo eſt actiua, Grauitas autem, & Leuitas ſunt virtutes actiuæ: cũ ſint principium motus.

Grauitas, & Leuitas realiter diſtinguntur à dẽſitate, & raritate.

3 Sed dices, vt plurimum vbi eſt Denſitas, ibi eſt Grauitas, & vbi eſt Raritas, ibi eſt *Leuitas*; ergo Grauitas, & Leuitas nõ diſtinguntur a Raritate, & Denſitate. Deinde Ariſt. 4. Phiſic. tex. 85. & 8. Phiſ. text. 55. Denſitatem cũ Grauitate, & Raritatem cum *Leuitate* videtur confundere, propterea quod ad inuicem ſe comitantur. Sed Reſpondetur, quod Grauitas, & Leuitas conſequuntur ex Dẽſitate, & raritate, & ſic ſolum cauſaliter poſſunt dici idem; eo modo quo dicimus, *Animam* eſſe ſuas Potentias: formaliter tamen diſtinguntur, quia Grauitas, & Leuitas formaliter ſunt Qualitates: aſt Raritas, & Denſitas vno modo ſunt Qualitates, & alio modo ſunt Quantitates; præ-

ter quam quod multoties ſeparantur: nam fumus, & nubes ſunt Denſiores, & Leniores Aere; lignum eſt Denſius, & Leuius Aqua: Plumbum eſt Rarius, ſed Grauius Ferro: adeſt demum exemplum omnibus alijs manifeſtius: nam oleum frigore condenſatum Denſius eſt Aqua, vt annuit Philoſofus cap. 4. de ſenſu, & ſenſato, & tamen eſt Leuius, quam Aqua, quia ſupernatat: nō ergo ſunt omninò idē Grauitas, & Leuitas cum Raritate, & Denſitate.

DVBITATIO QVARTA

V. Omnes Grauitates, & Leuitates tam in ſimplicibus, quā in Mixtis ſint eiuſdē ſpeciei?

1 Poteſt fieri triplex comparatio. primò poteſt comparari Grauitas, & Leuitas vnius Corporis ſimplicis cum Grauitate, & Leuitate alterius ſimplicis Corporis. Secundò inter Grauitates, & Leuitates corporum Mixtorum interſe. Tertio poteſt cōparari Grauitas, & Leuitas vnius corporis ſimplicis cum Grauitate, & Leuitate Corporis Mixti. Et Vnica ſequenti concluſione eſt integra dubitatio reſoluenda. Grauitates, & Leuitates in ſubiectis ſpecie diſtinctis exiſtentes, etiam ad diuerſa loca tendentes, omnes ſpecie diſtinguntur; probatur, & quod propter diſtinctionem ſpecificam ſubiectorum ſequatur diſtinctio Specifica Accidentium in eis exiſtentium, oſtendi poteſt ex eo, quod docet Ægid. in 2. diſt. 13. q. 2. art. p. §. tertia via, &c. vbi probat, lucem Cæleſtem, & Sublunatem diſtingui etiam Genere, quia (hæc ſunt verba Ægidij) *Si in iſtis inferioribus diuerſitas ſubiectorum facit diuerſitatem in accidentibus quantum ad ſpeciem; multo magis cum lux Cæleſtis habeat ſubiectū incorruptibile, & lux iſta Elementaris habeat ſubiectum corruptibile, ſub eadem ſpecie collocari non poterunt*: ergo Grauitates, & Leuitates, quæ vt oſtendimus dubit. p. præcedenti, ſunt Formæ Accidentales de Genere Qualitatis, exiſtentes in ſubiectis ſpecie diſtinctis, etiā ſpecie diſtinguntur; atque adeò Grauitas in Terra ſpecie diſtinguitur à Grauitate in Aqua, & multo magis a Grauitate cuiuscumque Mixti: quia Terra ſpecie diſtinguitur tum ab Aqua, tum à quolibet Mixto; Idem dicendū eſt de Leuitate Ignis tam per comparationem ad Leuitatem Aeris, quàm per comparationem ad Leuitatem corporum Mixtorum.

Cōcluſio

Quod

2 Quod vero Grauitates, & Leuitates propter diſtintionẽ ſpecificam locorum, ad quæ tendunt, etiam ſpecie diſtinguantur, probari poteſt ex hijs, quæ cum Schola comuni docuimus 3. Phiſic. agentes de Motu: vbi vidimus, quod motus ſpecificantur à Terminis, ergo Grauitates, & Leuitates, quæ ſunt principia motuum tendentes ad diuerſa loca, etiam ſpecię diſtinguntur: nam ab vno eodemque principio non niſi vnus motus ſpecie poteſt prouenire.

3 Sed contrá concluſionem multipliciter poteſt obiici. primo. omnia Leuia diffiniũtur per hoc, quod eſt tendere à medio, & omnia Grauia per moueri admedium, ergo omnes Grauitates, & Leuitates ſunt eiuſdem ſpeiei: Reſpondetur; illas diffinitiones arguere vnitatem genericam, non ſpecificam.

Prima Obiectio contra concluſionẽ

4 Obijcies ſecundo. Omnia loca inter ſe accidentaliter diſtinguntur; nam naturale, & violentum ſunt differentię accidentales loci, ergo non inferunt diſtintionem ſpecificã inter motus ad illa. Reſpondetur; negando conſequentiã: nam differentiæ accidentales, ad quas eſt potentia determinata, ſunt ſufficientes ad inferendam diſtinctionẽ eſſentialem in potentijs: vnde Formæ ſubſtantiales diuerſæ petunt diuerſa temperamenta primarum Qualitatum, quæ ſi differunt ſecundum magis, & minus; inferunt tamen à poſteriori diſtinctionem ſpecificã Formarũ propter naturales determinationes Formarum ad illa.

2. Obiectio.

5 Obijcies tertio. Grauitas Aquæ, & Terræ eodem motu mouentur deorſum: nam ſi eſſet foramen aliquod vſq; ad centrum, eodem modo Terra per ſuam Grauitatẽ tẽderet ad centrum, & per eandem lineam tenderet Aqua, ſolum eſſet aliqualis differentia in velocitate, quod ſi ambo deſcenderent per Aerem, nullum poſſet aſſignari diſcrimen inter principia horum motuum; ergo. &c. Reſpondetur, quod Aqua, & Terra non tendunt deorſum ad eundem finem; nam Terra tendit, vt ſit ſub omnibus Corporibus: Aqua vero vt ſit ſub Aere, & Igne; ſed ſupra Terram: vnde ſi per illud foramen Aqua, & Terra ſimul proijcerentur, ambo quidem tenderent deorſum; quia ambo petunt eſſe ſub Aere in illo foramine exiſtente: ſed Terra deſcenderet vſque ad centrum, non tamen Aqua; & quia motus ſpecificantur à Terminis vltimis, ideo fit, quod

3. Obiectio.

quod licet in deſceſu per Ae-
rem nullum eſſet diſcrimen: non tamen debemus arguere identitatem ſpecificam principiorum; quia ad diuerſa loca ſpecie diſtincta rendecent.

6 Obijcies 4, duæ tantum ſunt Species ſimplicis motus recti, ſcilicet à Medio, & ad medium, ergo duo tantum ſunt principia eiuſdem motus Specie diſtincta: ſcilicet Grauitas, & Leuitas. Reſpondetur, Species illas eſſe ſubalternas, non Specialiſſimas.

7 Obijcies 5. per hoc, quod Ignis aſcendit ſupra Aerem, & Terra deſcendit ſub Aqua, non recte infertur ſpecifica diſtinctio motuum, ergo multo minus Specifica diſtinctio principiorum; probatur antecedens; nam cadauer prius

Obiectio vltima.

infra Aquam deſcendit, non tamē peruenit ad profundum Maris, deinde ſupernatat, & tamen eſt ibi Grauitas Terræ, quæ deberet ad ima deſcendere: Oua in Aqua dulci demerguntur, ſed in Aqua Maris ſupernatant; Plumbum, Argentum viuum, & Aurum, ſunt Grauiora, quam Terra, & tamen non debemus dicere, quod hæc metalla infra Terram deſcendunt, quia ſunt Mixta, quæ petunt eſſe ſupra Terram propter participationem elementorum. Reſpondetur, quod non ex quocunque aſcenſu, & deſcenſu ſupra, vel infra Corpus debemus arguere diſtinctionem Specificam Grauitatis, & Leuitatis, nam poteſt eſſe, quod ab extrinſeco, & per admixtionem alterius Corpus aliquod aſcendat; quod tamen ex ſua natura potius deſcenderet: debemus ergo conſiderare res in puritate propriæ naturæ, vt poſſimus arguere diſtinctionem Specificam virtutum loco motiuarum; & hinc ad exempla poſita in argumento Reſpondetur, ad primum de Cadauere, quod ideo non deſcendit ad ima, quia non eſt ita Graue: ſicut Terra: ſed partes Aereæ ſunt in illo incluſæ; quæ impediunt deſcenſum: nam cum Homo ſubmergitur in Aquis, calor naturalis non refrigeratur reſpiratione, ideoque accenditur, omneſque humiditates corporis alterat, & reſoluit in Vapores Aereos, qui propter Antiparistaſim nequeūt à Corpore in principio exire, vnde impediunt deſcenſum, imò cadauer eleuant ſuper Aquas. ad illud de Ouis dicendum eſt; quod Aqua maris magis groſſior eſt quam Aqua Fontium; vnde facilius in illa, quam in iſta natant, & propterea oua ſupereminent in Aqua ſalſa, quia propter

ter magnam Bituminis copiam, aliarumque Terreſtriũ exalatationum habent Aquã craſſiorem, & valde Limoſam: Metalla ſupradicta poſſunt dici Grauiora, quam Terra, quæ eſt apud nos, tum propter impuritatem, quia hæc non eſt elementum purũ, tum etiam propter denſitatem majorem, quam habent metalla, quæ tamen non erũt grauiora, quam Terra pura, vnde infra hanc non deſcendent.

DE GRAVIBVS, & LEVIBVS QVO AD MOTVM NATVRALEM

Dubitationes Quatuor

Dubitatio Prima. V. In motu Grauium, & Leuium Principium quo ſeu ratio mouendi ſit Forma ſubſtantialis, vel Grauitas, & Leuitas?

Dubitatio Secunda. V. Grauia, & Leuia moueantur à ſe ipſis, vel ab extrinſeco Generante?

Dubitatio Tertia, An verum ſit, & vnde proueniat, quod motus Grauium, & Leuium ſit in fine velocior?

Dubitatio Quarta. V. Grauia, & Leuia Grauitent, & Leuitent in proprijs Locis?

DVBITATIO PRIMA

V. In motu Grauium, & Leuiũ Principium quo ſeu ratio mouendi ſit Forma ſubſtantialis, vel Grauitas, & Leuitas?

1 Diuerſæ ſunt Doctorum Sententiæ: Zabarella Libro p. de motu Grauium cap. 11. vult, Formam ſubſtãtialem eſſe principium quo principale, Grauitatem vero & Leuitatem eſſe principia inſtrumentalia. Rubeon in 2. diſt. 14. q. 3 docet, principiũ quo formale, & proximum eſſe Grauitatem, & Leuitatẽ; Formam vero ſubſtantialem eſſe principium remotum: Alij tandem dicunt, nec Formas ſubſtantiales Grauium, & Leuium, nec Grauitatem, & Leuitatem eſſe principium quo; ſed Virtutem quandam in ipſis Grauibus, & Leuibus exiſtentem, fluentemque veluti paſſionem à quidditate Grauium, & Leuium.

2 Sed Noſtra ſententia verior, & in vtraque Schola vniuerſaliter recepta eſt, principia proxima, & immediata motuum Grauium, & Leuium eſſe Grauitatem, & Leuitatẽ, Formas vero ſubſtantiales eſſe principia remota, quatenus concurrunt ad Grauitatem, & Leuitatem. Ita Ægid. in 3. ſent. diſt. 5. part. p. qu. 1. art.

Vera ſententia proponitur, & probatur.

Forma ſubſtantialis eſt principium remotum.

art. 3. §. ſed dices. ſub his verbis. *Ad quod dici poteſt, quod Materia, & Forma rerum ſunt principium principale motus Localis rerum, quia vt dicitur primo Phiſ. Materia ſubiecta cum Forma eſt cauſa omnium accidentium, quæ fiunt in ea, ſed principium immediatum motus Grauium deorſum eſt Grauitas, & motus Leuium ſurſum eſt Leuitas*, *& ibid.* §. *tertia autem diſtintio &c. Sub his verbis poſſumus tamē dupliciter tale principium aſſignare, vt in motu ipſorum Leuium principium motus eorum eſt tam Leuitas, quã Forma ſubſtantialis eorum, quæ principaliter dicitur eorum natura, aliter tamen, & aliter; quia Leuitas eſt principium illius motus immediatum: ſed Forma ſubſtantialis Leuiũ eſt illius motus principium principale, & quia principium a principalitate dicitur; ideo propriè loquendo Forma ſubſtantialis Leuium, vel Forma ſuaſtantialis Grauiũ, quæ principaliter dicitur eorum natura, principaliter dicitur principium motus.* Idem quoque repetit in quolib. 4. q. p. & in Theorematibus de Corpore Domini propoſ. 31.

Grauitas & Leuitas ſunt principium proximum.

3 Eſt etiam ſententia omnium Scotiſtarum apud Maſtrium, & Bell. diſp. 3. de Cęlo q. 1. & de Grauitate, & Leuitate, quod ſint principium proximum, probatur tum ex *Ariſt.* 4. Phiſic. text. 85. vbi Grauitatē, & Leuitatem, ponit eſſe principia motus ſurſum, & deorſum: tum etiam ratione, quia poſita grauitate, & omni alio ſublato, ponitur motus deorſum, vt patet in Hoſtia Conſecrata, & ablata Grauitate etiam quocunque alio poſito, tollitur motus deorſum, vt patet in vaporibus, & exhalationibus, ergo Grauitas eſt principium proximum, & immediatum motus deorſum: idem dicendum de Leuitate. Quod vero Forma ſubſtantialis ſit etiam principium remotum motus Grauium, & Leuium, probatur; quia Forma ſubſtantialis eſt radix, à qua cauſantur ipſæ Grauitates, & Leuitates.

4 Sed contra noſtram ſententiam Obijcies p. Forma ſubſtantialis in Grauibus, & Leuibus eſt Natura, ergo Forma ſubſtantialis eorundem eſt proximum principium actiuum motus. Reſpondetur, concedēdo antecedēs: ſed negatur conſequētia, quia ſufficit, quod Forma ſubſtantialis ſit principiũ actiuum remotũ motus Grauium, & Leuium.

5 Obijcies 2. Ariſt. 2. de Gener. cap. 8. docet, Grauitatem, & Leuitatem nec eſſe principia agendi, nec minus paciendi. ergo &c. Reſpondetur. Philoſophum ibi loqui

de Grauitate, & Leuitate in ordine ad Formam abſolutã Generationi deſeruientẽ, reſpectu cuius nec Grauitas, nec Leuitas ſunt rationes agendi, vel paciendi, & quod iſta ſit legitimus ſenſus Philoſophi, ex eò poteſt oſtendi, quia alibi clariſſimè docet, Grauitatẽ, & Leuitatẽ eſſe principia actiua reſpectu vbi localis.

DVBITATIO SECVNDA

V. Grauia, & Leuia moueantur à ſeipſis, vel ab extrinſeco Generante?

D. Tho. aſſerit, moueri ab extrinſeco generante.

1 D. THOMAS in 4. de Cælo text. 25. & 26. & in p.p. q. 2. art. 3. & q. 18. art. 1. quem ex Recentioribus ſequuntur Rubius in 8. Phiſic. cap. 4. q. 2. Conimbr. cap. 4. q. 1. Tolet. 2. Phiſ. q. 2. Fonſeca 5. Methap. cap. 4. q. 2. & Suar. in Methap diſp. 18. ſect. 7. num. 21. docet Grauia, & Leuia non moueri a ſeipſis, ſed ab extrinſeco Generante, producente in illis virtutem motiuam: cuius ſententiæ præcipua fundamenta ſunt huiuſmodi. Primo illud agẽs, quod reducit potentiam ad actum, ad quem illa potentia eſt ordinata, mouet illud; quod eſt ſub tali potentia: ſed extrinſecum Generans reducit potentiam Grauis, & Leuis ad actum ex 8. Phiſ. text. 28. ergo. &c. 2. Proiecta moueri dicuntur a proijciente, etiam ſi hoc non ſit præſens, ſolum propter impulſum, quem dedit ad motum; Pater dicitur generare Filiũ, propterea quod à Patre fuit deciſum ſemen, quod ſe habet vt virtus, & vicẽ gerens Patris ergo idẽ dici poteſt de Generante Grauia, & Leuia. 3. Moueri ſe eſt tantum proprium Viuentium, vndè res inanimatæ ſemper dicuntur motæ; quarum motorem vulgus neſcit, & per ſimilitudinem dicuntur viuæ; vt cum dicimus Argentum viuum; ergo Grauia, & Leuia non à ſeipſis mouentur, ſed ab extrinſecò.

Eius fundamenta

Scotus vult moueri à ſeipſis.

2 SCOTVS in 2. diſt. 14. q. p. & diſt. 15. & in 4. diſt. 12. q. 3. apud Maſtr. & Bell diſp. 3. de Cælo; q. 1. num. 59. vult, Principium quod immediatum, & perſe in motibus Grauium, & Leuium non eſſe extrinſecum Generans, ſed ipſum met Graue, & Leue, quam ſententiam ſubſtinent etiam Greg. in 2. diſt. 6. q. 1. Areſ p. de Generatione diſp 5. q. 42. ſect. 1. & ex Recenſioribus Amicus in Tomum de Cælo tract. 7. qu. 7. dub. p. Hurt. diſp. 9. Phiſic. ſect. 8. & Vaſq. p. 2. diſput. 38. probatur autẽ primo ex Ariſt. 8. Phiſic. text. 32. vbi declarans, a quo leue

moueatur ſurſum ſic ait. *Graue quandoque eſt in Potentia eſſentiali ad Leue, vt quando ex Aqua fit Aer: cū autem eſt iam Leue, vt cum eſt actu Aer, tunc eſt in actu primo, & in potentia accidentali, & mox operabitur, niſi impediatur; actus autem Leuis eſt alicubi eſſe, & ſurſum.* en quomodo ex Ariſt. principium operatiuum motus ſurſum eſt ipſum Leue, quod nequit intelligi niſi de principio quod. ſecundo Id idem probatur ratione, quia effectus, qui actu cauſatur, requirit neceſſario cauſam actu cauſantem ex ſecundo poſt. text. 11. quod enim non eſt, nihil producit, ſed quando Graue mouetur, poteſt Generans eſſe corruptum, vel valde diſtans. ergo &c. Quod vero ipſum Graue ſit principium quod Motus deorſum, probatur, & ſit Tertium argumentum in ordine, quia eſt Axioma vulgatiſſimum; quod Actus ſunt ſuppoſitorum, vel ſaltē alicuius habentis modū ſuppoſiti; & tale dicetur illud, quod vltimatè denominatur agere mediate principio quo, in ipſo exiſtente: ſed Graue eſt huiuſmodi: Grauitas enim eſt in ipſo. ergo &c. quarto quando leue mouetur deorſum, quia eſt vnitum Graui, tunc Principium quod motus Leuis non eſt Generans, quia tunc Grauitas nō agit in virtute generantis, ergo eſt ipsū Graue, ergo ipſum quoque erit principium quod proprij Motus deorſum; probatur iſta vltima cōſequētia, quia Leue alligatum Graui intantū mouetur deorſum, in quantum Graue mouetur deorſum, ergo eadem eſt cauſa vtriuſque motus. Quinto magis propria eſt Graui Grauitas, quā calor Aquæ: ſed cum Aqua calefit, tunc principium quod calefactionis eſt Aqua, quia calor, qui eſt principium quo, inhæret Aquæ; ergo idem dicendum eſt de Graui. Tandē aliquando Graue mouetur deorſum, & non à Generante; ergo a ſeipſo. probatur antecedens ex Ariſt. 8 phiſ. text. 33. ſic dicente. *Grauia mouentur vel à Generante, vel à Remouente probibens*; ſed propoſitio diſiunctiua non debet verificari quoad vtramque partem, ergo quando Grauia mouentur à Prohibente prohibens, tunc non mouentur à Generante.

Funda-mēta Scotica.

5 ÆGID. in quolib. 2. q. 16. & in Quolib. 3. q. 16. & in 8. phiſ. lect. 10. Item in lib. de Materiali compoſitione Cæli q. p. pagina 49. *Litt.* D. vult, Grauia, & Leuia moueri tum à Generante, tum etiam à ſeipſis: ſed à Generante per ſe, à ſeipſis vero per accidens

Aegidius docet moueri à Generante per ſe; ſed à ſeipſis per accidens.

accipite eius verba. *Videmus enim, quod Grauia, & Leuia mouentur à Generante, & etiam a ſeipſis, ſed à Generante propriè, à ſeipſis per accidens: Generans enim, quod dedit Grauitatem Corpori Graui, dedit ei, quod moueretur deorſum, eo quod à Forma Graui ſequitur talis motus: Illud enim Agens, quod inducit per ſe Formã Subſtantialem in Materia, dicitur per ſe inducere omnia accidentalia, quæ ſequuntur ad illam Formam: & quia motus deorſum eſt Accidens conſequens Formã Grauis, ideo illud Agens, quod per ſe dedit talem Formam, dicitur per ſe dediſſe talem motũ: Graue igitur mouetur à Generãte per ſe; ſed a ſe ipſo mouetur per accidens: nam ſi ponatur Graue ſurſum, tunc medium, quod eſt inter locum deorſum, & ipſum Graue, prohibet ipſum Graue eſſe deorſum, ſed Graue ſurſum poſitum ſcindit medium, & ſcindendo medium, remouet probibens, & remouendo probibens, facit ſe ipſum Deorſum, ergo Graue mouet ſe ipſum Deorſum, remouendo prohibens, & ſcindendo medium: ſed Cauſa remouens prohibens eſt cauſa per accidens: Graue igitur mouet ſe ipſum per accidens: verum eſt tamen, quod Graue mouet ſe ipſum; nam propoſitiones dato quod ſint per accidens, non propter hoc ſunt falſæ, imo veræ qualitercumque accipiatur ly per accidens: nam per accidens eſt, quod Homo ſit albus, vel niger, cum quo tamen verum eſt, quod ſit albus, vel niger.* Hæc Ægid. ibi, & ſimilia docet in locis ſupra citatis, præcipuè in quodlib. 5. q. 16. ſic ait. *Dicitur autem motus Grauium, & Leuium eſſe à Generante, licet fortè Generans non ſit præſens, vel corruptum ſit; ſed protanto dicitur ſic eſſe, quia quod graue moueatur Deorſum, hoc eſt ex natura Grauis, ſecundum quam naturam ſemper ſibi conuenit eſſe Deorſum, niſi impediatur per impulſum ſurſum: illud ergo, quod dedit Graui naturam Grauis, illud idem dedit ei, quod moueretur Deorſum: ſicut ergo Graue non habet à ſe ipſo, quod ſit Graue, ſed à Generante, ita non habet à ſe ipſo principaliter, quod moueatur Deorſum; ſi enim tota ratio, quare naturaliter mouetur Deorſum, eſt, quia eſt Graue, in idem reducimus ſuum motum Deorſum, à quo habuit, quod ſit Graue.*

Et ibid. in reſponſitione ad Argumenta ſic ait. *Non eſt ergo omnino negandum, quod Graue ſe ipſum moueat, & quod Aqua ſe ipſa reddeat frigidam; ſed omnia iſta tanquam in motorem principalem reducemus in motorem alium.* Tandem ibid. ſic concludit. *Nihil ergo*

go ſe ipſum primo, & immediatè, & principaliter mouet, non primo quidem quia per partes, nec immediatè, quia mouendo aliud, nec principaliter, ſed ex conſequenti. Patet ergo Ægidium in ea eſſe ſententia, quod Grauia, & Leuia moueantur ab extrinſeco Generante per ſe, a ſe ipſis vero per accidens.

IVDICIVM AVTHORIS ex Ægidio

Pro Defenſione Vtriuſque Opinionis.

4 EX data iam Ægidij Doctrina non erit difficile diſtinctionem colligere, qua vtraque ſententia poterit ſubſtineri. Dicendum ergo, quod Grauia, & Leuia, & mouentur ab extrinſeco Generante; & mouentur etiam à ſe ipſis, aliter tamen, & aliter, quod vt clarius explicetur, duo notanda ſunt. Primo, quod ſicuti vna, & eadem res eſt Actio, & Paſſio: ſed eſt Actio, vt eſt ab Agente, eſt Paſſio, vt ſuſcipitur in Paſſo. Sic eadem natura Grauis ſi referatur ad id, a quo eſt, ſcilicet ad Generans, ſic eſt ratio, quare Generans moueatur actiuè: ſi vero eadem natura referatur ad id, in quo eſt, ſcilicet ad ipſum met Graue, in quo ipſa natura ſuſcipitur, ſic eadem natura eſt ratio, quare ipſum Graue moueatur paſſiuè.

5 Notandum ſecundo circa illum particulam (per ſe) quod vt ſcribitur ſecundo meth. cap. de per ſe, per ſe dicitur æqualiter cauſæ, ideſt tot modis ſumi poteſt ly per ſe, quot modis accipitur, & diuerſificatur cauſa; & ſic dum quæritur, An motus Grauis Deorſum ſit per ſe? cum diſtinctione loquendum eſt, ſi ſit ſermo de per ſe, vt reducitur in cauſam materialem, ſic nihil aliud eſt, motum vel quodcunque accidens in eſſe per ſe, ac non inhæſſe mediante aliquo alio ſubiecto; & hoc modo motus deorſum reducitur in Graue tanquam in cauſam materialem per ſe, quia motus Deorſum ineſt Graui non mediante aliquo alio ſubiecto: ſi vero loquamur de huiuſmodi motu ſecundum quod reducitur in cauſam formalem, ſic etiam non eſt inconueniens, quod motus Grauis Deorſum reducatur in ipſum graue tanquã in aliquid per ſe, quia motus Deorſum quamuis efficienter ſit a Generante, eſt tamẽ Formaliter à Forma Grauis: nam vapores non mouent ſe ipſos ſurſum, ſed mouentur à Sole: nec etiam calor incorpo-

corporatus mouet vapores ſurſum, licet ipſe calor ſit ratio, & principium quo talis motus; non enim quicquid eſt per ſe ratio, & principium alicuius, eſt per ſe cauſa effectiua illius; nam huiuſmodi ratio, & principium ſumi poteſt in quolibet genere cauſæ: quando igitur paries fit albus, tunc albificatio, & eſt à pictore, & eſt ab Albedine, ſed à pictore efficienter, ab albedine formaliter, & quod dictum eſt de Vaporibus, & de albificatione, id idem dicendum eſt de motu Grauium, & Leuiũ reſpectu Generantionis: nã huiuſmodi motus effectiuè eſt per ſe à Generante; Formaliter autem eſt per ſe à Forma Grauis; Atque adeò motus Grauis reducitur per ſe tanquam in proprium, & principale principium tũ in ipſum Graue, tum etiam in eius Formã, tum denique in ipſum Generans: ſed in ipſum Graue reducitur tanquam in propriũ ſubiectum; in Formam vero tanquam in principium Formale; in Generans tandem tanquam in principium effectiuum: & ſicut ridiculum eſset, dicere, quod paries albificat ſe ipſum, quia habet in ſe albedinem, quæ eſt principium albificandi; ita ridiculum eſt, dicere, quod Graue mouet ſe ipſum, quia habet in ſe Grauitatem; ſed effectiuè mouetur à Generante, a quo habuit naturam.

6 His ſic notatis; accipite diſtinctionem pro defenſione vtriuſque Opinionis. Grauia, & Leuia primo per ſe, & principaliter mouentur tum à Generante, tum etiam à ſe ipſis; à Generante quidem per ſe effectiuè, hoc intendunt Thomiſtæ; à ſe ipſis vero per ſe Formaliter, vel materialiter; quia in ipſis Grauibus eſt Natura ſcilicet Forma, & Materia, quæ eſt per ſe principium motus. & ſic accipiendi ſunt Scotiſtæ.

RESPONDETVR in forma Argumentis

Vtriuſque ſententiæ.

7 AD primum D. Thomæ dicimus, concludere de Cauſa efficiente, quatenus ſcilicet Extrinſecũ Agens, quod reducit potentiam Grauis; vel Leuis ad actum, efficienter cauſat motum eiuſdẽ Grauis, vel Leuis. Ad ſecundum Reſpondetur, quod ſicut Proiecta moueri dicuntur à Proiciente effectiuè perſe: ſic Grauia, & Leuia a Generante. Ad tertium patere põteſt per ea, quæ dicta ſunt ſupra in ſecundo notabili: proprię

priè enim Grauia, & Leuia nō mouentur à ſeipſis effectiuè, ſed ab extrinſeco Generante.

8 Ad Scotum dicimus, concludere de Principio per ſe formali, vel materiali, non efficiente, ita vt ſit ſenſus, quod Grauia, & Leuia mouentur per ſe à ſeipſis, quia in ſe ipſis habent naturam, quæ eſt principium motus, &c. Vel de principio efficiente per accidens, ita vt ſit ſenſus, quod Grauia, & Leuia mouentur quidem à ſeipſis, ſed mediatè, & per accidens; ideſt remouendo prohibens. Et ad primum deſumptum ab authoritate Philoſophi per illa verba (*& mox operabitur, niſi impediatur*) manifeſtè indicatur, ipſum Graue, vel Leue eſſe principium remotionis impedimentorum, quod idem eſt ac principium per accidens reſpectu motus.

Ad ſecundum loquēdo de Principio, quod reſpectu remotionis impedimentorum, iā illud eſt præſens, cū tale ſit ipſum Graue: Loquendo vero de Principio per ſe motus, illud etiā dicimus eſſe præſens per ſuam virtutem ſcilicet per Grauitatem. Tertium argumentum non probat, niſi ipſum Graue eſſe principium quod remotionis impedimentorum, quod reſpectu motus eſt principium per accidens. Ad quartum Reſpondetur; nō currere paritatem: nam cum Leue vnitum Graui mouetur deorſum, idem motus deorſum eſt naturalis Graui, ſed violentus Leui, & ideo non eſt mirum, ſi Leue tunc non moueatur a Generante per ſe, ſed tātum Graui per accidens: quod nam autem ſit in Leui eiuſdem motus principium per ſe? in ſequentibus oſtendemus. Ad quintum conceſſa maiori, neganda eſt minor: nam principium quod calefactionis in Aqua eſt extrinſecum Agens ſcilicet Ignis, qui mediante ſua Virtute introducit calorem in Aqua. Ad vltimam neganda eſt vltima pars antecedentis: quod ſcilicet Graue mouetur deorſū, & non à Generante, ad probationem Philoſophi dicimus, quod quando Graue mouetur deorſum à remouente prohibens; tunc non mouetur à Generante extrinſeco eodem modo: nam à remouente prohibens mouetur per accidens, à Generante vero per ſe.

DVBITATIO TERTIA

An verum ſit, & vnde prouenit, quod motus Grauium, & Leuium ſit in fine velocior?

1 A Liqui cum ſimplicio p.Cæ-

p. Cæli text. 88. dubitant; alij cum Arriaga diſp. 4. de Generatione ſect. 5. abſolutè negant, Grauia, & Leuia velocius moueri in fine, quam in Principio: dicũt .n. omne mobile ſiue ſursũ, ſiue deorsũ moueatur, sẽper ęquali velocitate moueri; idque probant primo. quia motus ſurſum eſt naturalis fumo; ſed hic non eſt velocior in fine quam in principio, ergo &c. ſecundo cadant ex alto duo mobilia ſcilicet Lapis, & pila coriaca: tunc quamuis vtrumque eadẽ velocitate moueatur, tamen pila nullum infert damnum; Lapis autem caput cõfringet, ergo illa diuerſitas nõ eſt ex maiori velocitate motus, ſed à vehementiori impulſu.

2 Sed denegari non debet, quod motus naturalis Grauiũ & Leuium velocior ſit in fine, quam in principio, & quo ex altiori loco Graue mouetur deorſum, eo Cælerius deſcendit. Ita docuit Ariſt. 5. Phiſ. tex. 76. & primo Cæli text. 88. eſtque comunis conſenſus ferè omnium Philoſophorum, & D. Thomas id ſupponit vt indubitabile in p. Cæli com. 88. probatur autem multis experientijs, ſed pręſertim illa lapidis, qui eo maiorem incutit ictum, quo altius cadit, ergo quo altius mouetur, eo magis intenditur velocitas motus.

Motus naturalis Grauiũ velocior eſt in fine, quã in principio.

3 Nec valet, ſi dicas, quod ex hac diuerſitate ſolum infertur diuerſitas impulſus, non vero velocitas motus: nã impulſus non cauſatur ſolum ex altiori diſtantia, à qua lapis mouetur, ſed ex cæleritate motus: ſiquis enim lento motu feriat lignum ſecuri, parum vel nihil proficiet, ſi veloci multum; ſimiliter ſi lapis leuiter imponatur ſuper caput, vel ſuper vitrum, non confringet illa corpora, vt efficeret, ſi cæleri motu deſcenderet.

4 Ad oppoſita Reſpondetur, & ad primum dicimus, quod partes fumi ſubtiliores cælerius mouentur ſurſum; ſed grauiores tardius, quia propter Aerẽ ambientem refrigerantur, & grauiores euadunt. Ad ſecundum paritas non currit, quia nos non dicimus, maiorem impulſum cauſari ex velocitate motus præcisè; ſed requiritur in Mobili maior Grauitas, & vna ſine altera non valet; vnde a proijciẽte maior impetus imprimitur in lapide, quam in pluma Leui; imo reſiſtentia moderata in mobili iuuat ad motum, & hinc plus læditur proijciens plumam, quam lapidem, quia impetus impreſſus a virtute motiua bracchio

non

non repreſſus a reſiſtentia Plumæ, excutit violenter brachium, quaſi ipſum euellens è corpore.

vnde p̄uenit, quod motus ſit in fine velocior?

5 Suppoſito igitur, quod motus Grauium, & Leuium ſit velocior in fine, quam in principio; reſtat indaganda cauſa huius maioris velocitatis; & relictis non nullis dicendi modis parum probabilibus, ſolum referam duos, quorum primus eſt Thomiſtarum, alius eſt ſubtilium.

Opinio D. Tho.

6 Diuus Thomas in p. de Cælo lect. 17. docet, id accidere, quia Graue quanto magis deſcendit, tanto magis cōfortatur eius Grauitas propter propinquitatem ad proprium locum; & verba ſancti Doctoris ſunt huiuſmodi. *Et ideo dicendum eſt cum Ariſt. quod cauſa huius accidentis eſt, quia quanto corpus Graue magis deſcendit, tanto magis confortatur eius Grauitas propter propinquitatem ad proprium locum, & ideò augumentatur.*

Opinio Scotiſtarum.

7 Sed Scotiſtæ apud Maſtium, & Bellutum diſp. 3. de Cælo q. 3. num. 49. & 50. dicunt, quod ſicut in nobis virtus motiua imprimit in proiecta quemdam impulſum, qui eſt qualitas cauſatiua motus, prout à proijciente dirigitur, & determinatur; ſic Grauitas, & Leuitas cum ſint virtutes motiuæ, habentes vim producendi impulſum in externa corpora, quod patet experientia, nam reflexio pilæ eſt effectus impulſus: ſicut ergo in nobis vis motiua non ſolum cauſat impulſum in extrinſeca corpora, ſed etiam in nobis ipſis; ita Grauitas, & Leuitas, quæ ſunt virtutes motiuæ non ſolum in extrinſeca corpora cauſant impulſum, ſed etiam in ipſis met Grauibus, & Leuibus, quod poteſt ex eo probari, quia ſi Grauitas eſt productiua impulſus in corpore externo, cur non poteſt cauſare eundē impulſum in ipſo met Graui, quod non eſt incapax talis impulſus? reſoluunt ergo Scotiſtæ, quod cauſa cur Grauia, & Leuia velocius mouentur in fine, quam in principio, eſt quidam impulſus cauſatus à Grauitate, & Leuitate, qui impulſus eſt Qualitas ſpecie diſtincta ab ipſa met Grauitate, & Leuitate, de facili corruptibilis; eſtque cauſatiua motus, prout ab Agentē determinatur, & ab aliquibus vocatur Grauitas, & Leuitas accidentalis, ab alijs vero Grauitatio, & Leuitatio.

IVDITIVM AVTHORIS ex Ægidio pro Defenſioe

Vtriuſque Opinionis.

7 ÆGIDIVS de hac re nihil ex profeſſo docuit, quod ipſe legerim, dixiſſet tamen *Angelici* ſententiam eſſe ſubtilem, & Scoti Opinionem eſſe Angelicam: nam parum vel nihil differt Grauitas confortata; vt loquitur D. Tho. ab impulſu cauſato a Grauitate; vt volunt Scotiſtæ, quod vt declaremus, & ſimul etiam pateat Vtriuſque ſententiæ probabilitas, aduertendum eſt, quod duplicem Grauitatem, & Leuitatem poſſumus cõſiderare in Grauibus, & *Leui*bus. Prima eſt naturalis, quæ datur à Generante Grauibus, & Leuibus in eorum Generatione mediante Forma; dicente *Ariſt.* 8. Phiſ. com. 4. quod *Agens* quantum dat de Forma, tantum dat de conſequentibus Formam mediãte Forma; *Altera* eſt Grauitas accidentalis ſiue aduentitia, quæ vocari poteſt impulſus, quatenus eſt quædã Grauitas, vel Leuitas aucta, cuius cauſæ poſſunt aſſignari tres; prima, & præcipua eſt ipſum *Mobile*, quod per ſuam Formam eſt ſic aptum moueri. Secunda, quæ eſt cauſa diſpoſitiua, eſt loci vicinitas; nam *Mobile* à loci vicinitate diſponitur ad productionem huius Grauitatis. Tertia cauſa inſtrumentaria ſeu potius conditio ſine qua non, eſt ipſe motus naturalis, quo *Mobile* mouetur, & loco appropinquat, & ſine quo non poſſet accidentalem illam Grauitatem conſequi, cujus rei ſignum eſt, quod *Mobile* poſt quam quieſcit, non eſt grauius nec Leuius quam prius fuerat ante motum.

9 Hac adnotatione præmiſſa, dicendum exiſtimo, quod cauſa, quare motus Grauiũ, & Leuium ſit in fine velocior, eſt, quia *Mobile* fit accidentaliter Grauius, eiuſque Grauitas augetur, & Creſcit in fine, quod ab Angelico explicatur per confortari in *Grauitate*, & à Scotiſtis vocatur impulſus, ſeu Grauitas, & *Leuitas* accidentalis de nouo adueniens Mobili.

10 Et ſi quæratur, an impulſus, ſeu accidentalis Grauitas, vel confortatio Grauitatis ſit eiuſdem ſpeciei cum Grauitate naturali? Reſpondetur; id eſſe problema, & poſſe vtramque partem ſubſtineri; nam ratione vnius, & eiuſdem ſubiecti vtraq; Grauitas poteſt dici eiuſdem ſpeciei: quatenus vero cauſatur à cau-

á cauſis differentibus ſpecie, ſic poteſt dici ſpecie diſtincta.

DVBITATIO QVARTA

V. Grauia, & Leuia grauitent, & Leuitent in propria Sede?

1 SEnſus eſt, an quando Elementa, & vniuerſaliter omnia Grauia, & Leuia ſunt in proprijs *Locis*, in quibus naturaliter quieſcunt, tunc dicantur grauitare, & leuitare? ita vt in illis Locis, a quibus naturaliter non deſcenderent, niſi ab extrinſeco mouerentur, ad huc nitantur, & contendant in aliũ locum ſuperiorem, vel inferiorem peruenire, & præmant illud Corpus, quod eſt eis ſubiectum in Grauibus: vel impellant, quod eſt eis ſuperpoſitum, in leuibus?

2 Et Ariſt. 4. Cæli. text. 29. & 30. docet, omnia Grauia, & Leuia præter Ignem in proprijs locis grauitare, & leuitare, quod probat quibuſdam experientijs: nam Vtres Aere pleni ſunt grauiores, & velocius mouentur quam vacui; lignum Centum librarum per aerem velocius deſcendit quam plumbum vnius Libræ; per Aquam tamen è contra non propter aliud, niſi quia Aer in ligni poris incluſus grauitat, & velocius pellit lignum, cum tamen in Aqua idem lignum ſupernatare videatur. Vaſa tandiu in aquis ſupereminent, quandiu aquis non replentur: ſed ſtatim ac aquis ſunt plena, immerguntur, etiam ſi eſſent lignea, cum tamen ex propria natura ſint *Leuiora* aquis.

2 Sed comunior, & verior Philoſophantium Opinio negat, *Grauia*, & Leuia in proprijs Locis grauitare, & leuitare. Ita D Tho. in 4. de Cęlo tex. 39. & Colligi poteſt ex Scoto in 2. diſt. 2. qu. 10. apud *Maſtr.* & Bellutum diſp. 3. de Cælo q. 4. nu. 6.

3 Quod ſi velimus etiam ſaluare Ariſtotelis ſenſum, dicendum eſt, quod *Elementa* duobus modis poſſunt cõſiderari; primo ſecundum ſe, & ſecundũ naturalẽ diſpoſitionẽ ipſorũ; ſecũdo per accidens, & ſecundum quandam earum diſpoſitionem præter naturalem: primo modo non grauitant, neque leuitant Elementa in proprijs locis, quoniam ſingula ſecundum naturalem diſpoſitionem habent vnam tantum qualitatẽ ſimplicem, quæ non eſt principium niſi motus naturalis, vt oſtendit ſimplicitas Formę ſubſtantialis vnius cuiuſque: & quia per hanc ſimplicem

Quomodo poſſit ſaluari ſẽſus Ariſtotelis.

qualitatem vnumquodque E- lementũ mouetur ad ſuum locum, & per eandem quieſcit in eo; per illam non eſt poſſibile, quod moueatur ex ſuo loco naturali, quia nullum corpus ſimplex per vnam, & eandem Formam quieſcit naturaliter in aliquo loco, & mouetur ex illo. & ſic eſt intelligenda ſententia comunis Doctorum. Sed ſi accipiantur Elementa ſecundo modo ſcilicet per accidens, & ſecundum diſpoſitionem eorum præter naturalem, ſic nihil prohibet, illa etiam in proprijs locis grauitare, & leuitare; poteſt enim contingere, vt Aer propinquitate frigiditatis Aquæ ingroſſetur; & infrigidetur præter naturã eius, & quia Frigiditas eſt cauſa grauedinis, poteſt ex eo euenire, quod Aer grauitet præter eius naturam; & ſecundum hunc modum ſaluari poteſt ſenſus Philoſophi.

Quomodo poſſit ſaluari ſententia Ariſtotelis.

2 Ad Cuius experientias adductas dici poteſt, quod Vter plenus Aere grauitat, eſtque grauior ſeipſo vacuo propter condenſationem Aeris; nam Aer ille eſt in vtre Valde conſtipatus, & quia inflatur humido halitu, & Aere craſſo, proptérea grauitari contingit. Ad illam de ligno poſſet dici, quod non mouetur velocius in Aere Plumbo minori: vel eo admiſſo, dici etiam poteſt, id accidere, quia Grauitas Ligni ſpecie diſtinguitur à Grauitate Plumbi, & Aquæ, vt oſtendimus in præcedenti dub. 4. vnde ambo per Aerem deſcendunt, non tamen per Aquam, quia lignum petit eſſe ſuper Aquam. Ad illam de vaſis plenis Aqua, dicimus, quod immerguntur, quia Aqua cũ ſit fluida, quærit ſecundum omnes partes æqualiter diſtare à centro: vnde ſi vas Aqua plenum ſuper nataret, Aqua exiſteret ſupra Aerem circũdanté, qua propter videmus, quod ſi vaſa ſunt lignea, ſolum demerguntur vſque ad extremam ſuperficiem Aquæ, non vero in profundum.

DE GRAVIBVS, ET LEVIBVS

Quo ad Motum violentum, Vbi de Motu proiectorum.

Dubitatio Vnica.

V. Principium proximum, & Immediatum in motu proiectorum ſit ipſum medium, vel impulſus ipſi Mobili à proijciente impreſſus?

1 DVÆ ſunt famoſæ ſententiæ. Prima eſt ferè omnium Recentiorum, aſſeren-

ſerentium motum violentum non poſſe fieri à medio, ſed tãtum per impulſum à Proijciente impreſſum Corpori. Ita Albert. mag 8. phiſ. tex. 81. Sot. 8. lib phiſ. q. 3. ad 2. Tolet. ibid text. 83. Conimbr. 7. phiſ. q. p. art. 8. Suarez 2. thom. meth. diſp. 35. ſect. 4. num. 4. Ruuius diſp. 3. de Cælo q. 5. & potiſſima fundamenta huius ſententiæ ſunt huiuſmodi. P. quia non eſt intelligibile, quod ſolus *A*er moueat globos tormentarios ad tam magnam diſtantiam, tàm recta via, ad tam certum ſcopum, tanto veloci motu, & aliquando aduerſus ventum validum, imo tanta vi, vt vrbes demoliantur; ergo neceſſe eſt, concedere, quod per impetum eis impreſſum moueantur. Secundo ſi phiala vitrea Aqua plena vehementer circumferatur in girum, & deinde relinquatur, tunc *A*qua intus exiſtens adhuc mouetur, & aliquando verſus finem motus etiã mouetur in contrariam partem, quam in illam, verſus quam mota fuit Phiala: ſed hic motus non poteſt tribui medio, quia non adeſt, cum ſupponamus totam phialam plenam *A*qua, vel ſi parum *A*eris fuerit incluſus, non ſufficiet ad mouendam Aquam, quia non circumobſidet illam,

Opinio Recẽtiorum.

ergo &c. 3. medium velocius mouet *L*euius, quam Grauius ſcilicet feſtucam; quam lapidem, & tamẽ difficilius proijcitur illa, quam iſte: Item nunquam vel raró venti poſſunt mouere lapidem ita in longinquum, vt fit à proijciente, ergo non à medio, ſed ab impulſu moueri debent proiecta.

2 Secunda ſententia eſt Ariſt. 4. Phiſ. tex. 68. & 8. Phiſic. tex. 82. & 3. Cæli text. 28. qui nunquam mentionẽ fecit de impulſu, ſed ſemper ait, medium eſſe cauſam immediatam motus proiectorum, & in 4 Phiſ. text. 68. negauit, in vacuo poſſe fieri motum proiectorum propter carentiam medij. Sequuntur *A*riſtotelem omnes Perhipatetici præſertim D. Thomas 3. de Cælo Lect. 7. vbi ſic ait. *Non eſt autem intelligendum, quod virtus violenti motoris imprimat lapidi, qui per violentiam mouetur, aliquam virtutem, per quam moueatur, ſicut virtus Generantis imprimit Genito Formam, quam conſequitur motus naturalis; nam ſic motus violentus eſſet à principio intrinſeco, quod eſt contra rationem motus violenti, ſequeretur etiam, quod lapis ex hoc ipſo, quod mouetur localiter per violentiam alteraretur, quod eſt contrà ſenſum, imprimit ergo*

Ariſt.

D. Thom.

motor

motor violentus lapidi ſolum motum, quod quidem fit, dum tangit ipſum, ſed quia Aer eſt ſuſceptibilior talis impreſſionis, tum quia eſt ſubtilior, tum quia eſt quodammodo leuis, velocius mouetur per impreſſionem violenti Motoris, quam lapis, & ſic deſinente violento motore, Aer ab eo motus, vlterius propellit lapidem, & etiam Aerem coniunctum, qui etiam mouet lapidem vlterius; & hoc fit quouſque durat impreſſio primi motoris violenti; & inde eſt, quod quamuis motor violentus non ſequatur ipſum mobile, quod per violentiam fertur, puta lapidem, vt præſentialiter ipſum moueat, tamen mouet per impreſſionem Aeris; ſi enim nõ eſſet tale Corpus, quale eſt Aer; non eſſet motus violentus: ex quo patet, quod Aer eſt inſtrumentum motus violenti neceſſarium, & non ſolum propter benè eſſe. hæc D.Th.

Scotus 3 Nec diſſentit Scotus in 4. diſt. 6. q. 6. in fine, vbi contra Riccardum negat, imprimi à voluntate virtutem motiuam in potentijs externis, quæ paulatim deficiat, & paucis interiectis ſic proſequitur. In motu proiectorum prius ceſſari dicimus partem motori propinquiorem, quã remotiorem.

4 ÆGIDIVS ſimiliter fauet huic ſententiæ; nam in 7. Phiſicorum lect. 4. ſic ait. *Proijciens lapidem, ſimul impellendo lapidem, impellit Aerem, & Aer impulſus impellit lapidem, non ergo oportet, lapidem ceſſare à motu ſtatim, cum dimittitur à manu; ſed poſtquam receſſit à manu, adhuc mouetur, quia impellitur ab Aere: tandiu ergo durat iſte motus, quandiu motus Aeris impulſi ſuperat naturalem Grauitatem lapidis. ſiue naturalem motum eius, in tali ergo motu ſemper impulſum eſt coniunctum impellenti, quia licet lapis non ſemper ſit coniunctus manui expellenti ipſum, eſt tamen ſemper coniunctus alicui parti Aeris, quæ impellit eum.* Et in octauo phiſ. lect. 29. ſimilia proſequitur.

5 Tandem adeſt pro hac ſententia multiplex ratio, prima eſt, quia ſi daretur hæc virtus, eſſet, & non eſſet ſpecie diſtincta à Grauitate, & Leuitate: nã ex eo quod deorſum v. g. moueret, eſſet eiuſdem rationis cum Grauitate, ſed ex eo quod eſſet mobili violenta, eſſet alterius rationis. Secundò; non poteſt aſſignari, quando Generetur hæc virtus, & dato quod poſſet, vel tunc generaretur in inſtãti, & hoc non, quia habet contrarium in ſubiecto: nam impulſus eſt contra naturalẽ inclinationẽ Mobilis, vel genera-

Rationes pro eadem ſentẽtia.

neraretur in tempore, & hoc neque, quia tunc impulſus prius eſſet in vna parte, quam in alia, & tamen omnes partes mouentur, ergo ſi poteſt vna pars abſque impulſu moueri, etiam omnes poterunt. Tertio; quia nequit aſſignari, quo inſtrumento producatur, non enim produci poteſt medio motu locali, quia per motum localem non producitur Qualitas, ex 8. Phiſ. text. 59. Quarto, dum Pila proijcitur ad parietem, & ab eo repercuſſa retrocedit, motus ille retroceſſionis non poteſt prouenire ab aliquo impulſu, quia in primis non prouenit ab impulſu impreſſo à Motore, ità vt paries ſe habeat per accidens, vt volunt Ruuius, Toletus, & Hurtad. quia ab vna, & perſe cauſa non poſſunt cauſari duo contrarij effectus, quales ſunt motus rectus, & reflexus, neque prouenit à corpore occurrente, quia motor debet moueri, vt imprimat impulſum: paries autem non mouetur. Tādem non poteſt aſſignari modus, quo corrumpatur, & deſinat hic impulſus, non enim deſinit per ſubtractionem concurſus cauſæ conſeruantis; nam hæc non datur, nec deſinit per actionem contrarij, quia hic impulſus non habet contrarium, ergo &c.

6 *Ex* his duabus ſententijs neutram poſſumus improbare; & quidem non ſecundam, propter authoritatem tantorum *Magiſtrorum*: nec primam, propter efficaciam rationum; Dicendum igitur, quod motus proiectorum & cauſatur à medio, & etiam ab impulſu proijcientis, qui imprimitur *Mobili*, ſed aliter, & aliter; nam à medio proximè, & immediatè tanquam ab inſtrumento ſine quo talis motus violentus fieri non poſſet, hoc intendit ſecunda ſententia: cum hoc tamē etiam dicimus; quod motus proiectorum cauſatur remotè ab impulſu proijcientis, qui immediatè imprimitur in medio, & ſucceſſiuè peruenit ad *Mobile*. Sic ſaluari poſſunt rationes primæ ſententiæ.

DISPV-

DISPVTATIO QVARTA DE ELEMENTIS

SVB RATIONE SPECIALI. Vbi etiam de Metheoris.

DE QVIBVS IN IV. LIBRO.

IN præcedenti Diſputatione egimus de Elementis ſub ea ratione comuni; quatenus cum *Mixtis* conueniunt in eſſe Graui, & Leui: nunc proſequendum eſt de eiſdem ſub ratione ſpeciali, non quidem vt ſunt mobilia ad Formam; nam de eis ſecundũ hanc conſiderationem diſputabimus in Tractatu ſequenti de Generatione, & Corruptione: ſed tantũ vt ſunt mobilia ad Sitũ: & quia cũ Elemẽtis hoc modo cõſideratis habẽt non modicam affinitatẽ Metheorologicę Impreſſiones; ideo hac occaſione deſumpta, nõ erit inutile, hic etiam diſſerere de Metheoris: diuidemus igitur hanc diſputationem in quatuor ſequentes Quæſtiones iuxta numerum Elementorum, quem pro modo quaternarium eſſe ſupponimus.

QVÆSTIO PRIMA

DE ELEMENTO IGNIS, eiuſque Metheoris

DVBITATIONES QVATVOR.

Dubitatio Prima. An detur Elementum Ignis, qui ſit ſub concauo Lunæ?

Dubitatio Secunda. An motus Ignis ſub concauo Lunæ ſit ſimplex, vel mixtus; & ſi ſimilex, an naturalis, vel violentus?

Dubitatio Tertia. V. Ignis in ſua Sphera luceat, & calefaciat?

Dubitatio Quarta. An Ignis elementaris ſit verus, & eiuſdẽ Speciei cum ſuperiori?

DV-

DVBITATIO PRIMA

An detur elementum Ignis, qui ſit ſub concauo Lunæ ?

1 DAri Elemẽtum Ignis, dubitari non licet, idque clarius apparebit, cum infra oſtendemus eius determinatum locum, de quo magna diſſentio inter nonnullos nouæ Aſtrologiæ profeſſores. Nam Alexander Taſſonius in quæſtionib⁹ varijs, quas ſcripſit italicè q. 1. Areſius lib. 2. de Generatione q. 3. Camillus Glorioſus libro 4. de Cometis cap. 3. & non nulli alij apud Arriagam diſput. 4. de Generatione qu. 4. ſtatuunt Ignem in Cælis, aſſerentes ſolem, Lunam, & alia ſidera eſſe Ignea, ſeu Ignem ipſum Elementarem eſſe in illa corpora diſtributum, vnde negant, Ignem apud nos exiſtentem eſſe verum Ignem, illumque reſidere ſub concauo Lunæ, & dicunt, illum potius eſſe fumum accenſum, quod ita ſuadere conantur; primo; ſi Ignis apud nos exiſtens eſſet verus Ignis, & reſideret ſub concauo Lunæ, maximè quia videmus hunc Ignem noſtrum, non poſſe quieſcere, ſed ſemper ſurſum tendere, & ſupra Aerẽ aſcẽdere: ſed hęc ratio eſt nulla, ergo &c. probatur minor, quia hic Ignis, quem videmus, de ſe nõ magis petit aſcendere, quam deſcendere; & ſicut Ignis flãma aſcendit, ita è contra Ignis carbo, & ferrum Ignitum deſcendit: imo frequenter videmus, flammas è ſublimi deſcendere, & alias in ſubterraneis ſpecubus conſidere, nec ſurſum ferri. ergo hic Ignis, quem videmus, non eſt verus Ignis; nec ex conſequenti eſt ſub concauo Lunæ.

Nõnulli ſtatuunt Ignẽ in Cælis.

2 Dices, quod ferrum ignitum, & carbo non ſunt ſubſtantialiter Ignis, quia nec rara, nec Leuia, vt poſſint aſcendere, & flammæ deorſum labuntur, quia materiæ graui, ac Terreæ adhæreſcunt, & propterea in locis ſubterraneis conſiſtunt, imo ſemper ibi violenter detinentur; vnde frequentius ingenti impetu foras erumpunt, vt quotidie experimur de Ignibus Ethnæ in noſtra Sicilia, & referunt de Igne Veſuuij in campania.

3 Sed Contra, & ſit ſecundum argumentum; ferrũ Ignitum, & Ignis carbo quamuis non ſint ſubſtantialiter Ignis: tamen in poris continent plures particulas Ignis: ergo ab his ſubleuari deberent, ſicut lignum centum librarum demerſum in Aqua ſurſum cõſcendit virtute Aeris incluſi; vel ſaltẽ illæ particulæ Ignis

puri ſurſum euolare deberẽt, cum Forma Ignis ibi ſit diſcõtinuata ab alijs partibus ligni; & ferri, ergo cum neutrũ videamus, hoc ſignũ eſt, quod Ignis, quem videmus, nõ eſt verus Ignis, nec minus eius proprius locus eſt eſſe ſub concauo Lunæ, & id, quod videmus in Ferro Ignito, potius indicant, ibi adeſſe accidentia Ignis. Tertio Arguit Taſſonius. Si locus proprius Ignis eſſet ſub concauo Lunæ, moueretur ſurſum Sphericè, vt poſſet vndequaq; ſuo vniri principio; ſed videmus, Ignem eleuari in Piramidem acutam, ergo hoc indicat, alia de Cauſa Ignem ſurſum moueri, vel quia ſcilicet illa Figura Piramidalis eſt aptior ad ſcindendum Aerem; vt poſſit Ignis facilius moueri ad Stellam ſibi perpendicularem, vel quia fugit Terram, & Aquam, quæ ſunt Elementa frigida, & ſibi contraria. Quarto. arguit *Areſius* cum flamma tendit ſurſum, ille motus non conuenit flammæ ratione Formæ Ignis; ſed ratione materiæ fumoſæ, in qua eſt flamma, & quia talis materia eſt Leuis, propterea leuem trahit flammam; præterquamquod ſi ex motu ſurſum flãmę rectè probaretur, ſferã Ignis eſſe ſub concauo Lunę, deberet etiam concludi, dari sferam fumi, cum etiam ipſe ſurſum moueatur; ſed fumo nullus dedit propriã sferàm, ergo nec ex motu ſurſum tribuenda eſt Igni. Quinto. ſi daretur Ignis ſub concauo Lunæ, vtique ille luceret, nam videmus circa Terram, Ignes in montibus rutilare, deberetque noctu videri, ſicut nitent, & conſpiciuntur ſydera Cæli, quæ proculdubio ſunt remotiora: ſed Ignis ibi non Lucet. ergo &c. Seſto. ſi daretur Elementũ Ignis tantæ molis, vt dicitur, & ſub concauo Lunæ, deberet hæc omnia inferiora conburere, cum ex natura ſua ſit actiuiſſimus, & voraciſſimus, & ob hanc cauſam *Ariſt.* p. Metheor. cap. 3. docuit, quod corpora cæleſtia non ſunt Ignea, quia omnia comburerent, & tamen illa ſunt remotiora Igne. ergo &c. Septimo. non poteſt Ignis ſine alimento conſeruari, vnde videmus ad ſenſum, quod flãma deficit, deficiente oleo, ergo cum ſub concauo Lunæ nullum ſit Pabulum Ignis; non poteſt ibi per tot ſecula conſeruari. Octauo ibi reſidere debet Elementum Ignis, vbi poteſt habere vſum in ordine ad bonum Vniuerſi, aliàs natura non rectè eum diſpoſuiſſet: ſed ſub concauo Lunæ nullum poteſt Ignis habere

habere

bere vſum; ergo &c. Probatur minor: non poteſt habere vſum, vt materia Mixtorum, cum ibi maximè diſtet ab inferioribus, nec ſit modus illuc accedendi: nec minus vt efficiens, propter eandem cauſam; ergo ſufficiens eſt hic Ignis inferior, & calor ſolaris. Nono. ſi ſub concauo Lunę eſſet Ignis, vtique moueretur in Orbem ad motum Orbis Lunæ, atque adeò frigeſceret, nã fluida motu frigeſcunt, ſicut ſolida incaleſcunt, idque conſtat experientia ex ventis, & fluuijs: etenim æſtiuo tempore ſpirante vento, & adducente partes Aeris etiam à loco calidiſſimo, tunc vultus Hominum refrigerantur. Decimo adduci poſſunt nõ nullæ Authoritates Philoſophi; qui primo Metheor. cap. 4. ait. *Superiores diſtantia plenæ ſunt corpore aliquo, & Igne quidem impoſſibile, quia exſiccarentur vtique alia omnia.* & ibid. ſubdit. *Supra Aquam eſſe Aerem & id, quod quamuis Ignem cõſueuimus appellare: Ignis tamen haudquaquam eſt;* Tandẽ argui poteſt ex ſacra ſcriptura, & ſanctis Patribus: nam Genes p. vbi omnis creatio narratur, nulla fit mentio Ignis, & D. Hieronimus epiſt. ad Fabiolam, D. Auguſtinus de Geneſ. ad litteram cap. 3. affirmant Aerem à Cælo ad Terram vſque diffundi, & Rabanus apud Magiſtrum ſentent ait; Paradiſum Terreſtrem vſque ad Cælum fuiſſe eleuatum, quod profectò non potuiſſet fieri, ſi ibi Ignis adeſſet.

4 His tamen non obſtantibus, recedendum non eſt à vera, & peripatetica ſententia, aſſerentium, dari verum Elementum Ignis, illudque eſſe ſub concauo Lunæ tanquam in propria Sede; ita expreſsè Ariſt. p. Cæli cap. 2. & 2. Cæli cap. 3. vbi Igni tribuit ſummam leuitatem, & locum omnibus Elementis ſuperiorem. Ita etiam D. Thomas in p. de Cælo Lect 4. vbi hæc ait expræſsè. *Sed dicendum eſt, quod illa Circulatio Ignis, vel Aeris non eſt ei naturalis, quia non cauſatur ex principio intrinſeco, neque eſt per violentiam, ſeu contra naturam; ſed eſt quodammodo ſupra naturam, quia talis motus ineſt eis ex impreſſione ſuperioris corporis, cuius motum Ignis, & Aer ſequuntur ſecundum completam circulationem, quia hæc corpora ſunt Cælo propinquiora; Aqua vero ſecundum circulationem incompletam ideſt ſecundum fluxum, & refluxum maris; Terra vero velut remotiſſima a Cælo, nihil a tali permutatione participat, niſi ſecundum alterationem ipſius.* Sequitur ſubtiliſſimis D. Tho.

Scotus in 2. diſt. 17.q.2 & in 4.diſt. 47.q. 2.apud Maſtriū,& Bellutum diſp. 4. de Cælo.qu.2. art.p. Ægidi⁹ Ægidius in 2.diſt. 13. q.1.art.p. §. 4. erat: ibi &c. vbi ait. *Per tenebras enim poſſumus intelligere Ignem, qui dicitur tenebra, quia in ſua sfera non lucet, ſed eſt aptus natus recipere Lumen*. Et diſt. 14. q. p. art. 4. diuidens Ignem in duos Cælos, id clarius indicat. Sed in Quolib. 5. qu. 17. volens oſtendere, Ignem in ſua sfera non lucere, expreſsè idē docet, ſic dicens. *Ignis ergo in ſua sfera circa partem illam, vbi habet eſſe purius, vt circa Orbem Lunæ, non calefacit, non ex defectu Agentis, ſed ex defectu potentiæ receptiuæ, quia ſcilicet Orbis Lunæ non eſt ſuſceptiuus peregrinæ impreſſionis* Tandem huic veræ ſententiæ ſe ſubſcribunt omnes Recentiores Philoſophi, & fundamentum efficax ſumi poteſt, quia ille eſt locus naturalis Ignis Elemētaris, ad quē ille, eiuſq; partes naturaliter ferūtur: ſed partes Ignis feruntur ſupra Aerē, ergo eius locus naturalis eſt ſupra illū in concauo Lunæ; maior eſt certiſſima, & minor patet experiētia ſenſuum, quia videmus, Ignē hunc apud nos exiſtentem nūquam quieſcere, ſed ſemper ſurſum tendere: Sed ex ſolutionibus argumentorum multo magis eadem veritas confirmabitur.

5 Ad primum admictimus, quod Ignis debeat reſidere ſub concauo Lunæ, propterea quod illum videmus ſemper ſurſum aſcendere, & nunquam quieſcere; ſed negatur, hanc rationem eſſe nullam: ad cuius probationem rectè ibi dictum eſt, quod ferrum Ignitum, & carbo non ſunt ſubſtantialiter Ignis. Ad replicam, quæ eſt ſecundum argumentum, concedimus, in ferro Ignito, & carbone eiuſque poris eſſe quaſdam particulas Ignis, ſicut In poris ſpongiæ reperitur Aqua, & in poris ligni Aer, ſed huiuſmodi Ignis particulę non eleuant ſurſum nec carbonem, nec ferrum Ignitum, quia earum leuitas non ſufficit ad tantum pondus, & videmus, quod quando aliqua ligni particula non eſt adeo grauis, tunc ſurſum trahitur à Leuitate Ignis, vt conſtat de Scintillis euolantibus ſurſum: Lignum vero Aquis immerſum vehitur ſurſum potius à propria Leuitate, quam à Leuitate Aeris incluſi, nec negari debet, quod aliquæ particulę Ignis incluſæ in poris ligni ſurſum non aſcendant: nam Scintillę videntur ad ſenſum aſcendere ſurſum; quia tamen multæ continentur inter

Soluuntur rationes oppoſitæ.

tet

ter concauitates ligni, & à partibus Igniti corporis impediuntur, ne poſſint tendere ſurſum; propterea multæ ibi detinentur, & deliteſcunt. Præterquamquod Poteſt etiã aſſignari pro cauſa, ne detur vacuum in natura, ſicut ad idem vacuum vitandũ Aqua ſurſum videtur aſcendere, & detineri. Ad tertium Taſſonij dicimus, non habere vim, ſed potius nobis fauere: etenim cur flamma ſcindit velocius Aerem, niſi vt citius ſupra Aerem aſcendat? dicere autem, quod id fiat, ne aſcendat ad Stellam ſibi perpendicularem; eſt voluntariè dictum, quia quam maiorem connexionem, & affinitatem habet potius cum Stella perpendiculari, quam cum alijs? quod ſcilicet Ignis Terram fugit, & Aquam, fugit etiam & Aerem, vt videmus ad ſẽſum, ergo ſuperiorem petit locum; & quia vnum quodq; petit proprium locum per lineam breuiorem, qualis eſt recta, ideo flamma ſurſum aſcendit non ſfericè, ſed in piramidem acutam. Ad 4. Areſij dicimus, falſum eſſe, Ignẽ ſurſum moueri ratione materiæ fumi, quia potius res ſe habet è contra, & flamma trahit fumum, non è contra, patet enim ad ſenſum, quod Ignis aſcendit cælerius fumo, præterquamquod principium motus ſurſum ipſius fumi quod nam eſt? non poteſt dici calor, cum hic non ſit virtus motiua, ergo conueniet fumo ratione alicuius Elementi, in eo prædominantis, quod profectò cum non poſſit eſſe Aer, quia hic in ſuo proprio loco non Læuitat, erit proculdubio Ignis; & adhoc ſequitur, quod ex motu ſurſum fumi non benè deducitur, quod debeat fumus propriam sferam habere, cum fumus non moueatur ſurſum niſi virtute Ignis. Ad quintum, ſeſtum, & ſeptimum patebit in dubitatione tertia ſequẽti, vbi explicabitur, cur Ignis in propria Sfera non luceat, nec calefaciat? Ad octauum Reſpondetur, quod ob generationem Mixtorum multas partes Ignis elementaris natura conſtituit, hinc inde diſperſas; ex hoc tamen non licet inferre, Ignem carere ſuo proprio loco, in quo reliquũ totum elementum Ignis conſeruetur, ſicut à pari licet ad Generationem Mixtorum, & vtilitatem Viuentium natura diſperſerit multas Aquæ portiones in flumina, fontes, & riuulos: ad huc tamen proprium locum eidem Aquę cõſtituit, in quo Aqua vt in propria ſede commoratur. Ad 9. Reſpondetur; ex motu Orbis

Lunę

Lunæ multos deducere eſſe Ignem ſub Cælo, quia ſi motus eſt cauſa caloris ex Ariſt. 2. de Cælo q. 2. certè veriſimile eſt, quod cum Cælum rapidiſſimè voluitur in girum, tunc generatur tantum caloris, vt ille tandem igneſcat hęc tamen ratio pro neutra parte concludit, quia motus per ſe & ex natura ſua neceſt cauſa caloris, nec frigoris, cum id ſolum per accidens cõtingat. Ad decimum ex Authoritatibus. Reſpondetur, & ad illam Philoſophi dicimus, Ariſtotelem ibi velle, quod totum ſpatium à Terra vſque ad Cęlum non ſit ſolo Igne repletũ, quia tunc hæc omnia inferiora combureret: nec corpus Cęlo contiguum vult, eſſe appellandum Ignem, quia Ignis ſub concauo Lunæ non lucet, vt in ſequentibus dicemus, & vocabulum Ignis videtur ab Hominibus impoſitum ad ſignificandum hunc noſtrum Ignem Mixtum, qui conſtat ex materia denſa, & eſt valde cõbuſtiuus: corpus autem Lunę contiguum non eſt huiuſmodi, & proinde non eſt ibi Ignis ſub eo nomine, quo vulgariter Homines Ignẽ appellant. Ad authoritatẽ ex Sacra Scriptura dicimus cum Ægidio in 2. ſent. vbi ſup. & diſt. 14. qu. p. art. p. in reſp. ad tertium, quod in Geneſi, vbi rerum omnium creatio narratur, tunc non ſit mentio Ignis Elementaris ſub propria Forma, quia Moyſes loquebatur Populo rudi, qui de Igne in ſua sfera, vbi eſt purum Elementum, non poterat habere ſufficientem cognitionem: & tunc de Igne ibi facta eſt mentio, cum dictum eſt, *& tenebræ erant ſuper Faciem abiſſi*: per tenebras enim poſſumus intelligere Ignem, qui dicitur tenebra, quia in ſua sfera non lucet, ſed eſt aptus natus recipere lumen, Et tenebræ (inquit Ægidius ibi) ideſt Ignis erant ſuper faciem Abiſſi, ideſt erãt in ſuperficie Aeris, qui tunc poterat vocari abiſſus, propter Aquam, quam habebat admixtam: & hinc eſt, quod Sancti Patres vſi ſunt illo modo dicendi, quod ſcilicet á Cælo vſq; ad Terram ſit Aer diffuſus, intellige, quod ſub Cælo non erat Ignis niſi ſub nomine tenebræ propter carentiam lucis. Ad ſententiam Rabani de Paradiſo Terreſtri poſſumus dicere, eius dictum intelligendum eſſe hiperbolicè, ad ſignificandam altitudinem, & eminentiam illius loci.

†

DV-

DVBITATIO SECVNDA

V. Ignis in ſua Sphera moueatur motu circulari ad motum Orbis Lunæ; & an naturaliter, vel violenter?

1 DVplici concluſione integro quæſito ſatisfaciemus. Prima concluſio. Ignis ſub concauo *Lunæ* exiſtens mouetur motu circulari ad motum eiusdem Orbis *Lunæ*. Ita expreſsè D. Thomas in loco precedenti dubitatione citato; ita etiam Ariſtoteles p. *Metheor.* & cum eo omnes Philoſofi: idque probatur efficaciſſima ratione, quia Primũ Mobile omnes cæleſtes inferiores Orbes ſuo motu diurno raptat ab Ortu in Occaſum etiam ſi ijdẽ orbes cęleſtes motu naturali moueantur in contrarium ſcilicet ab occaſu in ortum, ergo multo magis hæc vehementia motus imprimetur in Ignem omnibus Cælis immediatè ſubiectum, qui minimè nititur in motum contrarium.

Prima cõcluſio.

2 Sed contra dices primo, non eſſe eandem rationem de Cælis Primo Mobili ſubiectis, & de Igne, ac Aere, quia Cæli ſunt Corpora ſolida; Ignis autem, & Aer ſunt Corpora fluida. Reſpondetur, quod fluiditas Ignis, & Aeris ſolum poteſt obſtare, ne ita prontè ſuſcipiant Cæleſtem vertiginem Corpora fluida, vt faciut Corpora ſolida: non tamen fluiditas facit, quin aliquo modo Corpora fluida moueantur in girum, vt patet de Vaſe Aqua pleno, quod dum circumuoluitur, etiam Aqua ibi incluſa circularem patitur vertiginem.

3 Dices 2. concaua ſuperficies Orbis Lunæ ponitur à Peripateticis planiſſima, & terſiſſima, ergo non poteſt ſuo motu ſecum rapere Corpus fluidum Ignis, quia nihil poteſt trahi, & circumduci, niſi partes tracti intrent partes trahentis. Reſpondetur; falſum eſſe, quod Corpus ambiens non poſſit rapere motu ſuo Corpus contentum, niſi in ſuis partibus extremis ſit aſperum, & inæquale, ratione cuius aſperitatis queat Corpus incluſum rapere, & ſecum ducere: nam Corpus incluſum ſufficienter capi poteſt, & comprehendi ab ambiente per concauam eius ſuperficiẽ, vt conſtat de ipſis Cæleſtibus Orbibus, qui a primo *M*obili circumaguntur etiam ſi concaua eius ſuperficies ſit terſiſſima.

4 Secunda Concluſio. Hic motus Ignis ad motum Orbis Lunæ reuera nec eſt naturalis, nec minus violentus, ſed non naturalis, ſeu neuter, quia

Secunda cõcluſio.

quia neceſt ſecundum naturam Mobilis, neque contra naturam eiusdem, ac proinde dici poteſt præter naturã, vel ſupra naturam, ſeu non naturalis. Ita D. Thom. p. de Cælo cap. 10. cuius verba ad litteram retulimus in dubitatione præcedenti: Ita etiam Auerr. 3. de Cælo comm. 20. apud Auguſtinum Niphum Sueſſanum in lib. p. de Cælo text. 16. ſic dicentem. *Nam Ignis in eius regione agitatione perpetua torquetur, & conſtat, ipſum moueri circulari motu nõ tamen ſecundum naturam.* Nec diſſentiunt Scotiſtæ, qui admittunt motum neutrum inter naturalem, & violentum; videantur Maſtrius, & Bellut. in diſp. 6. phiſic. q. 3. Ægidius quoq; in Quolib. p. q. 13. dum concedit quietem mediam inter naturalem, & violentam: eamque vocat nõ naturalem, conſequenter non negabit motum medium inter violentum, & naturalem, qui etiam commodè vocari poſſit non naturalis. Probatur autem concluſio ratione, quia motus ille, quo mouetur Ignis in ſua sfera ad motũ Orbis Lunæ, non eſt naturalis, quia nec cauſatur ex principio intrinſeco, nec minus eſt ſecundum naturam ipſius Mobilis, vt patet, quod dicimus propter motum Cæli, cuius motus & ſi non ſit naturalis propter carentiã principij intrinſeci, eſt tamen naturalis, quia eſt ſecundum naturam ipſius met Cæli, vt oſtendimus ſuo loco; nec motus Ignis, quo mouetur ad motum Orbis Lunæ, eſt violentus, tum quia non eſt contra naturam Ignis, tum etiam quia talis motus eſt in Igne à cauſa ſuperiori, quod ſufficiens eſt, vt non dicatur contra naturam. Ex Ægid. in 2. diſt. 14. q. p. art. 3. dubio later. tertio; §. poſſumus autem &c. Eſt ergo ille motus Ignis in ſua sfera non naturalis ſeu præter naturalis, vel potius Neuter.

D. Tho. Auerr. Auguſ. Niph. Scotiſtæ Aegid.

Concluſio probatur ratione.

5 Petes, hic motus naturalis, quem habet Ignis in ſua sfera, eſt ne ſimplex, vel mixtus? Reſpondetur; ſupponendo prius, quod motus ſimplex eſt ille, qui fit ſuper lineam ſimplicem, vel rectam, vel circularem, vt diximus in diſput. p. qu. 2. dub. p; motus vero mixtus eſt compoſitus ex his motibus ſimplicibus, & fit ſuper lineam ex recta, & circulari compoſitam; Nunc Reſpondetur ad dubiũ; quod ſi motus Ignis in ſua sfera cõficit ſolam lineam circularem, ſic eſt motus ſimplex; ſi vero ex partibus Ignis quędam aſcendunt; aliæ deſcendunt, & hæ ad dexteram, aliæ ad ſiniſtram,

niſtram, vel alijs modis agitantur; ſic talis motus non erit ſimplex; ſed potius mixtus, quia fiet ſuper lineam ex recta, & circulari compoſitam.

DVBITATIO TERTIA

V. Ignis in ſua Sphera Luceat, & Calefaciat?

Ratio dubitandi.

1 RAtionem dubitandi pro vna parte faciunt illa tria argumenta, quæ reliquimus inſoluta in præcedenti dubitatione prima, quibus oſtēdebatur, quod Ignis in ſua sfera nec luceat, nec calefaciat.

2 Pro altera vero parte videtur, negari non poſſe, quod Ignis in ſua Sede Luceat, & calefaciat, quia Ignis in ſua sfera eſt in potiſſimo ſuo eſſe, ergo calefacit, & lucet, cum huiuſmodi actiones ſint maximè competētes Igni in ſuo eſſe conſtituto.

Duplici cōcluſione Reſpōdetur quæſito.

3 Iuxta tamen duplicem quæſiti partem, duabus concluſionibus Reſpondendum eſt. Prima concluſio. Ignis in ſua sfera circa partem illā, vbi habet purius eſſe, vt circa Orbem Lunæ non calefacit, non ex defectu ipſius Ignis; ſed ex defectu potentiæ receptiuæ. ita Ægid. in Quolib. 5. q. 17. & probatur, quia Orbis Lunæ non eſt Suſceptiuus peregrinæ impræſſionis, ergo deeſt ibi calefactibile, ergo ibi non poteſt Ignis calefacere; antecedens eſt omnibus in confeſſo, & prima conſequentia ſequitur, probatur conſequentia vltima; quia nullum Agens ſecundum poteſt agere, vbi non præſupponitur potentia receptiua; ſed Ignis in ſua ſphera circa partem illam, vbi habet eſſe purius, vt in concauo Lunæ, non habet calefactibile, in quo poſſit recipi eius actio; ergo ibi non poteſt calefacere non ex defectu ſui, ſed ex defectu combuſtibilium. Quantum vero ad partem ſpheræ Ignis inferiorem, vt quantum ad Ignem, qui attingit Aerem, poteſt ibi eſſe actio, vel paſſio, quia ibi poteſt Ignis ſuam actionē exercere, cum ibi ſint Vapores, qui ab hic inferius eleuantur, aſcendunt, & inflammantur.

Secunda cōcluſio.

4 Secunda concluſio. Ignis in ſua ſphera vt in concauo Lunæ non lucet. ita etiam Ægid. vbi ſupra. & probatur, quia omne recipiens ſemper eſt denudatū à natura recepti, vt pupilla, vel Aer, quia recipit ſimilitudinē caloris, eſt abſcolor; ſed Diaphanum eſt ſuſceptiuū Luminis, ergo ipſum ſecundum ſe non lucet;

& propterea Philoſophus in 2. de Anima text. 69. vult, quod lumen eſt actus lucidi, ideſt actus diaphani quaſi color eius: Ignis ergo propter ſuam diaphaneitatem non lucet.

5 Dices Ignem eſſe de natura lucis, quia diaphanum, & perſpicuum eſt de natura lucis; ergo Ignis in ſua ſphera lucet. Reſpondetur, neg. conſequentiam, nam plus eſt eſſe lucem, quam eſſe de natura lucis; Ignis enim eſt quidē de natura lucis, cum participet naturam illius: ſed reuera in ſua ſede non lucet, quia nō poteſt huiuſmodi lucem in aliud effundere propter raritatem ſuarum Partiū: ſtella enim lucet, quia eſt ſpiſſior pars ſui Orbis, eſtque quædam aggregatio luminis in orbe; Orbis autem non lucet, quia caret ſpiſſitudine partium; cum ergo Ignis in ſua ſfera non habeat partes ſpiſſas, ſed raras, ſequitur, quod Ignis in ſua ſphera non lucet; quod ſi tamen vapores eleuantur vſque ad ſferam Ignis, & ibi inflammentur; tunc materia illorum vaporū inflammatorum eſſet ſpiſſior, quam materia Ignis, & propterea illi vapores ſic inflammati lucerent. Concluditur ergo, quod Ignis in ſua ſphera quamuis ſit in ſuo eſſe potiſſimo, tamen ibi non calefacit propter defectum calefactibilis, nec minùs lucet, propter raritatem partium.

Ignis eſt de natura lucis ſed non lucet.

DVBITATIO QVARTA.

V. Ignis hic inferior ſit Verus Ignis, & eiuſdem ſpeciei cum Igne Elementari?

1 TAſſonius in libro diuerſarum Quæſtionū q.p. putat, Ignem hunc inferiorem non eſſe alium, quā ipſius ſolis calorem in materia combuſtibili accenſum; Alij vero apud Areſſium 1. de Gener. diſp. p. de Elementis qu. 2. ſect. 3. concedunt, hunc noſtrum Ignem eſſe verum, ſed diuerſæ ſpeciei ab Elementari, & fundantur primo in eo, quod Ignis noſter eſt principiū Lucis: Ignis autem Elementaris minimè; Item hic noſter Ignis indiget alimento, elementaris vero nequaquam; Rurſus hic inferior Ignis habet excrementa ſcilicet cinerem, & Carbones, non ita elementaris; ergo vel hic Ignis apud nos exiſtens non eſt verus Ignis; vel ſi eſt, erit alterius ſpeciei ab elementari, quia differentiæ quæ intercedūt inter vtrumque concludunt diuerſitatē ſpecificam: ſecundo adiungi poteſt Authoritas Ariſt. 5. Topic.

Topic. text. 54. vbi docet, *Quod non eſt vna ſpecies Ignis: nam diuerſum eſt carbo, & flāma, & lux*. Tandem, inquit Auuerroes 4. Cæli text. 32. Ignem noſtrum non Generare, ſed corrumpere animalia; Elementarem vero vtique; ergo vel Ignis hic noſter non eſt verus Ignis, vel non eſt eiuſdem naturæ Specificæ cū elementari.

2 Sed Comunis & vera ſententia eſt, Ignem apud nos exiſtentem eſſe verum Ignē, & eiuſdem ſpeciei cum elementari: ita colligi poteſt ex Ariſt. p. Cæli textu 19. & lib 3. text. 92. & lib 4. text. 22. Ita etiam Ægidius, & Scotus in 4. diſt. 47. q. 2. & diſt. 49. q. 16. & prima pars, quod ſcilicet Ignis noſter non ſit purum accidens, vt voluit Taſſonius, ſed verus Ignis; probatur. quia calor quantumcumque intenſus nunquam comburit, ſed calefacit, nunquā aliam deſtruit ſubſtantiam, quamuis ad eius corruptionē diſponat: turſus nullum accidens per ſe habet vim generandi, vel corrumpendi ſubiectum: ſed Ignis noſter non tantum calefacit, ſed comburit, & generat, & deſtruit aliam ſubſtantiam, ergo Ignis noſter non eſt accidens, ſed potius ſubſtantia, & ex conſequenti verus Ignis eſſentialiter. Probatur modo altera pars, quod nempe hic Ignis inferior ſit eiuſdem ſpeciei cū elementari: nam licet differant ſecundum accidentia, vt ſecundum raritatem, denſitatem, puritatem, & alia accidentia, quæ ſe tenent ex parte materię, in qua eſt Ignis, tamen non differunt in Accidentibus, ſe tenentibus ex parte Formæ, vt in Qualitatibus tam actiuis, quam motiuis, quia vtrique Igni conuenit calor, & motus ſurſum.

Hic Ignis inferior eſt verus Ignis.

Hic Ignis inferior eſt eiuſdem ſpeciei cum elementari.

3 Ad Oppoſitas rationes Reſpondetur, & ad primam dicimus, quod ex illa Accidētium varietate non ſufficienter colligitur diuerſitas ſpecifica inter vtrumque Ignem; quia illa diuerſitas non prouenit ex natura vtriuſq; Ignis, nec ex ratione Formæ; ſed per accidens, & ratione vel Materiæ, vel loci, in quibus Ignis reperitur; vt autem ad ſingula occurramus, dicimus, quod vterque Ignis eſt principium lucis: ſed Elementaris nō videtur ob eius raritatem, lux. n. nō terminat viſum, niſi in materia denſa, & opaca, vt conſtat de Aere Illuminato, qui ob eius raritatem non videtur; Item noſter Ignis indiget pabulo, quia non eſt in propria Sede, & ſemper ſurſum euolat, vt oſtendimus in dubitatione prima, concluſ.

prima. Tandem hic Ignis noſter habet excrementa, quia eſt in materia aliena non in propria, vt Elementaris, & quia quando eſt in materia Terrea, vt in carbone, ligno &c. illa pars, quæ eſt magis terrea, non conuertitur in Ignem, propterea fit cinis, & excrementum. Ad ſecundã ſi aliquid probaret, conuinceret etiam diſtintionem ſpecificam inter ipſos Ignes inferiores, & propterea dicendum, quod Ariſt. intelligẽdus eſt de diuerſitate ſpecifica accidentali, non eſſentiali: nam omnes illæ differentiæ, quæ contingere poſſent inter vtrumque Ignem, non ſe tenent ex parte Formæ, ſed Materiæ, quia Ignis, qui eſt carbo, fit ex materia Terrea; flamma vero ex materia Aerea. & eodem modo reſpondendum eſt ad tertium; nam illa diuerſitas in agendo non prouenit ex pura natura ſpecifica, nec ex ratione vtriuſque Formæ, ſed ex varijs accidentibus cum natura ſpecifica coniunctis, vt vel ratione Materiæ, vel loci, modo pluries explicato.

DE METHEORIS IGNEIS.
Vbi de Cometis.

Dubitationes Sex.

Dubitatio Prima. V. Cometæ generentur ex Materia Cæleſti, vel ſint ex Materia ſublunari?

Dubitatio Secunda. An Cometæ Generentur in Cælo, vel in regione elementari?

Dubitatio Tertia. Quo motu, & tempore Generentur Cometæ?

Dubitatio Quarta. Quid ſint, & quomodo fiant Tonitrua, quæque ſit illorum Cauſa?

Dubitatio Quinta. Quid ſint fulgura, & fulmina?

Dubitatio Seſta. de illis Metheoris Ignitis, quæ fiunt in media, vel potius in Infima Aeris regione.

DVBITATIO PRIMA

V. Cometæ generentur ex Materia Cæleſti, vel ſint potius ex Materia ſublunari?

1 PHiloſophantes antiqui, quos refert Ariſt. primo Metheor. cap. 6. putarunt, Cometas eſſe Aſtra Cæleſtia, & de numero Stellarum errãtium; aliqui tamen vt Pitagorici dicebant, eſſe vnam Stellam certis temporibus apparentem, alij vero vt Anaxagoras,

goras, & Democritus dicebant, non eſſe vnam, ſed potius combinationem pluriu n Stellarum, à quibus omnibus parum diſtare videtur Cardanus lib. 4. de ſubtilit. dum aſſerit, Cometas eſſe quædam ſecundaria Aſtra in Orbibus planetarum non ita firma ſicut alia, quæ tunc apparent, cum illuſtrantur à Sole, atque à Deo omnes in eo conueniũt, vt dicant, Cometas non generari ex *M*ateria ſublunari, ſed potius Cæleſti, quod ſuaderi ſic poteſt primo. Eſt interdum tanta Cometarum moles, vt ſi totus Terreſtris Globus reſolueretur in halitus, non ſufficeret, pro tanta mole conſtituenda, & multo minus, vt poſſet tam longo tempore ſubſtentari. 2. Halitũs terreſtres non poſſunt eleuati niſi a calore, vel a leuitate ipſis ab extrinſeco *Sole*, alijsque Aſtris impreſſa; ergo non poſſunt aſcendere niſi quousque acquiſita caliditas manet; ſed iſta ab intenſo frigore ſecundæ regionis diſſipatur, Cometæ autem multo altius effulgent, ergo terreſtres halitus, & vapores non poſſunt eſſe *M*ateria, ex qua generentur Cometæ, 3. etiam admiſſo, quod vapores terreſtres aſcenderent mediam *Ae*ris regionem, non propterea ex illis poſſent generari Cometæ, quia 2. Aeris regio eſt calidiſſima, propter quod halitus terreſtres etiam ſi ſint bene compacti, & condenſati, tamen ob vicinitatem *I*gnis ſemper ex nimio calore diſſoluerentur, vel ſaltem non ſẽper poſſent eandem retinere figuram, præſertim cum ponantur á Cæli motu celerri mè rapi, nec ſint tantę conſiſtétiæ, vt eius impetum diu patiantur. 4. ſi ponatur, quod Materia Cometis ſit exhalatio craſſa, pinguis, & acriter compacta, tunc etiam ponendum eſt, quod talis Materia habeat grauitatem ſibi connaturalem, ergo tunc Cometa deorſum deſcenderet, cũ ſit ingentis magnitudinis. Quinto hæc *M*ateria terreſtris continuo ab Igne depaſcitur, ergo cum per inflammationem concipitur, tunc Cometa pabulo indigebit, & ſi dicatur, continuo aſcendere nouos halitus, & vapores, certè id mirum videtur, quia Cometæ vagantur per omnes *M*undi regiones, & *Situ*, & Tempore differentes, in quibus non eſt credibile tam in promptu reperiri exhalationes, vt depaſcatur Cometa; & dato, quod prę ſto ſic adſint, eſt maximè mirum, quare cum perueniant ad illam Aeris regionem ſic calidiſſimam, non ſubitò accendantur, cum ſint valde

ad

ad accenſionem procliues.

2 Sed verum ab omnibus approbatum Iuditium eſt illud *Ariſt.* in p. *Metheor.* cap. 6. Cometam non eſſe ex Cæleſti materia compactum, ſed potius ex ſublunari, & quod non ſit vna Stella erratica, ex eo probatur ab Ariſt. quia vno, & eodem tempore plures ſimul Cometæ ſunt cõſpecti; deinde cum Cælum ſit Diaphanum, & translucidũ, difficilè explicari poteſt, cur Cometa modo apparet, & modo non, igitur Cometa non eſt vna Stella erratica.

Cometæ nó ſunt ex Materia Cęleſti, ſed ſublunari compacti.

3 Quod vero neque ſit Cõbinatio plurium ſtallarũ, multo facilius oſtendi poteſt, quia vel tales Stellæ eſſent illæ, quas Planetas appellamus, & hoc non, quia Cometa cernitur ſeparatus a quocunque Planeta: vel eſſent aliȩ Stellæ diſtinctæ à Planetis, & hoc neque, quia ſi plures Stellulæ coadunari deberent ad conſtituendum Cometam, prius videretur dimidium Cometæ, & poſtea totus: quia prius tres vel quatuor ſimul coibũt Stellulæ, quam decem, vel viginti, cum hæc coniuntio debeat fieri paulatim ex motu Cæli; hoc autem eſt contra experientiam, vt patet &c.

4 Quod denique Cometa non ſit ex materia Cæleſti, ſed Sublunari, ex eo probatur, quia materia Cæleſtis eſt incorruptibilis, & inuariabilis, Cometæ autem modo comparent, & ſubito diſparent; modo fiunt magni, & ſtatim ſunt minimi, quod proculdubio indicat, eorum materiã eſſe ſublunarem.

5 Petes. Quæ nam ſit hæc materia ſublunaris, ex qua generantur Cometæ? Reſpondet Ariſt. vbi ſupra; eſſe exhalationem ſiccam, & calidam, pinguem, & craſſam, atque viſcoſam, & ex partibus benè coaggmentatis conſtantẽ, quod Ægidius noſter viſus eſt attigiſſe in quolib. 5. qu. 17. ſub his verbis. *Quantum ad ſpheram Aeris, inquam poteſt Ignis ſuam actionem exercere, & quantum ad vapores, qui eleuantur hic inferius, & aſcendunt, & inflammantur, & ſic ibi aſcendens, vel deſcendens, vnde videntur Stellæ cadere, vel aliud motum habere, quod non conuenit niſi ex vaporibus inflammatis.* Ægidi*

6 Nec mitum ſi Ægidius vocat cometam ſub nomine Stellæ: nam idem Ægidius in 2. ſent. diſt. 14. qu. 1. art. 4. diſtinguit cum Rabano Ignem in duos Cælos iuxta diuerſitatem, quam Ignis habet in ſuis partibus; illamque partẽ ſuperiorem, quæ eſt iuxta ſpheram Lunȩ, Vbi eſt purus Ignis, vocat Cælum Igneum: partẽ

vero

vero inferiorem, vbi eſt Ignis non ita purus, vocat Cælum Olimpium, à quodam monte, qui dicitur eſſe in *Macedo*nia, qui vocatur mons Olimpij, & dicitur eſſe tantæ altitudinis, quod traſcendit omnes nubes: ſi ergo Ignis poteſt aliquo modo Cæli nomine nuncupari, non eſt mirũ, quod Cometę vocentur etiam ab Ægidio ſub nomine Stellæ.

7 Quod ſi in hoc ſenſu Philoſophantes antiqui velint, Cometas eſſe Aſtra Cæleſtia, illis profectò non eſt contradicendum.

8. Ad primum eorum argumentum Reſpondetur cum Auerſa qu. 13. lect. 4, quod non opus eſt, Cometam eſſe tantæ molis in profunditate, quantæ eſt in latitudine: ſed poteſt ſe habere inſtar nubiũ, quæ in Aere non tam in altũ, & profũdũ craſſeſcunt, quãtum in latitudinem extendũtur. Ad ſecundum dicimus, quod Terreſtręs exhalationes præſertim quæ ſunt magis vigoroſę, multo altius aſcendunt, quam ad mediam Aeris regionem, & eo magis, quo maior vis attractiua *A*ſtri, à quo etiam fouentur in calore, & leuitate, dum tranſuolant à ſecundà *A*eris regione vſque ad ſuperiorem. *A*d tertium dicimus, quod vapores, & halitus Terreſtres cum habeant multum de viſcoſa pinguedine, facilè detinentur in vnum globum; & maſſam, & ſemel conſtipati, non facilè à motu Cęli diſperguntur, quia ille motus vniformis eſt, & quodammodo lentus ob diſtantiam à prima sfera, & cũ aqueo vapore ſint permixtæ, habent, vnde calori illius regionis poſſint obſiſtere, imo ardorem ſemel conceptum diutius tolerare pro qualitate ſuæ complexionis. *A*d quartum Reſpondetur, quod exhalatio craſſa, ex qua dicimus fieri Cometam, non deſcendit; quia ſubſtentatur tum à leuitate Ignis in ipſa concepti, tum etiam auirtute attractiua Aſtri, a quo fuit eleuata. Ad quintum dicimus, quod ſuperior illa regio eſt ſemper referta exhalationibus, quæ in magna copia longo temporis tractu ibi congregantur, ex his ergo, & alijs, quæ paulatim aſcendunt, poteſt ali Cometa; nec mirũ, quod noua materia, quæ illuc aſcendit, non illico ardeat, per hoc quod attigerit illam ſupremam Aeris regionem; quia ex tranſitu per mediam regionem multum de humiditate potuit acquirere, ſicut videmus puluerem bellicum ad ardorem valde propẽſum non ſtatim concipere flammã.

cum.

cum in loco humido extitit, & poteſt interdum euenire, vt exhalatio celerrimè tranſeat per mediam regionem, vnde parum humiditatis acquirens; quando ad ſuperiorem regionem defertur, poteſt illa humiditate deſerta, illico incendi, & fieri ſtella diſcurrens.

DVBITATIO SECVNDA

V. Cometæ generentur in Cælo, vel in Regione Elementari?

1 NOnnulli Recentiores Aſtrologi Inſigneſque Mathematici præſertim, qui volunt Cometam gigni ex Materia Cæleſti, & non ſublunari, conſequenter habent aſſerere, non in ſuprema Aeris regione generari Cometas, ſed potius in Cælo ſupra omnem regionem Elementarem. Ita Lico Brahæ lib. 2. Progymnaſmat. cap. p. Camillus glorioſus lib. 5. de Cometis cap. 1. Sceplerus lib. p. in Epithom. p. 3. & plures alij apud Auerſam q. 33. ſect. 4. imo, & Galileus lib. italicè ſcriptus. *Il Saggiatore.* quem refert, & ſequitur Areſius lib. 2. de Gener. q. 4. cap. 2. quamuis cum Ariſt. dixerit, Cometas formari ex halitibus Terreſtribus eleuatis a terra, ait nihilhominus, eoſdē halitus ad Cæleſtē vſque regionem aſcendere, ibique condenſari, & illuſtrari, atque hunc in modum nobis apparere.

2 Dicendum tamen cum comuniori, & ſaniori rectè Philoſophantium Iuditio, Cometas omnes, qui naturaliter fiunt, gigni in regione Elemētari ſub Cælo, & nullatenus in Cæleſti. Ita expreſsè docuit Philoſoforum Magiſter Ariſt. in primo Metheor. cap. 4, & colligi poteſt ex Ægidio tum in quolib. 5. q. 17. ſub illis verbis in præcedenti dubitatione relatis, tum clarius 2. ſent. diſt. 14. p. p. art. 4. cuius verba ad litteram adducemus infra in ſolutione ad primum, & probatur primo ex effectibus, & frequenti variatione Cometarum; nam repente viſi ſunt creſcere, & decreſcere; interdum ſcindi, & diſſecari, & aliæ mutationes in eis ſunt obſeruatæ, ergo plané demonſtrant, nullatenus eſſe Cometas in illa Regione Cæleſti comproductos, à qua mutationes exulant. Cometę fiunt in regione elementari.

3 Adiungi poteſt ratio naturalis, quæ valde cruciat Tyconiſtas, quomodo enim poſſunt in Regione Cæleſti efformari Cometæ, cum nulla ſit ibi Materia pro Cometis? Reſpon-

ſpondet Sceplerus, & Camillus glorioſus vbi ſupra Cometas formari in Cælis ex quibuſdam exhalationibus, & vaporibus à corporibus Planetarũ egredientibus pręcipuè ipſius Solis: ſed Contra; quia corpora Cæleſtia nõ ſolum ſpecie, ſed etiam genere diſtinguntur à ſublunaribus, ergo non licet diſcurrere de corporibus Cæleſtibus per ea, quæ videntur in ſublunaribus: cum igitur exhalationes egrediantur de ſublunaribus ratione Qualitatum Elementorum, quarum corpora Cęleſtia ſunt penitus expertia, non videtur conſonum veræ Philoſophiæ, quod à corporibus cæleſtibus egrediantur vapores, ex quibus Cometæ producantur.

Cometæ qui fiunt naturaliter in, regione ſublunari generãtur.

4 Concludendum ergo, q̄ Cometę, qui naturaliter fiũt, ſicut non ex materia Cæleſti, ſed ſublunari efformantur, ita non in Cæleſti regione, ſed potius ſublunari generantur.

Ex Speciali Dei prouidẽtia Cometę poſſunt exponi in regione Celeſti.

5 Non negamus tamen; quin Deus iuxta ordinem diuinę ſuæ prouidentiæ poſſit aliquem, vel aliquos exponere Cometas in regione Cæleſti ad futurum aliquid præſignandum: nam apud Hiſtoriografos non ſemel, ſed pluries id legimus contigiſſe; & in hoc poſſumus fidem aſtrologis adhibere, dum dicunt, aliquando conſpexiſſe Cometas ſupra Lunam; id quidem fatemur: ſed addimus, tales Cometas eſſe de illorum numero, qui ex ſpeciali Dei prouidentia exponuntur in Cælis, ad pręſignandum aliquod in Orbe Terrarum magni momenti futurum.

Contra obijcitur authoritate Ariſtotilis;

6 Sed contra ſtabilitam noſtrum aſſertionem multa poſſunt obijci non parum difficilia. Et primo loco ſe offert Inſignis authoritas Ariſt. qui in primo Metheor. ſum. 1. cap. 1. loquens de loco Cometarum, ait. *Cometas generari circa locum maximè propinquum Lationi Aſtrorum:* Sed latio Aſtrorũ eſt ottaua Sphera, & Cælum ei propinquum eſt Sphera planetarum; ergo ſecundum Ariſt. Cometæ fiũt in regione Planetarum. Deinde idem Ariſt. ibid. cap. 3. teſtatur, ſe vidiſſe cometam in femore canis ſub his verbis. *Earum enim, quæ ſunt in femore canis, ſtella quadam habuit Comam.* Tandem cap. 4. declarans ſuam ſententiam, conſtituit duplex Cometarum Genus, alterum ſcilicet elementarium, & aliud Cæleſtium. Ecce eius verba. *Quando igitur in ipſa inferiori loco principium conſiſtentiæ fuerit, per ſe apparet cometes.* Ecce primum Genus cometarum, quod cit efformari in inferio...

gione elementari. *Quando autem ſub Aſtrorum aliquo aut non errantium, aut errantium à motu conſtiterit exhalatio, tunc Cometes horum fit aliquis.* Ecce aliud Genus Cometarũ Cæleſtium; quod amplius nõ in loco inferiori dicit generari, ſed ſupra in Regione Cæleſti ſub aliquo aſtro. Ita ingenioſe ſatis diſcurrit Licetus de mente Ariſt. lib. 1, cap. 4. 44. & 45.

Loca Ariſtotelis explicatur.

7 Sed Reſpondetur; aliam eſſe intelligentiam relatorum verborum; & ad primam authoritatem ex cap. primo Metheor. dicimus, quod per lationem Aſtrorum non intelligit Ariſt. Octauam Spheram, quia non in ea omnia Aſtra feruntur: ſed intelligit totam regionem Cæleſtem, & per locum maximè illi propinquũ intelligit regionem elementarem illi contiguam, ſiue ſit Igne repleta; ſiue Aere, & in hac dicit *Ariſt.*, apparere Cometas: quod autem hæc explicatio ſit iuxta mentem Philoſophi, poſſumus hic adducere quandam doctrinam Ægidij valde ad propoſitum, quam fundantiſſimus Doctor habet in 2. diſt. 14, q. 1. art. 4; vbi explicás numerum Celorum, ait, quod etiam Ignis, & *Aer* poſſunt vocari nomine, Cæli, imo vtrumque elementum diſtinguit in duos

Doctrina Ægidij ad propoſitum.

Cælos. accipite eius verba. *Diſtinxit ergo Rabanus elementum Ignis in duos Cælos in Igneum, & Olimpium, & diſtinxit elementum Aeris in duos Cælos propter duas partes Aeris, quia vna pars Aëris eſt valde ſicca propter Ignem, cui appropinquat, & illam partem vocauit Cælum æthereum, quaſi ſiccum, & inflammatum, quia ſecundum Philoſophum in libro de Calo, & Mundo nomenætheris deſignat corpus, quod ſit motus velocis, & cito inflammabile, atque inflammans: aliam autem partem Aeris inferiorem, vbi aues iſtæ volitant, vocauit Cælum Aereum.* Hæc Ægidius ibi, & ne dicatis, Ægidium ibi non loqui in propria ſententia, ſed ad mentem Rabani, accipite eundem Magiſtrum ibid. in ſolutione ad tertium. *Ad tertium dicendum, quod Aer, & Ignis poſſunt nominari nomine Cæli propter aliquam aſſimilationem, quam habent cum Calo: nam Cælum eſt altum, & eſt Diaphanum, ſicut videmus in Cælis planetarũ, quia quodlibet Cælum cuiuslibet Planetæ eſt totum Diaphanum, præter ſolum Planetam, quem continet Aer, & Ignis; & propter iſtas duas aſſimilationes quia ſunt eleuati, & Diaphani, poſſunt vocari Cæli: nam dicitur Lucæ 8. iſtam partem Aeris inferiorem, vbi ſunt volucres,* vo-

Aer, & Ignis poſſunt vocari Cæli

vocauit Cælum. iuxta illud. volucres Cæli comederunt illud. & in Geneſi: Aer vbi ſunt volatilia pennata, etiam vocatur Cælũ; iuxta illud; Dominamini piſcibus maris, & volatilibus Cæli. Si ergo pars inferior aeris poteſt vocari Cælum: multo magis pars ſuperior aeris, & rurſus pars inferior, & ſuperior Ignis potuerunt vocari Cæli: Aqua tamen licet ſit elementum, & ſit Diaphanum; non tamen debet vocari Cælum, quia non habet altitudinem, cum ſit recepta in Cauernis Terræ: Terra etiam nec debet vocari Cælum, quia eſt infima, & non eſt diaphana. Quid clarius?

8 Quoties ergo apud Ariſt. vel alios doctores inuenitur, quod Cometæ generentur in Cælis, rectè poterunt explicari, quod per Cælos ibi non intelliguntur 7. Cæli Planetarum, ſed Cæli elementares ſcilicet Ignis, & Aeris. Et vt ad ſingula occurramus loca Philoſophi. dicimus, ibi non eſſe mentem Philoſophi, vltra Cometas elementares, qui generantur in Regione elementari ex exhalatione calida, & ſicca, alios conſtituere Cometas Cæleſtes; ſed ſolum docet, interdum Comam appendi alicui ex Stellis nobis notis, vel fixæ, vel erranti, ita tamen vt coma vel cauda non quidem in ipſo Cælo exiſtat, vbi eſt Aſtrum, ſed in Regione elementari ei perpẽdiculariter ſuppoſita.

9 Obijcies ſecundo. Si Cometæ efformarentur in Regione Elementari ſub Cælo, ſequeretur, quod non poſſent conſpici ab omnibus regionibus, ſibi inuicem diſtantibus ob propinquitatem ad Terram: nam Globoſitas Terræ poſſet ex vna parte aſpectum impedire: ſed eſt omnibus certum, Cometas in vno eodemque tempore fuiſſe conſpicuos diſtantiſſimis regionibus, vt multi teſtificantur de Cometa, qui apparuit anno 1618. ergo &c. Reſpondetur; quod ſi ponamus, Cometam efformari, vel propè confinia Lunæ, vel rectius in ſuprema Aeris regione, quæ multo altius eſt attolenda, quam comuniter à Peripateticis fiat, tunc vtiq; poterit eodem tempore ſimul à pluribus quantumuis maximè diſtantibus locis intueri, nec opus erit, illum euehere ſupra Lunam.

10 Obijcies tertio, ſi Cometa fieret in Aeris regione, eſſet ita Terræ vicinus, quod vniuerſam Terram incenderet, & inflammaret: ſed hoc non eſt dicendum. ergo &c. Reſpondetur; Cometam nõ eſſe adeo immenſæ magnitudinis, nec adeo proximum Terræ, vt a-

q 2 liquod

liquod periculum, vel incommodum ei timere debeamus, quia elementum Aeris multum verſus Cælum attollitur. Pręter quam quod eſt valde probabile, quod Cometa non ſemper fiat per accenſionem exhalationis, ſed aliquãdo per ſimplicem illuſtrationẽ à radijs ſolaribus factam.

11 Reſtat igitur, quod Cometarum locus, in quo gignuntur, & efformantur, ſit tantum Regio Elementaris; & vero ſimilius eſt magis fiant in Aeris regione, quam in regione Ignis, quia hic vt dicebamus in præcedenti dub. 9. propterea in ſua ſphera non calefacit, quia ibi non adeſt calefactibile, nec combuſtibile; modo ſi dicamus, Cometas in Ignea Sphera formari, ſequeretur, quod horum materia cito diſſolueretur: efformatio ergo Cometarum fit in Aeris Regione non quidem in Infima, vel media, ſed ſuprema tũ propter huius regionis frigiditatem, tum etiam propter altitudinem Cometarum, & maiorem diſtantiam à Terra.

DVBITATIO TERTIA.

Quo motu, & tempore generentur Cometæ?

1 ANgeſtus apud Auerſam loco in præcedenti dubitatione relato notauit, Cometarum motum varium eſſe, mouentur enim ab Oriente in Occidens per motum raptus ad motum Aeris circumuecti, cui inſidet vt vehiculo; & quia propter ſuã molem, & craſſitiem aliquãtulum innititur illi raptui, fit, quod vt plurimum tardius mouetur, quam ipſum Cælũ Aeris: mouetur etiam à Septentrione ad Auſtrum, & è contra, Item ſurſum, & deorſum, vel quia ex hac, & illa parte eidem ſuppeditatur noua materia exhalationis, ad quam vt ad pabulum ſerpit Ignis, vel certius ob virtutem alicuius ſyderis, illuc Cometam attrahentis. Varius eſt Cometarũ motus.

2 De tempore, quo generantur, & durant Cometæ, non eſt magna difficultas: nam comunis ſententia tenet, quocunque anni tempore poſſe gigni, licet præ cæteris autumnale tempus ſit aptius tũ propter copiam exhalationis viſcoſæ genitæ in præcedenti æſtate, tum etiam quia tali tempore poteſt omnis exhalatio facilè eleuari, & non adeò tunc viget calor in ambiente, qui eam diſſipet, & diſſoluat.

3 Nec habet Cometa ſuæ durationis certam menſuram, ſed eo magis; vel minus durat, quo plus, vel minus exhala-

halationis pro Pabulo ſuggeritur, vel ſecundum quod materia Cometæ fuerit déſior, & difficilior ad reſolutionem, vel demum ſecundum quod magis, vel minus diſtabit à Sphera Ignis; nam qui minus diſtat, citius reſoluitur propter vicinitatem caloris.

DVBITATIO QVARTA.

Quid ſint Tonitrua, & quomodo fiant, quæque ſit Cauſa illorum?

1 TOnitruum apud Conimbricenſes in lib. *Metheor.* tractatu 2. cap. 3. eſt ſonus factus in nubibus, vel ex violenta percuſſione Calidæ, & Siccæ exalationis cum illis, vel ipſarum nubiũ adinuicem.

2 Contingit autem, Tonitrua duplici modo fieri, quorum primum docet *Ariſt.* in primo *Metheor.* cap. 6. vbi pro cauſa Tonitruum aſſignat exhalationem ſiccam, & calidã in ventre Nubis incluſam; quæ dum per *Anthipariſtaſim* rareſit, quærit exitum; vult ergo Ariſt. quod exhalatio cum Vaporibus Aqueis cõglomerata eleuatur ſurſum, qui vapores in media regione conuertuntur in nubes adhuc intra ſe claudentes exhalationem illam ſiccam, & calidam: hæc vero per Antipariſtaſim ex nubis ambitientis frigore cauſatam incaleſcit, & rareſit; quærenſque locum ampliorem, hinc inde diſcurrit, magno impetu concutiens latera nubis, quæ cum ſit denſa, & craſſa, ędit fragorem illum, & graue quoddam murmur per murmurum tumultuationis, cuius cauſa eſt, quod exhalatio, & ſpiritus in partibus concauis diſcurrens, non tanto agitur impetu, vt Nubem ſcindat, quia vel eſt nimis denſa, vel non ad ſufficientiam incaluit, & ideo ædit raucum ſonum, ex quo euenit, Tonitrum fieri ſæpæ ſine fractione Nubis; cum vero impetus diſcurrẽtis Spiritus intra nubem ſufficiẽs eſt ad ſciſſionẽ; tunc in egreſſu efficit maiorem, atque clariorem; & magis apertum ſonitum ob ipſius nubis abſciſſionem, eo modo, quo caſtanea ad Ignem poſita, incaleſcente ſpiritu intus exiſtente, cum ſtrepitu frangitur, quærendo ampliorem locum; & in hoc caſu Tonitrum contingit cum fractione Nubis, ſed ſine corruſcatione, vel fulgure, & iuxta varium modũ ſcindendi nubem ſonus æditur diuerſus: nam ſi vno ictu continuo tota frangitur Nubes, ſucceſſiuè ædit ſonum ſimilem illi, quo magno conatu

tu ſcinditur membrana, & pannus benè compactus: ſi vero frangitur pluribus ictibus, & quaſi diſcretè, ſic fit ſonus ſimilis crepitui, quem ædit Laurus in Ignem coniectus.

3 Si vero exhalatio tum ex forti Antipatiſtaſi, tum ex magno impetu, quo voluratur intra Nubem, Ignem concipiat, ſed adhuc Latera Nubis ob eius denſitatem diſrũpere non valet, tunc fiet Tonitruum cum corruſcatione debili tamen, & ſub obſcura, quia non ſcintillat foris ignita exhalatio, ſed ſolum tranſparet per latera Nubis, & micat quidam fulgor; ſi tandem exhalatio intra nubem diſcurrens, Ignem concepit, & impetu ſufficienti ad Nubis ſciſſionem agitetur, tunc Tonitruum fiet ſimul, & cum Nubis ſciſſione, & inflammati ſpiritus corruſcatione, magnoque Boatu.

4 Alio modo poteſt contingere, quod fiant Tonitrua ſine eruptione, & conflictu exhalationum cum Nubibus, ſed tantum ex ſola vehementi ipſarum Nubium ad inuicem colluſione, quem modum etiam vt probabilem recipiunt Conimbricẽſes vbi ſupra, & probari poteſt, quia ſi ex colliſione Aquarum reſonet immanis fluctuum fremitus, etiam ſi Aquæ non ſint corpora adeo dura, multo magis idem dici poterit de Nubibus, cum & ipſæ ſuam craſſitiem habeant; ac denſitatem; ad recipiendum, & reddendum ictum: deinde craſſior, & denſior eſt Nubes, quã ipſa exhalatio intra Nubem diſcurrens, ergo ſi ipſa exhalationis colliſio cum Nube ſufficit ad edendum Tonitruum, multo magis ad id ſufficiens erit colliſio vnius Nubis, cum alia.

DVBITATIO QVINTA.

Quid ſint Fulgura, & Fulmina, quodque diſcrimen eſt inter illa?

1 FVlgur ex Ariſt. loco in præcedenti dubitatione citato non eſt aliud, quam exhalatio accenſa in Nube, & dicitur a fulgore micante, quem exhibet; & quandoque eſt connexum cum Tonitru, quandoque vero ſi Fulgurat ſine Tonitru, etiam tonat ſine fulgure: tunc fulgurat ſine tonitru, cum Nubes eſt tenuis, & ideo facilè ſcinditur, & leuiter diſſipatur; tunc vero ſine fulgure tonat, cum exhalatio per concaua Nubis voſutatur, & interdum erumpit, non dum accenſa, vel ſi eſt accenſa, noſtrum tamen in-

intuitum non ferit; quia nimirum vel diſrumpit Nubem ex parte ſuperiori verſus Cælum, vel ſi eam dirimit ex parte inferiori verſus nos; tamen inter Nubem fractam, & noſtrum obtutum alia Nubes intercedit, quæ nobis eripit aſpectum Fulguris, cuius rei ſignum eſt; quod cum talia Tonitrua contingunt ſine fulgure, tunc non vehementer exhibent ſonum, quia exhalatio nondum ignita nō magno impetu Nubem contundit, vel ſi valdè eam impetit, diſrumpit ex parte ſuperiori verſus Cælum, quæ a nobis eſt valde remota; quando vero exhalatio eſt ignita, tunc vt plurimum cum Tonitru connectitur Fulgur, quia Ignis quamuis ad ſuprema propellat, potius tamen partem inferiorem, quam ſuperiorem vel ad latera Nubem diſrumpit; quia Aer ſupra Nubem frigidior eſt, quam infra, & ideo ex parte ſuperiori magis Nubem condenſat, & conſpiſſat, quare exhalatio intus incluſa difficilius partem ſuperiorem penetrat, quam inferiorem: & plus etiam frigoris abundat in latere, quam in infima parte, & propterea faciliorem habet exitum ſubter, quam per latera, quare repercuſſa a ſuperiori parte Nubis, deſcendit, diuidens inferiorem minus fortem, & reſiſtentem.

2 Petes; quod nam eſt prius, Tonitruû ne, an Fulgur? Reſpondet Ariſt. vbi ſupra, quod licet Fulgur prius feriat viſum noſtrum, quam feriatur noſter auditus a Tonitru, eo quia Viſio citius fit, quam Auditio propter rationem in libris de Anima aſſignandā; tamen a parte rei aliquando Tonitrū præcedit corruſcationē, aliquando ſubſequitur; & aliquando ſimul ſunt: quādo enim exhalatio prius mouetur impetuosè per latera Nubis, quam inflammetur, tunc prius eſt Tonitrum, quā Fulgur; quando vero exhalatio prius inflammatur à calore per Antipariſtaſim fortificato, quam moueatur per latera Nubis, eamque diſtrūpat, tunc prius eſt Fulgur, & corruſcatio, quam Tonitrum: ſed quando ſimul fiunt motus concuſſiuus, & Inflammatio, tunc etiam ſimul ſunt Tonitrum, & Fulgur, ſemper tamen prius perſpicitur corruſcatio, quam audiatur Tonitrum propter rationem allatam.

3 Fulmen etiam ex Ariſt. 3. Metheor cap. 1. eſt exhalatio ignita è Nube excuſſa impetu magno: vnde eadē eſt materia fulguris, & Fulminis cum hac ſolum differētia, — Diſcrimē inter fulgur, & fulmen.

tia; quod materia Fulguris eſt magis rara; minuſque conſiſtens, & minori vehementia è Nube vibrata, vnde per Aerem diſſipatur, & reſoluitur, nec ad Terram peruenit: Sed materia Fulminis eſt craſſior, & magis conſiſtens, & magno impetu è nube excutitur, ideoque non diſſipatur in Aere, ſed ad Terram deſcendit.

5 Fulminis effectus ſunt varij, & adeo prodigioſi, vt naturam ipſam ſuperare videatur, & regulariter alta petit; quicquid dicat Pater ſecundus Lancellottus Abbas Oliuetanus in ſuo libro italicè ſcripto. *Farfalloni degl' Antichi Iſtorici.* Vnde vt plurimũ Turres concutit, Campanilia, montes, & colles, magnaque ædificia iuxta illud Oratij lib. 2. Ode ideo *feriuntque ſummos Fulmina montes.* videatur Licætus in libello, quem edidit de natura Fulminum pag. 8. vbi mirabiliores Fulminum recenſet effectus.

DVBITATIO SESTA.

De illis Metheoris Ignitis, quæ fiunt tum in Infima Aeris regione, tum etiam in viſceribus Terræ.

1 INter Metheora illa ignita, quæ in media, vel potius in infima fiunt Aeris Regione; primum locum tenet *Sydus diſcurrens*, quod tunc contingit, cum exhalatio longha, & parum lata ordinatim accenditur, extintis partibus prius accenſis, & hoc Metheorum ſæpæ conſpicitur Cælo ſereno, & nocte Stellata, quod ſi deorſum deſcendit, dicitur Stella cadens, ſi vero ſurſum tendit; dicitur Stella volans, ſi ad latus, vocatur Stella diſcurrens, & mouetur ſurſum à leuitate innata, mouetur deorſum à frigiditate ſecũdæ Regionis præcipué cum Cælum non eſt perfectè ſerenum, mouetur tandem ad latus, cum nec leuitas præualet frigori, neque è contra.

2 Secundo loco venit *Capra ſaltãs.* Eſtque exhalatio accẽſa, quæ ex inconſtantia motus, & varietate figuræ nobis ſpeciem exhibet capræ ſaltantis, ad quam impreſſionem requiritur, vt exhalatio non ſimul, ſed ſucceſſiuè, non cõtinuè, ſed interpolatim, & ſine ordine hinc inde accendatur, ſicut cõtingit, cum puluis hinc inde diſpoſitus quaſi per ſaltum accenditur.

3 Tertio loco eſt Metheorum, quod vocatur Lancea, habetque etiam nomen Trabis, Iaculi, columnæ, Piramidis &c. & eſt exhalatio lõga, & minus lata, quæ impræſ-

præſſio non diſcurrit per Aerem; ſed videtur ſemper immobilis ſtare.

4 Quartum Metheorum vocatur Ignis fatuus, quod eſt exhalatio viſcoſa accenſa in infima Aeris regione, & præcedit, vel comitatur iter agẽtes in nocte, & vt plurimum apparet in cæmeterijs, & circa patibula, atque etiam in locis paluſtribus propter viſcoſas materias, quæ reſident in iſtis locis; vnde vulgus opinatur, eſſe animas interfectorum, & vetulæ garrulant, eſſe animas infantium decedẽtiũ ante baptiſmum, propterea quod, inquiunt, earum gemitus audiuntur: ſed reuera non ſunt Animarum gemitus, ſed potius id oritur ex noua inflammatione exhalationis vicinæ, quæ fit cũ aliquo ſtridore; dicitur autem Fatuus, quia eius motus incoſtans eſt, & modo accedit, modo mouetur ad latus, & modo inclinatur pro diuerſa Aeris agitatione. *Alia Ignita Metheora* minoris momenti, vt Draco volans, Ignis Lambens, Caſtor, & Pollux, &c. videri poſſunt optimè explicata à Conimbricenſibus tract. 21 cap. 1.

5 Sed Agamus nunc de *Metheoris Ignitis*, quæ in Terræ viſceribus generantur; eſt enim indubitatum etiam ſubtus Terram Ignes ardere, qui propterea dicuntur *Ignes ſubterranei*: idque manifeſtè teſtantur fumi, atque flammę, e Terra erumpentes quaſi ex camino ſeu fornace, & de Mõte *Ethna* in noſtra Sicilia ſæpius euomente flammas, igneoſque torrentes, nos euidens præbere poſſumus Teſtimonium, qui anno *1641.* in ſocietate multorum ad cacumina iuimus illius eminentiſſimi montis, & præ terrore concepto pluribus diebus remanſimus ſtupefacti. De Veſuuio etiam in campania propè Neapolim dicitur, quod & ipſe non ſemel flammas, & *Ignes* magno impetu eructauit; ſed pluries ac pluries, & inter omnes eius conflagationes illa, quæ contigit anno *1631. 16.* Decembris, ſicut fuit omnium nouiſſima, ita pariter extitit omnium maxima, & portentoſa, nam in hac eruptione dedit ille mons adeo ingentes, & horribiles boatus, vt per diuerſas orbis partes eadem die fuerint auditi; Ignis vero in tanta copia totque flammæ ab illo monte exiuere, vt cinis ad plura loca etiam extra italiam fuerit delatus. *Legatur* Pater Gregorius Caraffa in opuſculo de Nouiſſima Veſuuij conflagratione.

De Mõte Ethna

De Mõte Veſuuio.

6 Harum conflagrationũ

cauſa materialis eſt Terra ſulfurea, & bituminoſa, quæ valde Idonea eſt ad concipiendum Ignem: cauſa autē efficiens eſt commota exhalatio vntuoſa intra viſcera Terræ incluſa, exitum petens, & per concuſſionem inflammata: ſolent autē frequentius Ignes erumpere è montibus, quam ex vallibus, vel locis planis; quia bituminoſa, & ſulphurea materia plus abundat in montibus, quam in vallibus, & vlterius, quia montes plures habent eō cauitates, quam Ima, in quibus recluduntur ſpiritus craſſi, qui ſunt Pabulum Ignis; adiungi poteſt, quod montes magis ſunt expoſiti flatibus ventorum, quā valles; vnde in concauitatibus mōtium recluſus illam materiam agitant, & ad incendiū diſponunt; nec deſunt ex Recentioribus, qui ea putauerint, eſſe quædā fumariola Gehennalis incendij ad noſtram cuditionem conſtituta.

7 Sed petes, quomodo per tot annorum centurias poteſt flamma in vetuſtiſſimis quibuſdam ſepulcris ſubtus Terram accenſa conſeruari? refertur enim apud viues in 6. cap. lib. 21. de Ciuit. Sancti Auguſtini Parentis eruitum eſſe Sepulcrum, in quo ardebat lucerna, quæ ex inſcriptione ibi patente latuit ſupra milleſimum, & quingenteſimum annum; quomodo inquam id fieri poſſit? varias reſponſiones legi apud Auerſam 8. cap. ſect. 1. ſed Communior, quam idem Auerſa ſecedit, eſt, in illis Lucernis tale oleum eſſe paratum, vt tādiu poſſet ardere, quia experientia compertum eſt, reperiri quædam terreſtria corpora, quæ ſemel inflammata diutiſſimè retinent flammam ob materiæ pinguedinem, ac viſcoſitatem: Imo extant aliqui Lapides tenacioris naturæ, vt de Arbeſto, qui flammam ſemel conceptam adeo conſtanter retinet, vt nec Aqua valeat extingui; & ſi quæratur, qua ratione illa materia poteſt Ignem tandiu retinere, eiuſque voracitati tanto tempore reſiſtere, cum Ignis extra ſuam ſphæram cōtinuo indigeat pabulo, & ſemper ſurſum aſcendat? Reſpondet Auerſa, poſſe reperiri materiam adeo vnctuoſam, vt aſcenſum cohibeat Ignis, & multo tempore impediat; & ſic Ignis toto illius temporis decurſu in ea materia poterit conſeruari, donec tandem ſua virtute ſuperans impedimentum illud, a tali vinculo exolutus aſcendat, vel parari poteſt ibi talis materia, ex qua flamma adeo craſſa accēdatur, vt non leuiter vltra

Aerem, vt patet de Igne, qui eſt carbo, quem videmus ſẽper Aeri ſubſidere.

8 Sed hæc doctrina facile confutatur, non enim eſt poſſibile, quod detur materia quantumuis vntuoſa, & viſcida, quæ vim habeat alligandi flammam, ne ſurſum aſcendat, etiam parua temporis mora, cum continuo flamma ſurſum aſcendat; & licet Ignis carbo non leuitet vltra Aerem ob materiæ grauitatem, in qua forma Ignis reperiatur: tamen Ignis flamma quantumuis craſſa, & pinguis ſemper leuitat vltra Aerem, quia leuitas Ignis ſemper præualet grauitati materiæ fumi, ex qua coaleſcit flamma.

9 Dicendum eſt ergo; quod viribus naturæ non eſt poſſibile parari ignem tandiu durantem in illa materia, idque deducitur ex modo, quo Ariſt. vbi ſupra docuit, Ignem apud nos exiſtentem conſeruari velut fluuium continuo fluentem, & nouo pabulo indigentem, & ideo vel dicendum eſt, illas hiſtorias de lucernis antiquorum eſſe fabulas, vt tenet Areſius, in Opere Italice ſcripto *Impreſe ſacre* lib. 2. Impreſ. 7. vel ſi illæ Lucernæ vere ardentes inuentæ ſunt, & non extinctæ, dicendum cum Ouetero lib. 1 de iure manium non ſemper illas arſiſſe: ſed tunc primum cum effoſſa Terra apertus eſt locus; potuit enim tunc Ignis accendi in Lucerna, vel externi Aeris afflatu, vel alio modo.

10 Vel demum, ſi verum eſt, fuiſſe ab initio accenſas, & deinceps ſemper arſiſſe, dici poteſt, id contigiſſe operâ Dæmonum in ſepulcris, & tẽplis antiquorum, vt innuit D. P. Auguſtinus lib 21. de Ciuit. cap. 6. vel potius totum referendum eſt ad Diuinum miraculum, vt piè credi poteſt de quadam Lucerna ante Immaginem Chriſti Domini, quam *Maiol.* colloq. 22. memorat in quodam pariete poſt quingentos annos inuentam fuiſſe accenſam.

QVÆSTIO SECVNDA DE ELEMENTO AERIS, Eiuſque Metheoris.

De Qualitate Regionum Aeris.

Dubitationes Tres.

Dubitatio Prima. Qui nam ſit terminus, & Qualitas Infimę Regionis Aereæ?

Dubitatio Secunda. An media Aeris regio ſit frigida valde, & vnde illi adueniat tanta frigiditas?

Dubitatio Tertia, de Termino, & Qualitate ſupremæ Aeris Regionis.

DVBITATIO PRIMA.

Qui nam ſit terminus, & Qualitas Infimæ Regionis Aereæ?

1 FAcilè res inueſtigatur. Initium infimæ Regionis Aereæ incipit à ſuperficie Terræ, & Aquæ, cuiuſq; tractus ibi dicitur deſinere, vbi extinguitur vis reflexionis caloris, & luminis ſolaris; & propterea ide terminus æſtiuo tempore maior eſt, quam in hyeme, quia in æſtate reflexio caloris, & luminis ſolaris potentior eſt, & altius aſcendit; cum tamen in hyeme minor ſit ob oppoſitam rationem.

2 Quantum ad Qualitatem eſt infima Regio Aeris partim frigida, & partim calida, eſt frigida quidem ex propinquitate Aquæ, & Terræ, quia Regiones extremæ ſemper ſapiunt de natura vicinorum Elementorum: eſt vero calida ob reflexionem caloris, & Luminis ſolaris.

DVBITATIO SECVNDA.

An Media Aeris Regio ſit abſolutè frigida, & vnde illi adueniat tanta frigiditas?

1 MEdia Aeris regio clauditur intra duos terminos ſcilicet inter infimum ſupremæ, & ſupremum infimæ Regionis, inter quos generantur Nubes, Pluuiæ, & Venti: eſſe autem hanc mediam Aeris regionem abſolutè frigidam, eſt communis Opinio; & conſtat ex Iugis Alpium, in quibus manet Nix per totum annum, & in eo frigore perpetuo durat.

2 Sed Obijcies primò, quod media Aeris Regio non ſit adeo frigida. Vapores, qui illuc aſcendunt, cum ſubleuentur ibi à virtute caloris, ſunt actu calidi, & ex alia parte Aer eſt ſuaptè natura calidus, ergo Aer cum ſuo naturaliter calore obſtabit, ne vapores redeant ad natiuũ frigus, illamque regionem refrigerent. Reſpondetur; verũ eſſe, vapores aſcendere ad mediam Aeris Regionem actu calidos per calorẽ eis impreſſum à Sole, vel ab alio Aſtro eleuante; & verum etiam eſſe, Aerem eſſe ſuaptè natura calidum, vt in ſequenti Tractatu de Generatione oſtendetur; ſed illi vapores cum ſint ſub-

ſubſtãtialiter Aqua, per virtutem propriam acquirunt natiuam frigiditatem, nec Aer eiuſdem mediæ regionis valet illam dimanationem impedire, quia habet ſuas vires valde refractas à frigore eorumdem vaporum; vnde potius confert ad infrigidandum alios, illuc ſucceſſiuè aſcendentes.

3 Obijcies ſecundo. In altiſſimis montibus liqueſiunt Niues, ergo interdum eſt ibi calor. Reſpondetur, quod illi montes, in quibus tempore Veris liquãtur Niues, Secundã Aeris regionẽ, eiuſque vertices non attingunt, vel ſi attingunt, id erit tantum in infima parte, ad quam cum poſſit eo tempore aliquantulum reflexio caloris, & luminis ſolis peruenire, poteſt quoque hac de cauſa participare talem calorem, qualis ſit ſufficiens ad liqueſactionem Niuium ibi exiſtentium: cæterum in illis montibus, qui verticem attollunt ad ſecundam Aeris regionem, niues perdurare videmus per totum annum, nec vnquam liqueſieri.

4 Obijcies tertio. Si *A*er in media regione ita frigeſceret, ſequeretur, quod idem *A*er grauior eſſet *A*ere infimæ regionis, cum frigiditas ſemper grauitatem inducat; ſed hoc eſt falſum, quia Aer, qui ſubſidet, eſt grauior, ergo &c. Reſpondetur; negando ſequelam: nam ſicut Corpus, quod calefacit, non ſtatim rareſcit, & leuitat, ita nec vapores qui frigeſcere incipiunt, ſubito grauitant; verum eſt tamen, quod cum ad eum gradum frigoris peruenerunt, qui denſitatem, & grauitatem inducit, tunc reſoluuntur in Aquam, & decidunt.

5 Suppoſito tamen, quod media Aeris regio ſit abſolutè frigida, difficulas eſt non modica, vnde proueniat tanta frigiditas huic Regioni, cum illa ſit proximior Igni, & ab Aqua, & Terra remotior? & relictis varijs dicendi modis; nobis cum communi applauſu omnium Peripateticorum reſoluendum eſt; cauſam illius frigoris duplicem eſſe, quarum prima eſt poſitiua, ſuntque ipſi vapores *A*quei frigore prædici, ex quibus fiunt Nubes, & pluuiæ, & cum tales vapores diu ibi ſoleant manere, hinc eſt, quod continuo illi parti *A*eris impartiendo frigus, illam reddunt cæteris frigidiorem; Altera cauſa eſt priuatiua, quę duplex eſt, ſcilicet diſtantia à feruore *I*gnis, & à Cæleſti motu ex parte ſuperiori, & etiam diſtantia a reflexione caloris, & Luminis ſolaris ex parte inferiori.

Redditur ratio cur in media regione Aeris ſit tãta frigiditas?

6 Sed contra hoc etiam obijcies. Ariſt. 1. p. Metheor. cap. de nubi. docet, Vapores illuc peruenientes refrigerari à loco, ſeu ab Aere ibi exiſtente, ergo vapores non faciunt illum Aerem frigidum: ſed reperiunt, & cum ibi aſcendunt actu calidi, potius ipſi refrigerantur ab Aere, quam illum refrigerent. Reſpondetur, inconueniens non eſſe, quod Vapores aquei, & terreſtres ſecundum diuerſos ſtatus refrigerent illum Aerem, & viciſſim ab eo refrigerentur: nam experimur, quod Aqua calida cum remouetur ab Igne, tunc primum ab Aere ambiente quaſi refrigeratur, ſed poſtea quam viribus proprijs ad ſuam priſtinam frigiditatem reduxit, tunc maius frigus inijcit Aeri ambienti, quam ab ipſo receperit. Sic ergo in propoſito, quando vapores aquei primo perueniunt ad mediam Aeris regionem, quia tunc ſunt actu calidi, vel à virtute ſolis, vel alterius Aſtri eleuantis, propterea tunc refrigerantur ab eodem Aere per præcedentes vapores frigefacto; & in hoc ſenſu loquitur ibi Ariſt. quod ſcilicet vapores cum primum aſcendunt ad mediam Aeris regionem, tunc reperiunt Aerem ſe ipſis frigidiorem: poſtea tamen excitati a virtute propria ad natiuum frigus redeuntes, comunicant Aeri maius frigus, quam ab ipſo receperint.

7 Obijcies ſecundo. Media Aeris regio purior eſt, & ſerenior, quam infima; vnde teſtantur multi, experientia duce, quod in altiſſimis montibus Aer eſt purior, & ferè vaporibus expers, ergo falſum eſt, quod illa media regio frigeſcat ex vaporibus, ibi aduenientibus. Reſpondetur, negando aſſumptum; nam omnes fatentur, Nubes, & pluuias in media Aeris regione gigni, & non in infima: quod ſi inquorundam montium faſtigijs Aer inueniatur purus, & ſerenus; tunc dicendum eſt, illos montes tranſcendere ſecundam Aeris regionem: vel etiam contingere poteſt, quod in montibus ad ſecundam regionem pertinentibus Aer ſit purior ſolum in vertice montium, non in medio, quia nubes quo magis condenſantur, eo magis grauitant, & deſcendunt.

DVBITATIO TERTIA.

De Termino, & Qualitate ſupremæ Aeris Regionis.

1 ZAbarel. lib. de regionibus Aeris cap. 1. vult; Supremam Aeris regionem in-

incipere à ſummitatibus mō-tium; & terminari ad ſuperficiem Ignis; redditque rationem, quia ſuprema Aeris regio tota circumagitur à motu Cæleſti, propter quem motum tota calida conſeruatur : ſed cacumina montium impediunt, ne Aer intra eadem cacumina contentus moueatur, ergo totus ille Aer, qui eſt in faſtigijs montium, non ſpectat ad ſupremam regionem; ſed ad mediam.

2 Comunis tamen Opinio eſt, cacumina quorumdum montium traſcendere ſecundam Aeris regionem, & tertiam occupare, quod non obobſcurè indicauit Ægidius in 2. ſent. diſt. 14. q. 1. art. 4. §. aliquid vero &c. vbi ait; quod illa pars Ignis inferior, vbi eſt Ignis non purus, vocatur Cælum olimpinum à quodam Monte, qui dicitur eſſe in Macedonia, qui vocatur Mons Olimpij, & dicitur eſſe tantæ altitudinis, quod traſcendit omnes Nubes, & fortè omnes ventos, ibique eſt Aer valde Siccus, quod pergentes per talium montium cacumina, oportet, portare ſpongiam cum Aqua, vt inſpiratio, & reſpiratio fiat cum Aere per Aquam madefacto, ad refrigerandum cor; dicitur etiam; quod in dictis montibus aliqui Philoſophi deſcripſerunt in puluere aliquos caracteres, quos poſt annum inuenerunt non mutatos, ergo ſignum eſt, quod montes illi non ſolum ſuperent omnes Nubes, ſed etiam omnes Ventos, à quibus ſolent deleri caracteres in puluere formati. Si ergo pars inferior Ignis dicitur Cælum Olimpium à Mōte Olimpij, ſequitur, quod faſtigium eiuſdem montis non ſolum traſcendat mediam Aeris regionem, ſed etiam perueniat ad terminos regionis ſupremæ.

3 Nec ratio Zabarellæ conuincit, quia non eſt neceſſe, totum Aerem ad illam ſupremam regionem ſpectantem, moueri à Cæleſti vertigine; vel ſaltem æquali velocitate ſecundum omnes partes, imo partes conterminæ Aeris ſecūdæ regiōnis ſicut ſunt minus calidæ, ita vel nihil, vel leniter attinguntur à motu Cæleſti : ſuprema ergo aeris Regio inter concauum Ignis, & paulo infra faſtigia altiſſimorum montium intercepta eſt.

3 Cuius qualitates ſunt caliditas, & ſiccitas, tum ob vicinitatem, & propinquitatem Ignis, tum etiam quia attingitur à Cæleſti vertigine & propterea non eſt mirum, ſi in aliquibus altiſſimis mōtibus liquefiant niues : nam ta-

talia montiũ faſtigia poſſunt eſſe mirium ſupremæ regionis, ergo cum tota ſit calida, poteſt cauſare illam liquefactionem Niuium.

DE METHEORIS AEREIS præcipuè de Ventis, & Iride.

Dubitationes Quatuor.

Dubitatio Prima. Quænam ſit cauſa materialis Ventorum?
Dubitatio Secunda. Quæ ſit Ventorum Cauſa efficiens?
Dubitatio Tertia. Quot ſint Genera Ventorum, quæque ſingulorum proprietates? vbi etiam de Turbine.
Dubitatio Quarta. Quid ſit Iris, & qua de cauſa ſic apparet Mixta coloribus?

DVBITATIO PRIMA.

Quænam ſit Cauſa Materialis Ventorum?

1 APVD Auerſam qu. 41. ſect. 4. tres legi ſententias, quas ſingulas referam, vt de vniuſcuiuſque probabilitate pateat. Prima ſententia eſt Patris Bernardini Teleſij nouæ doctrinæ inuentoris in lib. de his, quæ fiunt in Aere, cap. 4. aſſerentis, Materiam Venti eſſe vapores Aqueos eiuſdem rationis cum illis vaporibus, ex quibus fiunt pluniæ, & Niues: ſed tamen in hoc genere ſubtiliores. Altera ſententia, quam refert Ariſt. 2. Metheor. ſum. 3. cap. p. eſt ſtoicorum, aſſerentium, Ventorum Materiam eſſe Aerem; nam dicunt, Ventum nihil aliud eſſe, niſi Aerem agitatione cõmotum; ita etiam defendit Areſius 2. de Gener. qu. 10. ſect. 1. cui videtur ſuffragari D. Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 8. & D. Iſid. lib. 13. æthimol. Vltima ſententia eſt Ariſtotelis loco ſupra cit., qui negat, Materiam Ventorum eſſe Aerem, vel Vaporem Aqueum, ſed inquit, eſſe halitum Terreſtrem ſeu exhalationem calidam, & ſiccam, æductam a Terra, & elatam in Aere, ac ibi lateraliter motam.

2 Iuxta noſtrum munus aſſumptum ſingulas opiniones dicimus, eſſe probabiles; cum ſingulæ habeant ſolidum fundamentum, vnde dicimus, Materiam Ventorum eſſe poſſe nõ ſolum vapores Aqueos, & Aerem commotum, ſed etiam halitus Terreſtres indifferenter tamen: hoc noſtrum Iuditium approbatur etiã a Conimbricenſibus trac. 6. Methеor. cap. p. & ab Auerſa vbi ſupra; probatur autem primo, quod Ventorum Singulæ opiniones approbantur.

Materia ventorũ poſſunt eſſe vapores.

Materia poſſint eſſe vapores, quia in mari Mediterraneo, & multo magis in Oceano regnant venti, qui gigni non potuerunt niſi ex vaporibus Aqueis elatis a Mari.

3 Dices, Ventos immediatè non eſſe in mari, ſed eſſe in Terra, & à Terra tranſire in mari: ſed hoc non eſt vniuerſaliter verum, quia ſequeretur, quod quàto magis aliquis eſſet in mari, diſtans a Terra, tanto minus concuteretur à Ventis; cuius tamen oppoſitum videmus ad ſenſum.

Effugiũ diluitur.

4 Nec valet, ſi dicas, etiam exhalationes è mari conſurgere propter eius ſalſedinem, & Terrenæ concretionis admixtionem: nam eo etiam admiſſo, illæ non erunt puræ exhalationes, ſed multis vaporibus permixtæ: vnde Vẽti exorti à mari, ſolent eſſe humidi, & ſæpe pluuias generant, ac nubes congregant; ex quo deducimus, quod materia illorum Ventorum aut ſunt ſoli vapores, vel ſaltem ſunt exhalationes permixtæ vaporibus, quod eo magis confirmari poteſt, quia ſecus flumina frequentiſſimè ſpirant Venti, qui non niſi ex Vaporibus, inde ſurgentibus, gigni potuerunt

5 Sed Contra hoc obijcies, & probatur, quod vapores non ſint materia Ventorum; materia Ventorum debet eſſe leuior Aere, cum aſcendat per Aerem ad mediam regionem, à qua reflectitur; ſed vapores non ſunt leuiores Aere, imo grauiores. ergo &c. Reſpondetur; negando minorem, quia ſicut ab extrinſeco vapores recipiunt calorem, ita ab extrinſeco ſole, ipſos ſubtilizzante, poſſunt recipere leuitatem, & videmus de facto, quod vapores, exquibus generantur pluuiæ, attolluntur vſque ad mediam Aeris Regionem.

6 Obijcies ſecundo. quando plus abundat exhalatio ſicca, & calida, tunc fiunt anni ventoſi: quando vero plus abundant vapores, tunc fiunt anni pluuioſi; ergo ſola exhalatio eſt materia Venti, & non vapor. Reſpondetur; hoc ideo eſſe, quia promptior, & aptior eſt ad Ventum exhalatio, quam vapor, ex eo tamen nõ ſequitur: nunquam vapores eſſe materiam Ventorum.

Exhalatio aptior eſt ad uentum, quam vapor.

7 Probatur modo, etiam Aerem commotum eſſe materiam Venti, quia dum flabello Aerem ciemus, ad expellendum calorem a facie, vtique dicimur, excitare Ventum; & cum folles comprimuntur, Ventum dicuntur emittere: ſed in his caſibus nihil aliud primo mouetur

Aer cõmotus etiam eſt materia venti.

Lateraliter niſi *Aer*; ergo Aer ita commotus erit Ventus. Nec refert illa parua ratio Quantitatis, vt dicatur, talem Aeris commotionem follibus, vel ſabello factam, non eſſe Ventum; nam petere, in quo à magnis ventis differret? adiungi poteſt, quod *Aer* ſæpe ſæpius calefit, & rareſcit, & ſic rarefactus motu Laterali maiorem quærit locum, in quo caſu dicimus, ſpirare Ventum, vnde æſtiuo tempore dum oritur ſol, experimur hac de cauſa auram ab oriente Spirare, ergo *Aere* ſe ſolo eſt ſufficiens materia Venti. Tandem hoc idem comprobari poteſt, quia etiam Ariſt. id concedit in ſect. 26. problematum.

8 Sed contra hoc obijcies, poteſt Aer cieri multis modis, nullo ſpirante Vento, ergo Aer commotus non eſt materia Venti; probatur antecedens, quando decidunt turres, vel bellicum tormentum plummeam emittit pilam: tunc fit Aeris magna commotio, & tamen nullus eſt Ventus; ergo &c. Reſpõdetur dupliciter; primo, admittẽdo illam Aeris commotionem eſſe Ventum, quia Ventus etiam vocatur ab Ariſt. illa Aeris commotio, quam facit fulmen, vel Reſpondetur ſecundo, quod ſi illa *Aeris* commotio non eſt Ventus, hoc ideo erit, quia illis caſibus nõ *Aer* primo mouetur; ſed mouetur *Aer* ad motũ alterius: Ventus autem non eſt quæcunque commotio *Aeris*, ſed ita debet *Aer* cieri, vt ſit primo lateraliter motus, & non præiſſe ad motum alterius.

9 Probatur tandem, materiam Ventorum eſſe halitus Terreſtres, ſicut docuit *Ariſtot.* vbi ſup. p. quia dum in Vere, vel *Autumno* magna abundat copia exhalationũ; tunc frequentiores ſunt Venti; ſecundo, quia Oriente ſole Venti ſæpe ſæpius excitãtur, quia eiuſdem ſolis virtute multa exhalatio aſcendit à Terra. Tertio, quia vt plurimum Venti exſiccat, quod nõ poteſt prouenire, niſi quia ex calida, & ſicca materia coaleſcunt. 4. tandem quia pluuia facit ceſſare Ventum, vt videmus experientia, quod non eſt niſi quia pluuia infrigidat, humectat illam ſiccam, & calidam exhalationem, quæ erat materia Venti, & è contra ceſſante pluuia, iterum ſurgit Ventus, quia ex Terra madefacta multi ſpiritus exhalant. ergo &c.

Oſtenditur etiã materiã ventorũ eſſe halitus terreſtres.

DV-

DVBITATIO SECVNDA.

Quæ ſit cauſa efficiens Ventorum?

1 SEnſus eſt, a quo fiat ille motus lateralis Venti? ſeu à quo Ventus moueatur ſemper lateraliter in obliquo, & per tranſuerſum? & ratio difficultatis eſt, quia exhalatio, & Vapores calidi potius petunt ſurſum aſcendere, quomodo ergo, & à quo magis ad vnum latus mouentur, quam ad aliud? deinde cur tanto impetu mouentur, vt tenuis exhalatio valeat eradicare Arbores, & domus euertere?

2 Ariſt. in Problem. 50. ſect. 26. docet, quod motus ille procedit a ſecunda cauſa ſcilicet à Leuitate exhalationis, & à frigiditate mediæ regionis: Leuitas enim exhalationis eam eleuat ſurſum, & frigiditas illius regionis per Antipariſtaſim reuerberat eam deorſum, & repellit, quare hinc, & inde repulſa non potens aſcendere, nec minus deſcendere, mouetur Lateraliter;

Præcipua cauſa Vēti eſt Cælum per ſua ſydera.

3 Sed hic modus dicendi, quē recipiunt omnes peripatetici præſertim Conimb. & Auerſa vbi ſupra, euacuabit magis omnem difficultatem, ſi vlterius addamus, præcipuam cauſam commotionis, & agitationis, quam Ventus exercet in Aere, eſſe Cælum per ſua ſydera; ac influentias occultas; eas vero cauſas, quas aſſignat Philoſophus, eſſe cauſas ſubordinatas, & minus principales, quia ſe ſolis non ſufficiunt ad tot effectus mirabiles. Idque probari etiam poteſt ex eo, quod ſpeciales Venti à ſpecialibus Aſtris excitantur: vnde aiunt Aſtrologi, Iouem ſuſcitare Aquillonares Ventos; Martem Auſtrales, Solē Orientales; & Lunā Occidētales. Adiungi poteſt demum, quod ſicut ex impreſſione Solis, & Lunę mare fluit, & refluit; ita ex impræſſione eorumdem Aſtrorum, vel ex conſimili aliorum aſtrorum dici poteſt, quod Aer fluat, & refluat, atque exhalatio ventoſa huc, & illuc agitetur; & ſi Magnes trahit ferrum, cur Aſtra virtutem non habebunt, attrahendi halitus, & ſubleuandi Vapores, eoſque impellendi in hanc, vel in illam partem iuxta diuerſum ſitum, & aſpectum eorum?

Concluſio omnium Ventorū ſecūdo.

4 Reſtat ergo, quod Varij Aſtrorum aſpectus atque ſitus poterunt efficienter cauſare diuerſos Ventos, vel impellendo exhalationes ad motū, vel vapores ad hanc, & illam partem, vel etiam immedian-

te ipſum Aerem, illum rarefaciendo, qui propterea maiorem Locum exquirens, excurrat in aliam, & aliam partem.

DVBITATIO TERTIA.

Quot ſint Genera Ventorum, quæque ſingulorum Proprietates; vbi etiam de Turbine.

1 A Quatuor mundi partibus quatuor accipiũtur principales Venti ſcilicet Orientalis, Occidentalis, Aquilonaris, & Auſtralis: quãuis pro directione artis Nauticæ ſexdecim fuerint impoſita nomina Ventis, quæ videri poſſunt apud Conimb. cap. 4. tamen conſueta nomina, quæ vniuerſaliter hodie circumferuntur in vulgo, ſunt otto. ſcilicet Leuans, qui alias dicebatur ſubſolanus. Ponens, qui vocabatur Zefirus. Tramontana, qui aliter dicebatur Boreas, & Auſter, qui ſpirat à Meridie, & adhuc retinet idem nomen. Vlterius datur alius Ventus, qui deſignatur inter Leuantem, & Tramontanam, & vocatur, Grecus; qui vero inter ponitur inter Tramontanam, & ponentem, vocatur Magiſtralis. Rurſus qui inter Ponentem, & Auſtrum, dicitur libicus. Tandem qui eſt inter Auſtrum, & Leuantem, dicitur Sirocus.

Conſueta nomina Ventorũ ſũt otto.

2 Proprietates autem Singulorum Ventorum, vel conſequuntur ex propria natura vnius cuiuſcumque, & ab intrinſeco; vel proueniũt ab extrinſeco ſcilicet ratione locorum, á quibus ſpirant, & à virtute Aſtrorum, a quibus excitantur. Et in primo ſenſu ille Ventus, cuius materia eſt exhalatio, erit ſiccus, & frigidus, quia talis eſt exalatio ex ſua natura: ille vero, cuius materia eſt vapor, erit frigidus, & humidus: qui tandem eſt mixtus ex halitu ſcilicet, & vapore, habebit pariter complexionem mixtam.

3 Sed in alio ſenſu habent Venti diuerſas affectiones aduentitias iuxta diuerſam diſpoſitionem ſyderum, a quibus excitantur, & regionum, per quas ad nos perueniunt: vnde venti Septentrionales ſunt frigidiſſimi, & ſicci, quia tranſeunt per loca niuoſa, & frigida; qui propterea ſerenitatem inducunt, quia ſua frigiditate, & ſiccitate diſſipant Nubes, earumque humiditatem. Venti Auſtrales ſunt calidi, & humidi, quia per mare, & loca calida ac humentia ad nos perueniunt, & hi propterea nubes cogũt, & pluuias inducunt. Venti Orientales ſunt calidi, & ſicci

ci propter Solis præſentiam, & prædominium in eis regionibus. Occidentales demum è contra ſunt frigidi, & humidi propter oppoſitam cauſam; qui vero curioſus plura deſiderat ſcire de Vẽtis, adeat Angeſtũ lib. 2. pag. 26. apud Auerſam q. 42. ſect. 4.

Explicatio Turbinis.

4. De Turbine tandem agit Ariſt. in principio 3. Metheor; & tunc contingit, quã do multa exhalatio denſa, & ſpiſſa intra Nubem cogitur, & per Antipariſtaſim ob circumſtantem Nubis frigiditatẽ incaleſcit, & quærens ampliorem locum ad inſtar Fulminis, magno impetu exploditur à Nube, ingentique violẽtia ac velocitate, vel directè deſcendit, vel volutatur in girum; produ citque ſimilẽ effectum, qualem videmus in Anguſtis vijs, dum puluis rotatur à Vento, & tanta vehementia ruit, vt ſuo giro, & rota abſorbeat quicquid ei fit obuiam, ſiue ſint ſaxa; ſiue ſint Arbores, ſiue nauigia, &c. nec multũ differt à fulmine niſi in materia, quatenus fulmen plus habet flammæ, quam Turbo.

DVBITATIO QVARTA.

Quid ſit Iris, & qua de Cauſa appareat ſic mixta coloribus?

1 INter pulcriores Immagines, quæ ex vario incurſu lucis, & radiorum ſolis ſolent in Aere apparere, pulcrior eſt *Iris*, quæ opus eſt naturale, & ex naturalibus cauſis proueniens, & ab Ariſt. 3. Metheor. ſic diffinitur. *Eſt arcus tricolor apparens ex receptione, & reflexione luminis ſolaris in nube rorida.* Quam diffinitionẽ ſi per ſingulas particulas explicemus, integram aſſequemur Iris cognitionem. In primis ergo dicitur Iris, quod ſit Arcus, quia de ratione Iridis eſt figura circularis per Modum arcus, & per hanc rationem diſtinguitur Iris ab illa immagine apparente in Aere cum eiſdem coloribus, quæ dicitur Virga; nam hæc non apparet in Aere in arcum curuata, ſed in directum porrecta; Iris vero apparet ad modum Arcus, licet nec poſſit efficere integrum circulum, nec minus ſemicirculum excedere; ſed ſemper ſit ſemicirculo minor, vt videmus ad ſenſum, cuius ratio illa eſt, quia Iris non generatur niſi per reflexionem Luminis ſolaris, atque

Iris diffinitur ab Ariſtotile.

Cũr Iris dicitur Arcus.

que adeo ſemper formantur directè e regione ſolis: cum igitur circulus Iridalis directè opponatur circulo ſolari, ita vt centrum vnius correſpōdeat centro alterius, propterea deducitur; Iridem in tota ſua magnitudine nunquam poſſe excedere ſemicirculum, quia cum directè opponatur ſoli, alter ſemicirculus ſemper incidet in profunditatem Terræ; & hinc Ariſt. loco ſupra citato ait; quod Sole exiſtente in ortu, vel etiā in occaſu; Iris apparet magnitudinis ſemicirculi, quando vero Sol eleuatur ſuper Orizzontem, tunc Iris apparet ſemicirculo minor, quia quo magis Sol eleuatur ab orizzonte, eo profundius e regione Solis centrum Iridale ſub orizzonte deprimitur; & hinc etiam inquiunt perſpectiui; quod Iris alta efficitur, cum Sol declinatur; & demictitur Iris, cum Sol eleuatur.

Quare Iris dicitur Tricolor.

2 Dicitur ſecundo, quod Iris ſit *Tricolor*; quia Iris, quæ à Sole efficitur, ſemper diuerſis apparet mixta coloribus, quæ præcipuè ſunt tres, ſcilicet puniceus, quæ apparet in parte exteriori, & ſuperiori arcus: Viridis; qui cernitur in medio ſemicirculo arcus; & Purpureus, qui apparet in interiori infima parte. Oritur autem hæc colorum diuerſitas vel ex varia commixtione lucis cum Nube, vel per reflexionem lucis ſolaris ad nubem è Regione oppoſitam: nam ſi lux abundabit, & dominium habebit ſuper obſcuritatem nubis, tunc ibi apparebit color tendēs ad albedinem ſcilicet puniceus: ſi verò obſcuritas nubis dominium habebit ſupra lumen Solis, tunc ibi color erit purpureus; & hinc eſt, quod Ariſt. agens de illa diuerſitate colorum in Iride, inquit, quod cum lucis reflexio eſt fortior in nube, tunc apparet color puniceus, quando eſt debilior, cernitur alurgus: ſed quando eſt medio modo, tunc color apparet viridis.

3 Aduertendū tamen, quod ſi Iris dicitur Tricolor, id intelligendum eſt de coloribus apparentibus virtute reflexionis ſolaris: nam virtute iuxta poſitionis eorumdem colorū etiam reſultat in Iride quart° color, qui latinè vocatur flauus, & italicè dicitur *Cangiante*.

4 Tertio dicitur *apparens*; quia colores Iridis non ſunt veri, ſed apparentes: nam veritas colorum ex varia mixtione primarum qualitatum prouenit; & quia in Iride nulla eſt talis qualitatum mixtio, ideo nec in Iride ſunt veri colores.

Dices

5 Dices ex Ariſt. 2. de *Anima* text. 63. ſenſus non decipitur circa proprium ſenſibile: ſed color eſt propriũ obiectum viſus, ergo viſus non decipitur circa Colorem. ergo quando in Iride reſpicit varios colores, tunc illi ſunt veri colores, & non apparentes. Reſpondetur, aliud eſſe, quod illi non ſint veri colores, aliud eſſe, quod non mittant veras ſpecies talium Colorum ad viſum noſtrum: primum eſt verum, non ſecundum, quia lumen ſic reflexum ita per ſpecies immutat ſenſum, ac ſi eſſent veri colores: vnde viſus noſter non decipitur circa obiectũ, quia perſpicit illud, ſicut reuera per ſpeciem repræſentatur; ſicuti quando parietem album videmus per vitrum viride, tunc paries apparet quidem viridis, cum tamen reuera viridis non ſit; idque contingit ob immutationem ſpecierum, quę per tale medium ad oculos deferũtur: Nec propterea oculus tunc errat, quia videt obiectum, vt ſibi repreſentatur per ſpeciem, licet obiectum non ita ſit aparte rei. *A*n autem colores Iridis ſint ſolum obiectiuè in oculo, vel reuera ſint aparte rei ſiue ſubiectiuè, & ſecundum eſſe reale, ſiue ſecundum eſſe repreſentabile, & ſecundum eſſe intentionale per ſpeciem? in Tractatu 3. de Anima reſoluemus.

6 Quarto dicitur. *Ex reflexione luminis ſolaris*. Vt inſinuetur cauſa efficiens Iridis, quæ ſic tricolor, vel multicolor eſt effectus ipſius Solis: *L*una enim licet etiam poſſit cauſare Iridem, non tamen ſic, & tali colorum varietate diſtinctam; ſed vno tantum colore, eoque albificante ob debilitatem luminis reflexi, & quia *I*ris efficitur per reflexionem luminis in nube rorida ad noſtrum intuitum, ſequitur, quod ad formationem *I*ridis neceſſe eſt, Solem eſſe in oppoſito ſitu è regione ad nubẽ irroratam, vt radijs poſſit eam directè ferire, & lumen ad nos reflecti, quod quidem non contingeret; ſi nubes eſſet ſub Sole directè, eamque perpendiculariter irradiaret. Itẽ vt Iris à nobis videatur, neceſſe eſt, nos eſſe conſtitutos in ſpacio medio inter Solem irradiantem, & nubem irradiatam, quia ſi nubes eſſet inter nos, & Solem, non illuſtraretur niſi ex ea parte, quà ipſa nubes reſpicit Solem, vel tunc nobis Iridem exhiberet, ſed potius ex parte verſus nos maneret obſcura, & ſi Sol eſſet inter nos, & nubem; Iris valde diſtaret à nobis, nec poſſet videri,

7 Ex quo poteſt deduci, ꝙ

Sol

Sol in diuerſis ſitibus diuerſas poteſt cauſare Irides directè, & immediatè, v. g. ſi ſol ſit in meridie, & habeat duas nubes in oppoſitum, vnam ad Orientem, & alteram ad Occidentem, cauſabit tunc duas Irides, ſi vtramque radijs illuſtrabit, imo ſi alia ei opponatur nubes verſus Aquilonem, poterit, & in ea ſimul cauſare Iridem tertiam.

8 Dicitur quinto. *In Nube rorida*. Ad explicandam cauſam Iridis materialem, ſeu ſubiectum, in quo imprimitur Imago Iridis, eſt enim eius materia Nubes, non quęcunque, ſed rorida, ideſt quæ incipiat diſſolui in ſtillicidijs Aquæ, propter quod cum dicitur efformati in nube rorida tanquam in ſubiecto, id non debet intelligi, ita vt Iris in ipſa nubis ſubſtātia imprimatur, ſed in ipſis guttulis, leui aſpergine ex ea ſtillantibus, quod benè docuit D. Thom. 3. Metheor. lect. 3. digreſſ. de Iride, & Ariſt. expræſſis verbis probauit id idem experientia circa remos nauigantium: etenim tunc Aqua ex vi remorum agitata rigans, & rorans in minutas ſtillas, excipit radios ſolis, nobiſque exhibet eoſdem colores, quos exhibet ipſa Iris.

9 Petes. An *Iris* fuerit ante diluuium, vel incæperit effulgere poſt diluuium ad oſtētationē Diuinæ omnipotentiæ, & in ſignum fæderis inter Deū & Genus Humanum? Reſpōdetur, *Iridem* eſſe opus naturę, & effulſiſſe etiam ante Diluuium, cum habeat cauſas naturales ſcilicet ſolem, & Nubem roridam: bene verum eſt, quod poſt diluuium etiam fuit Iris aſſumpta ad ſignificandam Diuinam Indulgentiam non tantum ex Diuina inſtitutione, ſed etiam cum aliquo fundamēto aparte rei, quia cum *Iris* ſit Arcus ſine ſagitta, inſinuat, Iram Diuinam eſſe ſedatam, ipſumque Deum nobis conciliatum; ſignificat etiam cū aliqua proportione ſecuritatem à Diluuio, quia Iris vel prænuntiat ſerenitatem, ſi ſit veſpertina, & appareat poſt Pluuias: tunc enim ſignificat completam eſſe reſolutionem Nubium, & non niſi ſtillicidia remanere: vel ſi *Iris* eſt Matutina, & ante Pluuiam, ſignificat eſſe futuram modicam Pluuiam, & ſatis leuem irrorationem; ſic D. Thom. loco ſup. cit. & hæc de Iride, & Metheoris Aereis.

QVÆ-

QVÆSTIO TERTIA.

DE AQVA QVATENVS cum Terra facit vnum Globum totale; eiuſque Metheoris

Dubitationes Quatuor.

Dubitatio Prima. Quomodo Aqua potuit in vnum locum reduci, vt appareret Terra?

Dubitatio Secunda. An Aqua in ſuo ſpeciali loco ſit altior Terra, vel è contra?

Dubitatio Tertia. An totum Globum ex Aqua, & Terra habeat in vniuerſo vnum Centrum?

Dubitatio Quarta. An Globus ex Aqua, & Terra moueatur circulariter?

DVBITATIO PRIMA.

Quomodo Aqua potuit in vnum locum reduci, vt appareret Terra?

Ratio difficultatis.

1 RAtio difficultatis eſt, quia hic eſt ordo naturalis Elementorum, vt ſubtilius, & formalius cõtineat, quod eſt minus formale: vnde Ignis, quia eſt formalior Aere, continet totum Aerē, & Aer, quia eſt formalior Aqua, continet totam Aquã, ergo cum Aqua ſit formalior Terra, debet continere totam Terram: non ergo potuit fieri, vt aqua in vnum locum ita reduceretur, & reſtringeretur, vt poſſet apparere Terra. Deinde Aqua naturaliter mouetur ad cooperiendam Terram, ſicut Aer naturaliter mouetur ad cooperiēdam Aquam: ergo ſicut nulla eſt pars Aquæ, quæ non ſit cooperta Aere, ita nulla erit pars Terræ, quæ non ſit cooperta aquis.

Quomodo Aqua potuit in vnum locum reduci?

2 Ex dicendis in dubitatione ſequenti, vbi declarabitur, an Aqua ſit altior Terra? magis completè explicabitur dubitatio præſens: Pro nunc obſeruandum eſt, quod omnia Grauia ſemper tendunt deorſum, & ſi non ſunt impedita, ſemper quærunt ęqualiter à centro diſtare: quia ergo Aqua eſt corpus graue, & habet quandam ponderoſitatem, ideo cum ſit labilis, ſemper habet quandam rotũditatem, & in nullo loco habet ſuperficiē planã: Si enim Aqua, & vniuerſaliter omne Graue haberet ſuperficiem planam, cum planum non poſſit æquè diſtare à rotundo, ſequeretur, quod extremitates Aquæ plus appropinquarent Cælo, quam ipſum medium; & cum hoc ſit eſſe altius, ſcilicet plus appropinquare medio, ſequeretur, quod

Aqua altior eſſet in extremitatibus, quam in medio, quod falſum eſſe, conſtat ad ſenſum, neceſſe eſt ergo, quod Aqua, quæ fluit ad medium, habeat quandam Giboſitatē, & Rotunditatem in medio, ad hoc vt æqualiter diſtet à cælo.

3 Hoc autem, quod dictum eſt de Aqua, id idem dicendum eſt de Terra, quod ſcilicet propter eius ponderoſitatem ſit rotunda, ſed non ſine aliqua giboſitate, alias omnino cooperiretur ab Aquis: eſt ergo forma Terræ ſicut forma Pomi, quod quidem habet formam rotundam: ſed habet etiam aliquas giboſitates, & aliquas concauitates in illa forma; ſic Terra eſt quidem rotunda, ſed in diuerſis partibus poteſt habere diuerſas giboſitates ideſt diuerſos montes, & preter montes habet quandam magnam giboſitatem in parte ſeptemtrionali, in qua eſt Terra habitabilis, ſuntque ibi magnæ valles, quas intrat *Mare Mediterraneū*; & ſunt etiam ibi magni montes, vt apparet ad ſenſum: quamuis ergo illa giboſitas Terræ cum magno mari faciat vnam sferam, & vnum Globum, quia tamen in illa giboſitate ſunt profundæ valles, ſubintrat ibi mare, quia ſemper Aqua currit ad inferius, & fluunt ibi quædam bracchia Maris, ſed mare nō cooperit Terram totam, quia non cooperit illam magnam giboſitatem; cum Aqua non aſcendat propter eius grauitatem.

Quomodo Aqua non cooperiat Terram.

4 Sed dices, Si Aqua nunquam aſcendit, ſed ſemper deſcendit, propter quod non cooperit totam Terram, quomodo ergo mare fluit, & refluit, & quomodo flumina exeunt à mari, & reuertuntur ad mare, vt iterum fluāt? hoc quæſitum petit examinationem ſequentis dubitationis.

DVBITATIO SECVNDA.

An Aqua in ſuo ſpeciali Loco ſit altior Terra, vel è contra?

1 IAm tacta eſt ratio dubitandi, vel enim mare eſt altius Terra, & tunc quare Aqua non cooperit Terrā? non dicatur, Aquam ſic detineri à Deo propter bonum viuentium, nam talis detentio eſſet violenta, & violentum perpetuum eſſe non poteſt: ſi vero Terra eſt altior mari, ergo tolleretur fluxus, & refluxus maris, vel concedendum eſſet, quod cum flumina exeunt à mari, tunc Aqua aſcendit.

Ratio dubitādi.

2 D. THOMAS p. p. q. 69. art.

art.p. docet, quod *Mare* eſt altius Terra: & ita etiam ſentiunt cum D. Thoma Bannes, Zumel, & Ioannes de Sancto Thoma tract. 7. de Metheoris cap. 1. Arriaga diſput. 4. ſect. 4. & ex Patribus Baſilius homil. 4. in Examer. *Ambr.* lib. 3. cap. 1. Nazzianz. in in cat. Patruum in Geneſ. & probatur hæc ſententia P. ex ſacra ſcriptura pſ. 68. veni in altitudinem maris, & Lucæ 2. duc in altũ. & Item pſ. 130. ſuper montes ſtabunt *Aquæ*. & infra. *Terminum* poſuiſti, quem non tranſgredientur, neque conuertentur operire Terram. rurſus Prouerb. 8. quando certa lege, & Giro vallabat *Abiſſos*, quando circundabat mari terminum ſuũ, & legem ponebat Aquis, ne tranſirent fines ſuos. Secundo ex Patribus: nam D. Baſil. refert, mare rubrum altius eſſe Terra, vnde ad lictus pergentes Nautæ Terram infra mare conſpiciunt, quod etiam conſtat in alijs locis, nam in Lictore exiſtentes, videmus Mare velut in globum aſſurgere: morantes vero in alto Mari, non cernimus planitiem Terræ, ſed tantum cacumina Montium. Tertio naturale eſt *Aquæ*, exiſtere ſupra Terram, cum ſit leuior, quàm Terrá. Quarto omnia flumina intrant in mare; & ad locum, vnde exeunt, reuertuntur. Eccleſ. p. Sed flumina vt plurimum exeunt ex altiſſimis montium iugis, ergo Mare eſt altius, quam Mõtes. probatur hæc conſequentia, quia Aqua naturaliter deſcendit, & ſi aſcendit, hoc eſt, quia prius deſcendit; ergo ſi in montes aſcendit per occultos meatus, prius à Mari deſcendit; erit igitur Mare altius omni mõte. Quinto. Graue eſt talis naturæ; quod petit eſſe circa centrum æqualiter quo ad pondus, & ſi ex vna parte eſt grauius, ex alia vero Leuius, tunc petit eſſe propinquius centro ſecundũ partes grauiores, & non ſecundum Leuiores: ſed Globus iſte compactus ex Aqua, & Terra eſt Leuior ex parte Aquea, & ex parte Terrea eſt grauior, ergo ſecundum partem Aqueam magis diſtat à centro, & ex conſequenti eſt altior, quam Terra.

2. SCOTVS in 2. diſt. 17. q. 2. apud *Maltrium*, & Bellutum diſp. 4. de Cælo q. 4. art. p. dum aſſerit, *Aquas* diluuij miraculosè aſcendiſſe ſupra montes ad punitionem peccatorum, inſinuat non obſcurè, *Montes* eſſe *Altiores* Aquas; ſuntque pro iſta Opinione plures Patres, & *Authores* præſertim Chriſoſtom. homil. 9. ad populũ Antioch.

D. Tho. Bann. Zumel Ioannes de Santo Thom. Arriag. Baſil. Ambroſ Nazian.

D. Tho. vult Mare eſſe altius Terra.

Scotus vult, Mõtes eſſe Altiores Mare.

Chriſoſ. Hieronym. D. Auguſtinus. Damaſc.

tioch. Hyeron. ſuper pſal. 37. D. Auguſtinus ſuper pſ. 137. & lib. p. in Geneſ. ad litt. cap. 12. Damaſcenus 2. de Fide cap. 9. & 10. Et ex Scolaſticis præſertim recentioribus Conimbr. 2. Cęli cap. 14. q. 4. Ruuius lib. 3. cap. 8. q. 3. Hurtad. diſp. 3. de Cælo §. 84. Amicus de Cęlo tract. 8. q. 4. dub. 3. & plures alij apud Auerſam q. 36. ſect. 4. probatur autem primo ex ſacra ſcript. pſ. 23. ipſe ſuper Maria fundauit eam & pſ. 32. congregans ſicut in vtre Aquas Maris, & vocat vtrem illam intercapedinem, & concauitatem. pſ. 106. qui deſcendunt Mare in nauibus: ſi enim Homines deſcendunt Mare, ergo hoc eſt depræſſius, quam Terra. 2. probatur eadem ſententia ratione; quia Aqua ex ſua propria natura tendit deorſum, & æqualiter ſecundum omnes ſuas partes diſtat à centro, ergo ſi Aqua ſecundum aliquam partem eſſet altior Terra, deberet ſe ſupra Terram diffundere, illamque obtegere. Nec dicas, Aquam ſurſum detineri à Deo propter bonum Vniuerſi, & non violenter; ſed naturaliter ex eo, quod illa detentio eſt conformis inclinationi naturæ Vniuerſi, quę magis reſpicit bonum comune, quam partiale; nam tunc ſequeretur, admittendum eſſe continuũ miraculum abſque neceſſitate. 3. adiungi poſſunt infauorem huius ſententiæ plures experientiæ; nam ſi Aqua eſſet altior Terra, hoc maximè eſſet in Oceano, ſed ibi conſpiciũtur elatæ multæ Inſulæ ſuper Aquas, ergo Vniuerſaliter Terra eſt altior mari. Deinde flumina per imas valles naturali motu decurrunt ad Mare, ſed ſi Mare eſſet altius Terra, tunc Aqua non deſcenderet, ſed aſcenderet; ergo &c. Item Naues ceteris paribus non velocius ad Terram perueniunt, quam à Terra diſcedãt, quod ſi Aqua eſſet altior, quam Terra, tunc naues deberent facilius accedere ad Terram, quam recedere? demum pro hac ſententia adeſt Inſignis Authoritas D. Auguſtini lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 10. ſic dicentis. Nũquid *in altum congregatæ ſunt Aquæ, ſicut fit cũm ad ventilandum in Aerea meſſis tritaſurrigitur, & congeſta in agerem nudat locum, quem diffuſa contexerat? quis hoc dixerit? cum videat, vſquequaque campos maris æqualiter fuſos, qui etiam cum Aquæ fluctuantis quidam velut montes eriguntur, ſedatis rurſum Tempeſtatibus complanantur.* — Auguſtinus.

3 ÆGIDIVS in lib. 2. Examer. & in 2. ſent. diſt. 14. qu.

Aegidi⁹ duo docet.

Primū.

2. art. p. duo explicat valde Doctè, ex quibus poſtea nos deducemus totius quæſtionis reſolutionem. Primum eſt, quod *A*qua nunquam aſcendit, etiam ſi Terra ſecundum montes ſit altior, quam Aqua, idque ſic probat, quia eius Grauitas *A*quæ potius petit deſcenſum, quam aſcenſum; ſed non propter hoc tollitur, quin flumina exeant à *Ma*ri, & reuertantur ad Mare, vt iterum fluant; quia Mare cū illa Terra habilitabili facit quidem vnam sferam, & illa Terra habitabilis eſt pariter vna pars illius sferæ: ſed quia Mare ita circundat totam Terram, vt tota Terra habitabilis etiam cum bracchijs maris, & cum omnibus fluminibus non ſit completa quarta pars Terræ, ideo *Mare* humectat Terram, & à Terra ſic humectata per mare, eleuantur Vapores, à Vaporibus ſic eleuatis, generantur Pluuiæ ſuper Terram, & ſubtus Terram, & propterea interdum videmus, quod magis abundant *A*quæ, & plures ſunt fontes in montibus, quam in vallibus, quia magis abundant cauernæ in montibus, quam in vallibus; vbicunque ergo Terra eſt cauernoſa, ibi eleuantur vapores vſque ad cacumen cauernæ, qui vapores ibi ingroſſantur, & deſcendunt & ex eis ſit flumia: igitur ex pluribus talibus cauernis ſit fons vel magnus, vel paruus ſecundum quod vel magis, vel minus in cauernis ſubtus Terram generantur *A*quæ, ex pluribus autem fontibus ſit poſtea fluuius; & hoc modo fluuij dicuntur exire à *Mari*, quia ſcilicet *Mare* humectat, & inebriat Terram, ex qua humectatione per calorem ſolis, & *A*liorum *A*ſtrorum, quorum eſt calorem efficere, fiunt vapores, qui eleuati, faciunt pluuias, & quia pluuię faciunt fontes, & fontes coniuncti faciunt fluuios, propterea ſequitur, quod Aquæ ſecundum ſe nunquam aſcendunt.

Quomodo flūmina exeāt à mari.

4 Secundum, quod docet Ægidius vbi ſupra; eſt, quod benè ſaluari poteſt fluxus, & refluxus Maris, etiam ſi Aqua non aſcendat: nam in primis dici poteſt, quod Mare fluit, & refluit propter augmētum, & diminutionem *A*quarum; nam quando diminuuntur *A*quæ maris, tunc mare ſe retrahit, quando vero augumētantur, tunc mare ſe dilatat; vel ſecundo dici poteſt, quod fluxus, & refluxus Maris reducitur in virtutes ſuper Cæleſtium corporum; nam in parte ſeptemtrionali, vbi eſt intenſum frigus, ſemper inſpiſſat *A*er, & ſit inde Aqua, in

Secundū quod docet Aegidi⁹

in partibus vero Auſtralibus, vbi ſemper pergit Sol, euaporat Aqua, & fit inde Aer, & ex hoc Aquæ maris aliquando abundant, & aliquando minuuntur; vel tertio poſſumus fluxum, & refluxum maris reducere ad augmentationem, & diminutionem Lunæ, nam per eius augmentum, & diminutionem augmẽtantur, & diminuuntur omnia humida; vnde quia Luna exiſtente plena, tunc plus inſpiſſatur de Aere, & plus tunc conuertitur de Aere in Aquam, ideo tunc fit maior generatio Aquarum, & fortior, ac vehementior eſt fluxus Maris; Luna vero exiſtente non plena, totum ſuccedit è contra; quod autem dictum eſt de Luna, veritatem etiam habet de alijs Syderibus; quia aliqua Sydera ſunt calida, & faciũt Aquam euaporaré, propter quod diminuunt Aquam, & augmentant Aerem; alia vero Sydera ſunt frigida, & faciunt Aerẽ inſpiſſari, propter quod conuertunt Aerem in Aquam; & illam augmentant, & ex hac augmentatione, & diminutione Aquæ euenit fluxus, & refluxus maris.

IVDICIVM AVTHORIS ex Ægidio

Pro Defenſione Vtriuſque ſententiæ.

5 EX doctrina Iam data Ægidij ſic poſſumus reſolutionem capere totius principalis quæſiti, & ſimul etiam defendere Vtriuſq; Doctoris ſcilicet Sancti Thomæ, & Scoti ſententiam. Aqua enim, quæ ſimul cum Terra facit vnum Globum, & quaſi vnam ſferam, propter ſuam ponderoſitatem, & quatenus eſt Corpus labile, & fluidum, habet quandam rotunditatem, ſeu quandam giboſitatẽ in medio, vt nos vidimus in dubitatione præcedenti, & omnes admictunt ſine vlla diſcrepantia: ſi enim haberet ſuperficiem planam: cum planum non poſſit æque diſtare a rotundo, extremitates illius Aquæ plus appropinquarent Cælo, quam mediũ: & quia hoc eſt eſſe altius, plus ſcilicet appropinquare, ſequeretur; quod Aquæ illæ altiores eſſent in extremitatibus, quam in medio: Aquæ ergo de neceſſitate habent fluere ad medium, & faciunt quandam giboſitatem in medio, adhoc vt æqualiter diſtent à Cælo: ſecundum hanc autem Giboſitatẽm in medio

Aqua

In quo ſenſu Aqua ſit altior Terra?

Aqua eſt altior, quam Terra conſiderata ſecundum ſuam planitiem, quia ſi Aqua ſecūdum ſe eſt corpus fluidum, & alias eſt giboſa in medio, ergo habet deſcendere ſaltem in profundis vallibus, & quia quod deſcendit in aliud, eſt altius illo, ſequitur, quod *Aqua* ſecundum ſuam Giboſitatem, quam habet in medio, eſt altior, quam Terra conſiderata ſecundum ſuam planitiem. In hoc ſenſu intelligimus ſententiam S. Thomæ: nec eius argumenta aliud conuincunt.

Explicatur quomodo Terra ſit Altior Mari?

6. Cum hoc tamen etiam dicimus, quod Terra habet etiā ſuam rotunditatem, ſed non habet formam omnimodè rotundam ſine aliqua Giboſitate; quia forma Terræ eſt rotunda ſicut forma Pomi, Pomum autem habet ſuam rotunditatem, ita tamen quod poteſt etiam habere ſuas giboſitates, & concauitates: igitur Terra eſt quidem rotunda, ſed in diuerſis partibus poteſt habere diuerſas Giboſitates, ideſt diuerſos montes, & præter montes habet quandam magnam giboſitatem in parte ſeptentrionali, in qua eſt terra habitabilis; Modò quamuis *Aqua* cooperiat totam Terram conſideratam ſecūdum ſuam planitiem, quia *Aqua* ſecundum ſuam giboſitatem eſt altior, quam planicies Terræ: non cooperit tamen Terrā ſecundum ſuas Giboſitates, & ſecundum montes; quia Aqua propter ſuam grauitatem nūquam aſcendit, reſtat igitur, quod Terra ſecundum ſuos montes ſit altior, quam Aqua: quomodo autem ſaluetur, quod Terra ſecundum ſuos montes ſit altior mari? & tamen mare non aſcendat? iam eſt per habita manifeſtum; & in hoc ſenſu accipimus ſētentiam Scoti, cuius argumenta id apertè conuincunt.

RESPONDETVR IN FORma Argumentis *Vtriuſque Sententiæ.*

7 AD D. THOMAM dicimus, eius Argumenta probare, *Aquā* ſecundum ſuam Giboſitatem, quā habet in medio, eſſe altiorem Terra, conſiderata ſecundum ſuam planitiem; & ſic ad primam authoritatē ſacræ ſcripturæ pro hac ſententia adductam, Reſpondendum eſt. Ad illum autem verſiculum pſ. 130. Reſpondetur; quod illud verbum *ſtabunt* ſumitur pro *ſtabant*: nam ibi Vates Loquitur de *Aqua* ſecundum primęuam conſtitutionē, quādo ſcilicet *Aqua* cooperiebat.

bat Totam Terram: & quod hic ſit ſenſus, colligi poteſt ex illis particulis ſequentibus, ideſt *ab increpatione tua fugient.* ideſt a Iubſu tuæ Diuinę Vocis Aquæ congregabuntur in vnũ locũ. Aliæ Authoritates explicari poſſunt de cauernis, & concauitatibus Terræ, in quibus recluduntur Aquę; ita vt Terra, vel Arena ſit terminus Aquarum. Ad ſecundum ex Patribus Reſpondetur, tantum probare id, quod nos iam concedimus, quod ſcilicet Aqua propter ſuam giboſitatem in medio eſt altior, quam Terra in ſua planitie. Ad tertium Reſpondetur eodem modo. Ad quartum Iam dictum eſt in doctrina Ægid., quomodo flumina exeant à mari, & iterum reuertantur ad mare, abſque eo, quod aſcendant. Ad ſecundum Reſpódebitur cópletius in dubitatione ſequenti, pro nunc ſufficiat, quod Aqua ſecundum giboſitatem in medio eſt altior Terra ſecundum ſuam planitiem.

8 Ad Scotum Reſpondemus, quod Terra ſecundum ſuos monteseſt altior, quam Aqua, nec propter hoc Aquę aſcendunt, vt iam vidimus, idq; probant omnes authoritates Sacræ Scripturæ, & ſingulę rationes; ſi benè conſideretur ea, quæ cum Ægidio docuimus ſupra num. 3. & 4.

DVBITATIO TERTIA.

V. Globus ex Aqua, & Terra compactum habeat vnum, & Idem centrum in Vniuerſo?

1 Occaſione illius quinti Argumenti, quod in præcedenti dubitatione fuit aductum pro ſententia Sancti Thomæ, videndum eſt, an in Globo conſtituto ex Aqua, & Terra, vnum & Idem ſit centrum vtriuſque, ita vt centrum Aquę ſit ſimul compenetratum cum centro grauitatis Terræ? & ſi dicatur, quod ſic: peto, quomodo ergo Terra tenet infimum locũ in vniuerſo? ſi vero dicatur, quod non, ergo ſemper Aqua propter ſuam maiorem leuitatem diſtabit magis à centro, quam Terra, & ex conſequenti erit altior, quam Terra.

2 Aſſertio noſtra reſponſiua quæſito eſt, quod ſicut ex Aqua, & Terra factum eſt vnum Globum, & vna Sphera; ita phiſicè loquendo, vnum, & idem omnino permanſit centrum grauitatis vtriuſque elementi, licet nulla fuerit facta compenetratio mathematica vnius centri cum alio: Sic tenet comunis Opinio a- (Vnum, & ideſt fuit centrũ Aquę & Terræ phiſicè.)

apud

pud Hurtadum lib. de Cælo diſp. 3. ſect. 5. ſubſect. 2. & apud Amicum tractat. 8. q. 4. dub. 2. & colligi poteſt non obſcurè ex Ægid. in 2. diſt. 14. q. 2. art. p. & in duobus dubijs lateralibus immediatè ſequentibus : probatur autẽ prima pars, quod ſcilicet cẽtrum Aquæ fuerit phiſicè cõpenetratum cum centro Terræ, quia in illa ſegregatione Aquarum non fuit tota Terra elata in vnum latus, & in aliud latus totaliter Aqua reducta : ſed in diuerſis partibus Aqua ſimul, & Terra fuerunt ſimul permixta, ideoque punctum illud Terræ, quod prius tanquam cẽtrum erat cõpenetratum cum centro Vniuerſi, ad huc poſtea remanſit centrum grauitatis totius Globi ſaltem phiſicè, quia reſpectu totius Globi nõ eſt notabilis diuerſitas in grauitate: ſi enim Aqua propter ſuam Giboſitatem in medio eſt altior, quam Terra, & quia altior eſt etiam leuior, etiam Terra detecta propter maiorẽ altitudinem, quam habet, deſiccatur à Sole, & compẽſatur cum Aqua.

3 Probatur modo altera pars, quod ſcilicet in Globo ex Aqua, & Terra conſtituto, centrum Aquæ non ſit mathematicè cõpenetratum cũ centro Terræ, quia ſequeretur ad quamlibet minimam variationẽ centri Aquæ totã Terram moueri, & quaſi fluitare, vt æqualiter ſe ponat circa centrum, quod tamen nullus concedet. Non tamẽ mathematicè.

4 Ad rationem ergo dubitandi reſpondemus in forma, quod quamuis centrum Aquæ ſit vnum, & phiſicè cõpenetratum cum centro Terræ: Terra tamen tenet infimum locum in Vniuerſo, quia ſub ſe non habet leuius corpus, cuius centrum ſit magis vnitum cum centro Vniuerſi.

5 Ex quo patet etiam ſolutio illius quinti Argumenti, quod in præcedenti dubitatione reliquimus inſolutum: dicimus enim, quod in Globo conſtituto ex Aqua, & Terra, Aqua non diſtat magis notabiliter à centro grauitatis, quam Terra, & ſi Aqua eſt leuior quã Terra propterea quod eſt etiam altior & propter ſuam giboſitatem in medio eſt magis propinqua Cælo: hic tamen exceſſus eſt parum notabilis, & compenſatur ex eo, quod Terra detecta valde deſiccatur à ſole, propter quod æqualiter diſtat à centro.

DVBITATIO QVARTA.

V. Globus ex Aqua, & Terra compactum moueatur circulariter?

1 Difficultatis ratio naſcitur, quia vel hęc ſphera ex Aqua, & Terra compacta mouetur, vel tota ſecundum ſe immobiliter ſtat? ſi tota mouetur, ergo Terra, quæ eſt pars illius Spheræ, nō eſt omnino immobilis; contra illud Eccleſ. p. quod *Terra in æternum ſtat*. Si vero dicatur ſecundum, quod ſcilicet tota ſphera ex Aqua, & Terra ſtet immobiliter, ergo Aqua, quæ eſt altera pars eiuſdem ſpheræ, nullo modo mouetur; & ſic tollitur fluxus, & refluxus maris, cuius oppoſitum videmus ad ſenſum.

2 Sed Comunis, & vera ſētentia non ſolum apud Philicos, & Mathematicos, ſed etiam apud Theologos eſt; Terreſtrē Globum nullo motu moueri, ſed immobiliter in medio Vniuerſi conſiſtere: globum vero Aquæ, quod eſt pars eiuſdem ſpheræ moueri orbicularitcr ad motum Cœli per ſe. Ita D. Thom. & Scotus in 2. diſt. 14. q. 2. Et Ægidius expreſsè in 2. diſt. 14. q. 1. art. p. dub. p. later. cuius verba ſunt hæc. *Solum extrema ſcilicet Cœlum Empireum, & Terra exiſtunt ſtabiliter; quia Terra in æternum ſtat: vt dicitur Eccleſ. p. & Cœlum Empireum eſt ab omni volubilitate ſemotum, vt dicunt Sancti: ſed omnia alia intermedia ſecundum quandam analogiam participant motum Primi Mobilis, quia ille motus, vt dicitur in 8. phiſicorum text. p. eſt vita in entibus, quia Cœli, & elementa præter Empireum, & Terram orbiculariter mouentur ſecundū motum primi Cœli, non quod in omnibus habeat æqualem efficaciam ille motus: ſed habet omnimodam efficaciam in omnibus Cœlis inferioribus, quia Cœli ſemper ſeruant ordinem ſuum, propter quem ſecundum motum primi mobilis ſemper inter diem, & noctem reuoluuntur ſemel, & tota Sphera Ignis ſequitur illum motum, quia propter ſui leuitatem, & raritatem eſt facilis ad mouendum: Sphera autem Aeris non totum ſequitur hunc motum, quia ſaltem Aer, qui clauditur inter montes, non ſequitur dictum motum, ita quod Aer minus ſequitur motum Cęli, quam Ignis, & Aqua minus ſequitur præfatum motum, quam Aer; nam credibile eſt, quod modica pars ſferæ Aquæ, vel magni maris ſequitur hunc motum; illa enim Aqua, quæ magis eſt leuis, vel quæ eſt minus grauis, & quæ magis participat cum Aere, fortè ſequitur motum Cœli* Doctrina Aegidij.

li per ſe, non enim per accidens illa aqua mouetur orbicnlariter, quod autem ſe diffundat ſuper Terram, hoc erit per accidens, pro vt verſus illam partem, ad quam mouetur, ſe multiplicat, ſe diffundit, hæc Ægid.

3 Et ſolet probari hæc ſententia quo ad immobilitatem Terræ tum authoritate Sacræ Scripturæ Paralip. 16. fundauit Orbem immobilem, & pſ. 103. qui fundaſti Terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſeculum ſeculi. tum etiam ratione, quia Terra eſt adeo grauis, vt ad centrum tendat, & petat, eſſe ſub omnibus alijs Corporibus leuioribus: vnde ſi á centro diſcederet, tunc aſcenderet, & non deſcenderet.

4 *A*d principalem ergo rationem dubitandi dicimus, totam Spheram ex Aqua, & Terra compactam, moueri quidem circulariter, aſt non ſecundum ſe totam, ſed ſecundum partem ideſt ſecundum Spheram *A*quæ, non vero ſecundum Spheram Terræ.

5 Sed Obijcies contra immobilitatem Terræ. Quies eſt nobilior motu, quia illa eſt finis iſtius: ſed Cælum eſt nobilius Terra, ergo Cęlo tribuēda eſt quies, & motus Terræ. Reſpondetur; quietem naturalem terminantem motum ad locum naturalem eſſe perfectiorem, quia dum mobile mouetur ad locum naturalem, ſupponitur, eſſe extra illum, & ſic in ſtatu violento: aſt motus, qui nō ordinatur ad quietem mobilis in proprio loco, ſed ad comunicandam virtutem ipſis inferioribus, potius eſt perfectior quiete, & talis eſt motus Cæli, mouetur enim Cælum propter bonum Vniuerſi.

DE AQVA SECVNDVM Se quatenus eſt elementum à Terra diſtinctum.

Dubitationes Duæ.

Dubitatio Prima. Vnde Aqua Maris traxerit originem in tanta copia?

Dubitatio Secunda. V. Salſedo conueniat Aquæ maris ab Intrinſeco?

DVBITATIO PRIMA.

Vnde Aqua maris traxerit Originem in tanta copia?

1 Relinquo tum Poetarum mendacia, dicentium Mare non aliud eſſe, quam Terræ ſudorem; tum Philoſophorum errores, aſſerentium, *M*are ab æterno fuiſſe cum alijs Elementis Solum pro veritate dicam cum

Diuina Scriptura, quod Aquæ in principio habebant quandã admixtionem cum toto Aere, redendo illum nebuloſum, & cum tota Terra, faciendo eam limoſam: vnde occupabant magnum ſpacium propter raritatem, quam habebant, ſed cum ſtatim Diuino Iubſu fuerunt congregatæ ſeu potius inſpiſſatæ, tunc occupauerunt minorem locum, & hoc fuit initium; & origo maris: Cuius ingens copia diſtributa eſt in quinque maria ſcilicet in Oceanum, Mediterraneum, Rubrum, Perſicum, & Caſpium, & horum omnium primum locum tenet Oceanum, quod extra columnas herculeas totam ferè Terram circumdat, vnde diuerſimodè nominatur iuxta varia Regionum nomina.

2 Reliqua Maria originem trahunt ab Oceano, de quibus legite Coſmografos apud Conimbr. Tractatu 9. in Metheor. cap. 3.

DVBITATIO SECVNDA.

Quomodo ſalſedo conueniat Aquæ Maris?

1 SVpponimus ſalſedinem non eſſe intrinſecam Aquæ Maris, quia varijs modis poteſt haberi Aqua dulcis à mari: ſi enim colatur Aqua maris per Arenam, vel vas cereum bène occluſum immergatur in mare, & per poros ceræ percolatur Aqua, tunc dulcis excipietur. Similiter ſi olla Aquis marinis plena apponatur Igni, & vapores fumantes excipiantur ſpongia, illi poſmodum compreſſi dulces euadunt, competit ergo ſalſedo Aquis marinis ab extrinſeco. — Salſedo non cõpetit aquę maris ab intrinſeco.

2 Et talis cauſa non eſt tantum continua ſolis actio, Aquas maris exſiccans: nam propter eandem rationem etiam lacus, vel paludes, & fluuij haberent ſalſedinem, cum talium Aquæ etiam radijs ſolis ſint expoſitæ: ſed inde prouenit cauſa ſalſedinis, quia in Mari reperiuntur multæ Terreæ exhalationes ſiccæ, & aduſtæ, & per modum cuiuſdam liquoris, ſeu ſalis liquefacti cum Aquis permixtæ, & huiuſmodi exhalationes ſalſedinem cauſant; vt probat Ariſt. 2. Metheor. cap. 3. præſertim exemplo ſudoris, vrinæ, &c. quæ habent permixtum quid à calore deſiccatũ, aduſtum, & non decoctum; poteſt autem prouenire in mari tam magna exhalationum copia, vel quia ſubtùs ſunt magnæ ſalis mineræ, ab authore naturæ ibi ab initio poſitæ ab bonum Vniuerſi: (ſalſedo enim data eſt mari tum

pro piſcibus, vt ſint ſalubriores, tum ne putreſcat Aqua propter nauigationem: nam ſalſedine Aqua fit denſior, & ita aptior ad ferendas Naues) vel quia ex permixtione Terrę taliter diſpoſitæ, accedente etiam ſolis calore, generantur exhalationes huiuſmodi?

DE METHEORIS AQVEIS

Dubitationes Quattuor.

Dubitatio Prima. Quid ſit Vapor, & an ſpecie differat ab Aqua?

Dubitatio Secunda. Quid ſit Nubes, & quomodo per pluuiam potuit aliquando emitti lac, vel ſanguis? aliquando ferrum, vel lapides? & aliquando carnes, vel piſces?

Dubitatio Tertia. Quid ſit ros, & Pruina; & quomodo hæc differant?

Dubitatio Quarta. Quænam ſit cauſa Niuis, & Grandinis.

DVBITATIO PRIMA.

Quid ſit Vapor, & an ſpecie differat ab Aqua?

1 VAPOR extrahitur virtute ſolis, & ſyderum ex omnibus Aquis tam maritimis, quam fluuialibus, & eſt halitus quidam ſubtilis, ratus, humidus, & calidus; ſicut videmus in olla feruenti a qua virtute caloris partes Aquæ ſubtiliores per modum fumi aſcendunt.

2 Non diſtinguntur ſpecie, & eſſentialiter ab Aqua, quia vapores herbarum in diſtillatorio vaſe excepti per modum fumi prius exhalant virtute caloris, deinde frigore condenſati in ſuperiori parte per modum humoris, & Aquæ excipiuntur in alio vaſe; & tamen vt plurimum non diſtinguuntur ſpecie ab illis herbis, cum retineant eaſdem proprietates, & virtuales qualitates, ergo multo magis vapores Aquei erunt eiuſdem ſpeciei cum Aqua, quia eodem modo extrahuntur, & quod magis vrget, ſtatim ad priſtinam Aquæ formam ſe reducunt, quod non experitur in ſuccis herbarum.

3 Obijcies. Ariſt. 2. de Gener. text. 28. docet, fumum eſſe ex Aere, & Terra & text. 15. probat, Aerem eſſe calidum, quia vapor calidus eſt, ergo vapor potius accedit ad naturam Aeris, quam Aquæ. ſecundo Aqua eſt frigida, denſa, & grauis; vapor autem eſt calidus, rarus, & leuis, ergo vapor non eſt eiuſdem naturæ cum Aqua. 3. Sæpe Aqua conuertitur in va-

porem, & é contra: ſed idem nunquam conuertitur in ſeipſum; ergo. Reſpondetur, in primo loco Ariſt, loquitur de fumo flammæ admixto; qui dicitur eſſe ex Aere, & Terra propter ſimilitudinem, quam habet cum illis. In ſecundo loco arguit à minori ad maius; nam ſi Vapor, ex quo proximè generatur Aer, eſt calidus, multo magis ipſe Aer. Ad ſecundum dicimus, quod illa accidentia non conueniũt Vapori ab intrinſeco, ſed extrinſecè ſcilicet virtute ſolis, & aliorum Aſtrorum. Ad tertium Reſpondetur; quod illa conuerſio Aquæ in vaporem, & è contra non eſt ſubſtancialis, ſed accidentalis; illud autem; quod nihil conuertitur in ſe ipſum, intelligendum eſt de Conuerſione ſubſtantiali.

DVBITATIO SECVNDA.

Quid ſit nubes, & quomodo ex pluuiis potuit aliquando cecidiſſe lac, vel ſanguis, aliquando ferrum, vel lapides, & aliquando ſ[illegible].

1 Nubes eſt vapor in ſecunda regione Aeris condenſatus, tum à frigore Aeris, tum à propria Forma ſubſtanciali Aquæ, & maximè actione Aſtrorum, quæ ſi erit ex Vapore ſubtiliori & minus humido, facilè conuertitur in Aerem; ſi vero ex Vapore craſſo, & magis humido, conuertitur in pluuiã; vnde Pluuia eſt nubes in Aquam reſoluta, & hæc ſi minutiſſimis guttis decidit, vocatur imber, ſi vero grandioribus, & cum impetu, vocatur Nimbus; ſi tandem guttis mediocribus, & cum impetu competenti, dicitur ſimpliciter pluuia; & hæc de prima parte quæſiti.

2 Quo ad ſecundam quando per pluuiam refertur, aliquando decidiſſe vel lac, vel ſanguinem, &c. id non eſt intelligendum de vero lacte, vel vero ſanguine, ſed ſolum quo ad colorem, idque poteſt contingere, vel quia Terra è qua vapores virtute ſolis fuerunt extracti, erat his liquoribus imbibita, vel quia ex peculiari Syderum actione, & varia exhalationum permixtione, fuerunt illi colores producti.

3 Quando vero refertur, aliquando decidiſſe lapides, vel ferrum, &c. id influxibus Aſtrorum debet adſcribi, propter admixtionem terreſtrium halituum cum Vaporibus, vel vento ex alijs locis in altum elatis, & deinde alibi delatis in terram. Et quando legitur, decidiſſe Ranas, vel Mures, vel piſces

&c.

&c. dicendum eſt, quod talia non ſolum potuerunt vi turbinis, & ventorum à Terra in altum attolli, ſed etiam in ipſis nubibus generari virtute ſolis, cum huiuſmodi ſint Animalia ex putri generabilia.

4 Quando demum dicitur, per pluuiam decidiſſe carnes, vel alia, id ſolum accidere potuit vel virtute Demonum, vel vi ventorum: non enim influentiæ Cæleſtes poſſunt perfecta Animalia generare, vt diximus ſuo loco. De ſignis prædicentibus Pluuiam, agunt Conimbric. tract. 7. c. 7

5 Nebula ex *Ariſt.* p. Metheor. cap. p. differt à Nube, quia hæc exiſtit in *Aere*, illa verò inſidet circa Terram, vnde vocari ſolet ſuperfluitas nubis in Aquam reſolutæ, eſtque ſterilis, infecunda *Aqua*.

DVBITATIO TERTIA.

Quid ſit ros, & Pruina, & quomodo hæc differant?

1 ROS eſt vapor ſubtilis, non procul à Terra eleuatus, nocturno, ſed modico frigore conſtrictus in *Aquam*; dicitur vapor ſubtilis, ad differentiam Vaporis craſſi, ex quo generantur Pluuiæ, Nubes, Nix, & Grando, dicitur non procul eleuatus à Terra, quia Ros fit in Infima Aeris regione, vnde ſolum decidit in planis, & non in montibus; dicitur modico frigore &c. nam ſi calor excederet, vt in æſtate, cum vapor ſit ſubtilis, facilè reſolueretur, ſi frigus eſſet ingens, congelaretur in pruinam, qua propter in Vere, & in *Autumno* condenſatur ros, non in æſtate, niſi ſolum in locis frigidis, & humidis.

Videantur Conimbr. tract. 7. cap. 9. vbi complete tota præſens diſſoluitur dubitatio quo ad omnes partes.

DVBITATIO QVARTA.

Quanam ſit Cauſa Niuis, Glaciei, & Grandinis?

1 NIX Generatur ex Nube, quæ antequam reſoluatur in *Aquam*, conſtringitur frigore mediæ regionis Aeris, & eſt ſiccior, quam pluuia, quia continet magis de exhalatione, & minus de humido, quam pluuia.

2 Color nimis eſt albus non apparens, ſed verus, quia vbique, & ab omnibus ſemper idem videtur; cauſa huius candoris eſt frigus intenſum, ſicut enim calor eſt cauſa nigre-

gre-

gredinis, ita frigus eſt cauſa albedinis, & hinc eſt, quod habitatores locorum niuoſorum ſunt candidi, habitantes vero ſub Zona Torrida, ſunt nigri.

3 Grando eſt nubes in pluuiam concreta, quæ antequã Terram contingat, congelatur, cuius congelationis ſecundæ poteſt aſſignari cauſa, altera materialis, & alia efficiens: materialis eſt Vapor Aqueus ex natura ſua frigidus, & humidus, ſed cum admixtione aliqua terreſtriũ halituum, qui valde conferunt ad ſoliditatem, & duritiam corporum, vnde videmus, Niuem ſale aſperſam cõgelari; eo quia ſal propter ſiccitatem confert ad congelationem; cauſa vero efficiens eſt frigus extrinſecum Aeris ambientis, & quia in æſtate non ita ſæpe accidunt venti frigidi, vt in Vere, & Autumno, ideo fræquentius fiunt grandines in fine Veris, & in Autumno, quam inferuenti Æſtate.

4 Glacies eſt ſimilis Grandini, & ſolum differt, quod Grando dicitur Aqua in Aere congelata; glacies vero fit in ſtagnis Paludibus, fluuijs, & etiam in mari; nam referunt nonnulli, reperiri ſub polo Mare glaciatum, quamuis alij dicunt, hoc contingere propter magnam Aquæ fluuialis copiam; congelatur itaque Aqua propter nimium frigoris exceſſum, & quia eſt commixta terreſtri exalationi, ſicut dictum eſt de grandine. Et hæc de Metheoris Aqueis.

QVÆSTIO QVARTA.

DE ELEMENTO TERRÆ Eiuſque Metheoris.

De Terra Habitabili

Dubitatio Vnica.

V. Extra Montes, Planitiem, & Inſulas reperiatur alia Terra habitabilis, in qua forte ſint Antipodes?

1 NOn deſunt etiam ex Recentioribus, qui dicant, extra montes, Planitiem, & Inſulas, quinque etiam Zonas ſcilicet Torridã, & duas Temperatas, ac duas frigidas cõprehendi ſub Terra habitabili: vnde conſequẽter dicunt, non ſolum Antipodes eſſe poſſe, ſed de facto dari. Ita referunt Maſtrius, & Bellutus diſp. 4. qu. 4. art. 6. Sed Ariſtotiles 1. Metheor. cap. 5. D. Thom. p. p. qu. 12. art. 2. & 4. Scotus in 2. diſt. 17. q. 2. Ægid. in Examer. par. 2. cap. 11. & in 2. diſt. 14. qu. 1. art. 1. negant, præter montes,

Pla-

Planitiem, & Inſulas reperiri aliam partem Terræ, quæ ſit habitabilis, & ſpecialiter dicunt, Antipodes eſſe fabuloſos. Ita Patens Aug. 16. de Ciuit. cap. 9. & Beda lib. de ratione tempor. cap. 32. Et probat Ægid. in Examer. vbi ſupra ſic dicens. *Creditur autem ſecundum veritatem, quod de tota Terra habitetur quaſi quarta pars, quæ dicitur pars Septentrionalis*. Ibique dat cauſam, cur Terra non tota ſit cooperta Aquis, ſicut tota Aqua eſt cooperta Aere? damnatque eorum ſententiã, qui dicunt, totam Terram eſſe habitabilem, quia tunc non eſſet dare locum, vbi reciperentur maria, & ſic ſubſequitur. *His itaque prælibatis de habitatione Terræ poſſumus loqui vel ſecundundum ſuam Giboſitatem, quam nos credimus habitari; vel ſecundum quod Empedocles opinabatur, quod ſubter nos ſunt alij homines habitãtes*: Sed videantur Maſtrius, & Bellutus vbi ſupra.

DE METHEORIS TERREIS.

Dubitationes duæ.

Dubitatio Prima. Quæ nam ſit cauſa Materialis, & efficiens lapidum, & metallorum.

Dubitatio Secunda. Quæ nam ſit cauſa præcipua Terremotus?

DVBITATIO PRIMA.

Quæ nam ſit cauſa materialis & efficiens lapidum, & Metallorum?

1 QVamuis lapides ſint mixta perfecta, quia tamen in viſceribus Terrę fiũt, & cum ipſa integrant vnum Corpus, & de eadem materia conficiuntur; ideo inter Metheora Terre numerantur; Eorum materia vt plurimum eſt quid mixtum ex vapore Aqueo, & halitu Terreo, quia cum Lapis ſit quodam corpus ſolidum, non ſufficit vapor Aqueus, qui ex ſe eſt fluidus, nec minus ſufficit exhalatio Terrea, quia hæc cum ſit ſicca, potius reduceretur in puluerem, quam condenſaretur in lapidem. Requiritur igitur vapor humidus, vt conglutinet ſiccum, ne diſſipetur in puluerem, qui propterea debet eſſe viſcoſus, & vlterius ſequitur halitus ſiccus, vt cõtineat, & frenet humidum vaporem, ne labatur, & hæc mixtura dicitur materia proxima ad recipiendum Formã lapidis, & vocatur ſuccus lapideus, qui duplex eſt; nam vel in ipſo prædominatur halitus Terreus, & ex iſto generantur

rantur lapides ſimiles Terræ: vel in ipſo prædominatur humor Aqueus continens ſiccum Terreum, ſubtile, & ex iſto generantur lapides ſimiles Aquæ, & perſpicui ad inſtar glaciei.

2 Petes; an aliquid aliud poſſit eſſe materia lapidum? Auerſa q. 44. ſect. 4. affirmat, idque probat, primo experiẽtia, quia Aqua pura poteſt conuerti in lapidem, nam Aqua fontis cepuſij in Dacia ſi reponatur in vaſe, ſpacio vnius noctis ſecundum partem conuertitur in Lapidem; ſimiliter in Gothia guttæ Aquæ cuiuſdam fontis in Terram ſparſę conuertuntur in lapides eiuſdem Quantitatis guttarum; deinde ligna, cadauera quandoque in lapides conuertuntur, & in uiſceribus animalium ex cibo indecocto generantur lapides: ergo non tantum lapides generantur ex ſucco lapideo.

3 Sed Negatiua ſententia eſt comunior, quam latè probat Georgius agric. lib. 4. de ortu, & Cauſis Subterran. & præcipuè, quia nunquam aliquid conuertitur in lapidẽ, niſi ſit in loco, in quo poſſit miſcer, & recipere ſuccũ lapideũ, vnde in Aquis illis reperitur admixtus ſuccus terreus, & ſubtilis; neque eſt nouum, reperiri in Aquis aliquid de ſubſtantia Terrea; nam in Aquis minerabilibus à lambicco extrahuntur quædam partes ſubtiliores mineralium, per quæ pertranſeunt, & ex illis deueniunt Medici in cognitionem proprietatum balneorum; Similiter ligna, cadauera, & ſimilia lapideſcunt, quando ſucco lapideo imbibuntur.

4 Vtraque tamen ſententia eſt probabilis, & prima habet pro ſe experientiam lapidis generati in renibus Animalium.

5 Cauſa effectiua lapidum reduci poteſt ad ſydera, ſed non poteſt à nobis dignoſci; quod nam ex Aſtris ſit productiuum lapidum, cum multæ ſpecies lapidum inueniantur; cauſæ inſtrumentales poſſunt eſſe primæ qualitates, & probabile eſt, interuenire alia accidentia occulta, ab Aſtris producta, & diuerſimodè diſponentia materiam pro diuerſitate ſpecifica lapidum. De Materia metallorum videantur Conimbric. tract. 13. cap. p. & Auerſa q. 44. ſect. 5. An autem per Artem Chimicam poſſit effici verum Aurum? in tractatu primo lib. 2. phiſic. oſtendimus.

DV-

DVBITATIO SECVNDA.

Quæ nam ſit Cauſa præcipua Terremotus?

1 SÆpe ſæpius contingunt in Terra quidam motus tremoris, qui comuniter vocantur Terremotus, quorum cauſa præcipua eſt ingens copia Terreſtrium exhalationũ in Terræ viſceribus incluſarũ, & foras exire contendentium; idque ex eo comprobari poteſt, quod eſt maior vis exhalationis incluſæ in viſceribus Terræ, cum ibi violenter detineatur, quam ſit vis eius, qui ſerpit per Terram, vt ſunt vẽti, & nihilhominus venti ſunt tantæ vehementię, vt euertant Turres, & domos, ergo molto magis halitus ſubterranei poterunt Terram cõcutere, quando illis ingreſſus præcluditur, quod ſi halitus iſti non ſunt tantæ fortitudinis, cauſabunt tremorem, & agitationem, ſed ſi vim magnam habebunt, perforabunt Terram in diuerſis partibus iuxta maiorem, vel minorem reſiſtentiam partium Terræ: Si vero ſunt in vno loco congregati ſimul, & poſſunt vincere reſiſtentiam Terrę, vt illam Scindant, tunc cauſabunt ruinam, ſciſſionem, & ſubmerſionem, ita vt ipſi montes, & ciuitates abſorbeantur.

2 Hac etiam ratione halitus iſti ſolent commotionem cauſare in Aquis, ita vt mare in mira eminentia intumeſcens, ipſas naues tranſportet ad montes.

3 Qui vero de Cauſis Terremotus, eiuſque accidentibus & præſaggijs, ac de Metheeris *Terreis* plura deſiderat; legat Conimbr. tract. 10. & 11. cap. 5. Taſſon. lib. 2. qu. 13. & Auerſam vbi ſupra. Nobis autem hæc dicta ſufficiant etiam pro ſecundo Tractatu de *Cælo*, & *Mundo*; Et iam accingimur ad ſecundam partem de Generatione, & Corruptione, atque de Anima.

LAVS DEO.

INDEX
Fundamentalium Diſtinctionum
QVIBVS
IN SCHOLA AEGIDII
Omnes inter S. Thomam, & Scotum Controuerſiæ defenduntur.

EX PRIORI TRACTATV

In octo libros Phiſicorum.

V. Ratio Materialis Philoſophiſici Obiecti ſit Corpus, vel Ens?
Diuus Thomas docet, eſſe Ens. Scotus, eſſe Corpus.
Ægidius Vtrumque.

RAtio materialis Principalis prima, & per ſe in Philoſophia eſt Corpus. Sic Scotiſtæ. Ratio Materialis principalis ex conſequenti eſt ens, Sic Thomiſtæ pag. 3.

V. Ratio formalis Obiecti Philoſophiæ ſit Mobilitas, vel Naturalitas?
In Schola Thomiſtica Mobilitas; in Scotica Naturalitas.
In Ægidiana Vtraque.

Mobilitas eſt Ratio formalis proxima, & immediata Philoſophiæ, Sic D. Thomas. Naturalitas eſt Ratio formalis remota, & radicalis eiuſdem ſcientiæ. Sic Scotus. pag. 7.

V. Prioritas ſit de intrinſeca ratione cuiuſcunque Principij?
Thomiſtæ negant. Scotiſtæ affirmãt,
Ægidius Vtrumque.

Prioritas, quæ dicit diuerſitatem in Natura, & tollit ſimultatem cognitionis, non eſt de Intrinſeca ratione cuiuſcunque Principij. Ita Thomiſtæ. Prioritas, quæ tantum dicit Originem,

ſeu ordinem, à quo aliud; eſt de intrinſeca ratione Principij, ita Scotiſtæ. pag. 36.

V. Diffinitio Principiorum tradita ab Ariſtotile competat Principijs Phiſicis Vniuocè, vel Analogicè?

In ſchola ſubtili Vniuocè, in Thomiſtica Analogicè.

In Egidiana vtroque modo.

Quæ in ſchola ſubtili dicitur Vniuocatio, in Angelica vocatur *Analogia*. pag. 45.

V. Materia Prima denudata omni forma ſit compoſita ex duplici gradu ſcilicet Generico, & differentiali?

Thomiſtæ negant. Scotiſtæ affirmãt.

Ægidiani diſtingunt.

Materia Prima ſecundum ſuã nudam eſſentiam non conſtat ex duplici parte, quarum quælibet ſit Res: nec minus ex duplici gradu, quorum vnus ſit extra alium. ſic Thomiſtæ. Sed eſt compoſita ex duplici gradu, quorum vnus eſſentialiter eſt Res, eſtque eſsẽtia ipſius Materiæ; alius eſt tantus modus eſſendi, eiuſdem Materię; ſic Scotiſtæ. pag. 72.

V. Materia præſcindendo à quacũque Forma ſubſtantiali, habeat ſuam Vnitatem numericam?

Thomiſtæ negant. Scotiſtæ affirmant.

Ægidiani vtrumque.

Materia denudata omni Forma ſubſtantiali non habet vnitatem numericam poſitiuã ſimpliciter, & ſecundũ ſe. Ita Thomiſtę. Sed habet Vnitatem numericam priuatiuè, vel etiã poſitiuè non ſimpliciter, & ſecundum eſſe; ſed ſecundum modũ; ita Scotiſtæ. pag. 76.

V. Materia Prima habeat de ſe aliquem actum independenter ab omni Forma?

Thomiſtæ negant. Scotiſtæ affirmãt.

Ægidiani vtrumque.

Materia indepẽdenter ab omni Forma non habet Actum ſecundum eſſe, ſeu ſecundum eſſentiam, qui vocatur actus formalis. Sic Thomiſtæ. Sed habet actum ſecundum modum, ſeu traſcendentalem; & ſecundum dici, & vocatur Actus Entitatiuus; ita Scotiſtæ pag. 78.

V. *Potentia Paſſiua ſit de eſſentia Materiæ?*

D. Thomas affirmat. Scotus negat.

Ægidius vtrumque.

Potentia Materiæ ſumpta formaliter, quatenus dicit habitudinem, ſeu relationem ad formam, non eſt de eſſentia Materię. Ita Scotus. Sed ſumpta radicaliter, quatenus eſt fundamentum habitudinis ad formam, eſtque receptiuum tum ipſius Formæ, tũ etiam habitudinis ad formam; eſt de eſſentia materiæ. Ita D. Thomas. pag. 86.

V. Formæ Calorum fuerint eductæ de Potentia Materiæ, vel potius creatæ?

D. *Thomas vult, eſſe creatas. Scotus eſſe eductas.*

Ægidius vtrumque.

Si ſumatur æductio formæ in eo gradu, quatenus ſimpliciter dicit tranſmutationem Materiæ à Priuatione ad formã. Sic formæ cælorum non fuerunt æductæ, ſed potius concreatæ: Ita D. Thomas. Si vero ſumatur in latiori ſignificatione, quatenus dicit productionem ex præſuppoſito ſubiecto; ſic Formę Cælorum fuerunt ęductæ. Sic Scotus. pagina 106.

V. Materia ſit de ſe cognoſcibilis ſine vllo ordine ad Formam?

D. Thomas negat. Scotus affirmat. Ægidius vtrumque.

Materia ſine vllo ordine ad Formam nullo modo poteſt cognoſci conceptu ſimpliciter poſitiuo, qui eſt talis ſecundum eſſe. Hoc D. Thomas. Poteſt tamen Materia ſine vllo ordine ad formam cognoſci conceptu priuatiuo, vel etiam poſitiuo non ſimpliciter; ſed ſecundum modum, hoc Scotus: pag. 119.

V. Materia Prima ſupernaliter poſſit exiſtere ſine omni forma?

Thomiſtæ negant. Scotiſtæ affirmãt. Ægidiani vtramq; partem.

Loquendo de actu exiſtentiæ ſecundum eſſe, & completo, repugnat, Materiam exiſtere ſine omni forma ſubſtantiali. Ita Thomiſtæ. Sed loquendo de exiſtere ſecundum modum, quæ nõ eſt propriè exiſtentia, ſed quidã modus eſſendi, qui vocatur actus Entitatiuus, non repugnat, materiam Primam exiſtere ſine omni forma ſubſtantiali. Sic Scotiſtę pag. 128.

V. In vna eademque Materia poſſint eſſe plures formæ ſubſtantiales diſparatæ ſaltem ſupernaturaliter?

D. Thomas negat. Scotus affirmat. Ægidius vtrumque.

In Materia, quæ ſit vna per negationem omnis diuiſionis, vt in Materia, denudata omni Quantitate, nec per Diuinam Potentiã poſſunt eſſe plures formæ ſubſtãtiales. Sic D. Thomas. Sed in Materia, quę ſit vna tantum Vnitate Situs, poſſunt eſſe ſimul ſupernaturaliter plures formę. Sic Scotus. pag. 138.

V. In vna Materia de facto dentur ſimul plures formæ ſubſtantiales?

Thomiſtæ negant. Scotiſtæ affirmãt. Ægidiani vtrumque.

In nullo compoſito ſubſtãtiali ſiue Viuente, ſiue non viuente ſunt ſimul plures formę ſubſtantiales ſecundum eſſe, quæ cũ Materia conſtituant vnum per ſe: ita Thomiſtę. In Compoſito tamen præcipuè in Viuentibus dãtur plures formę ſubſtantiales: quarum vna tantum eſt ſubſtantialis ſecundum eſſe, & omnis alia ſecundum modum. Ita Scotiſtę. pag. 143.

V. Materia, & forma vniantur ſe ipſis, vel per aliquem modum diſtinctum ab vtriſq;?

D. Thomas, & Scotus tenent ſecundum. non nulli alij Primum.

Ægidius vtrumque.

Si ſumatur Vnio, vt dicit tertiã eſſentiam diſtinctam ab Vnitis. ſic Materia, & forma vniuntur ſe ipſis; ſic qui negant Vnionem mediam inter Materiam, & Formam. Sed ſi accipiatur Vnio, vt dicit modum, ſic materia, & forma vniuntur mediante modo ſubſtantiali, ſuper addito Entitatibus Vnitorum. Sic D. Thomas, & Scotus. pag. 160.

V. Vnio ſubſtantialis ſit vna tantũ, quæ recipiatur in ſola Materia, vel duplex, ita vna ſit in Materia, & alia in forma?

Omnes Recentiores tenẽt Primum. Scotus ſecundum.

Ægidius vtrumque.

Vnio ſecundum eſſe, quę ſimpliciter eſt quędam Res, & vocatur Actio Vnitiua, dicitque eſſentiam diſtinctã, & ſuper additam rebus, quę vniuntur, eſt tantum vna, & ſubiectiuè eſt in Materia, terminatiuè in Forma, & inhæſiuè in toto compoſito; ita Recentiores. Vnio ſecundum modum, quę non dicit eſſentiam diſtinctam ab Vnitis, eſt duplex, vna, quę eſt modus *Materiæ*, & eſſentialiter non eſt aliud, quam Materia, alia eſt modus Formę, quatenus hęc per modum actus vnitur materiæ, & eſſentialiter non eſt aliud, quam Forma. Sic Scotus pag. 166.

V. Materia, & forma ſimul vnita diſtinguãtur realiter à Toto Cõpoſito?

D. Thomas negat. Scotus affirmat.

Ægidius vtrumque.

Inter Materiam, & Formam ſimul vnitas, & Totum Compoſitum non eſt diſtinctio eſſentialis, nec minus eſt diſtinctio realis ſimpliciter; qualis eſſe ſolet inter duas Res diuerſorum Prędicamentorum. ſic D. Thomas. Sed inter Totum, & partes ſimul vnitas eſt diſtinctio realis ſecundum quid, ſeu potius diſtinctio mædia, vel formalis ex natura rei, quæ non habet conceptum diſtinctum à diſtinctione Rationis raciocinatæ; & tantum differt in Nomine; ſic Scotus. pag. 170

V. Cauſalitas cauſæ Phiſicæ in communi ſit aliquid ſuperadditum entitati abſolutæ cauſæ, & effectus?

D. Thomas negat. Scotus affirmat.

Ægidius vtrumque.

Cauſalitas cauſæ phiſicę formaliter ſumpta eſt Relatio cauſę ad cauſatũ, atque adeò eſt quid ſuperadditum entitatibus abſolutis cauſæ, & effectus. ſic Scotus. fundamentaliter vero eſt ipſum eſſe cauſę comunicatum effectui. Sic D. Thomas. pag. 207.

V. Subſtantia creata ſit immediatũ Principium Operandi?

D. Thomas negat. Scotus affirmat.

Ægidius vtrumque.

Nulla ſubſtãtia creata eſt operatiua immediatè vt principium quo, ita vt per ſuam eſſentiam

ſit

ſit proxima ratio operandi; Sic D. Thomas. Sed eſt *Agens* creatum immediatum, & proximum principium operationis vt quod, ſeu immediatum immediatione ſuppoſiti. Sic Scotus. pag. 221.

V. Accidens poſſit attingere productionem ſubſtantiæ?

Thomiſtæ affirmant; Scotiſtæ negant.

Ægidiani vtrumque.

Accidens, quod eſt inſtrumentum, & ratio agendi ſubſtantię, poteſt attingere productionem ſubſtantiæ tantum diſpoſitiuè, ideſt poteſt efficienter producere aliud accidens, quod eſt neceſſaria, & vltima diſpoſitio ad ſubſtantiam. ſic Thomiſtę. Sed non poteſt accidens nec in virtute propria, nec in virtute alterius immediatè attingere efficienter productionem ſubſtantię. Sic Scotiſtæ. pag. 231.

V. Vnus, & idem effectus ſaltem de potentia Dei abſoluta poſſit pendere à duplici cauſa totali non ſubordinata?

Scotiſtæ omnes negant. Aliqui Thomiſtæ affirmant.

Ægidiani vtrumque.

Plures cauſę totales non ſubordinatę ſi habeant plures cauſalitates diſtinctas, nec per Diuinam potentiã poſſunt ſimul producere vnum, & eundem effectũ, ſic Scotiſtæ. Sed ſi habeant ſaltẽ ſupernaturaliter vnam numerò cauſalitatem, poſſunt attingere eundem effectum: ſic Thomiſtæ. pagina. 268.

V. Motus conſiſtat in reſpectu?

D. Thomas negat. Scotus affirmat.

Ægidius vtrumque.

Motus quantum ad id, quod acquiſitum eſt, eſt forma incompleta, & ſe habet vt ratio materialis. Ita D. Thomas. Quantum ad id, quod eſt acquirendum, conſiſtit in quodam ordine ad complementum, quod eſt veluti formalitas motus. ita Scotiſtæ. pagina. 280.

V. Motus diſtinguatur realiter à Termino?

Thomiſtæ negant. Scotiſtæ affirmãt.

Ægidiani vtrumque.

Inter motum, & Terminum non eſt diſtinctio ſimpliciter realis, qualis eſt inter duas Res: ita Thomiſtæ. Sed inter motum, & terminum eſt diſtinctio media, ſeu formalis ex natura rei: ſeu rationis ratiocinatæ. ita Scotiſtę. pag. 286.

V. Actio tranſiens ſubiectiuè ſit in Agente?

D. *Thomas negat. Scotus affirmat.*

Ægidius vtrumque.

Actio quatenus dicit rem, & eſt accidens reale, vt ſic non ſubiectatur in *Agente*, ſed in Paſſo. ſic D. Thomas. Quatenus verò dicit ordinem ad Agens, ſic non eſt in Paſſo; ſed in *Agente*; non inhęſiuè, ſed cauſaliter. ſic Scotus. pag. 292.

V. De potentia Dei abſoluta poſſit dari infinitum in actu ſecundum perfectionem ſubſtantialem?

Ne-

Negatiua.

Fundamentum Ægidij eſt, quia omnis eſſentia creata non eſt actus purus, nec ſuum eſſe, ſed eſt in potentia ad eſſe: ergo eſſentia creata non poteſt eſſe infinita nec quidem in genere; quia omnis potentia paſſiua eſſentialiter dicit imperfectionē. p. 307.

V. Vnum, & idem numero Corpus poſſit ſupernaturaliter eſſe in pluribus locis adequatis circumſcriptiuè?

D. Thomas negat. Scotus affirmat. Ægidius vtrumque.

Vnum, & idem Corpus per vnam numero Quantitatem nec Diuinitus eſſe poteſt ſimul in pluribus locis adequatis circumſcriptiuè; ſic D. Thomas. Sed per diſtinctas Quantitates poteſt idem corpus eſſe in pluribus locis adequatis circumſcriptiuè, ſic Scotus. pag. 334.

V. ſi daretur vacuum in Natura, poſſet in eo fieri motus naturaliter?

D. Thomas, & Scotus affirmant. Alij negant. Ægidius vtrumque.

Spectato ordine, quem de facto Deus inſtituit pro conſeruatione Vniuerſi; nullatenus naturaliter poſſet in Vacuo fieri motus, ſic Recentiores. Sed in alio ordine rerum, Motus in Vacuo non eſt impoſſibilis. ſic D. Thomas, & Scotus. pag. 343.

V. ſi motus fieret in vacuo, fieret in inſtanti?

Thomiſta affirmant. Scotiſtæ negãt. Ægidiani vtrumque.

Si Motus in Vacuo comparetur ad inſtans menſuræ alienæ, ſic fieret in inſtanti. ſic D. Thomas. ſed ſi comparetur ad inſtãs mēſuræ propriæ, ſic fieret ſucceſſiuè, ita Scotus pag. 347.

An Agens poſſit ſupernaturaliter agere, vbi nec per ſe, nec per ſuã virtutem eſt præſens?

D. Thomas negat. Scotus affirmat. Ægidius vtrumque.

Nullum Agens ſiue creatum, ſiue etiam Diuinum poteſt ita agere in diſtans, vt ſaltem diſpoſitiuè nō attingat paſſum, & per ſuam virtutem producat aliquã diſpoſitionem, cum qua neceſſario ſit coniuncta forma paſſi. Sic D. Thomas.

Poteſt tamen quodcunque Agens etiam creatum agere in diſtans, vt nec per ſe, nec per ſuam virtutem tangat immediatè eſſentiam Paſſi; vt cum virtus principalis Agentis eſt inferioris ordinis reſpectu formæ paſſi. Sic Scotus. pag. 390.

V. Mundus potuerit eſſe ab æterno Saltem ſupernaturaliter quo ad omnes creaturas tam permanentes, quam ſucceſſiuas?

Thomiſtæ cum Scotiſtis affirmant. ferè omnes Recentiores negant. Ægidiani vtrumque.

Si Mundus eiuſque creaturæ accipiantur ſecundum illas rationes, quas habent de facto; ſic repugnat etiam Diuinitus, potuiſ-

tuiſſe mundum ab æterno produci, ſic Recentiores. Si vero accipiatur Mundus non ſecundum illas rationes, quas creaturę habent de facto, ſed ſecundum illas, quas potuiſſent habere in alio ordine rerum, quem Deus potuiſſet inſtituere; ſic nulla adduci poteſt ratio demonſtratiua, quod Mundus non potuit eſſe ab æterno etiam quo ad creaturas ſucceſſiuas. Sic D. Thomas, & Scotus. pag. 398.

EX SECVNDO

TRACTATV

DE CÆLO, ET MVNDO.

Quod nam eſt ſubiectum in libris de Cælo?

Thomiſtæ dicunt Corpus mobile ad ſitum. Scotiſtæ Corpus ſimplex? Ægidiani vtrumque.

Subiectum Prędicationis primo, & per ſe eſt corpus mobile ad vbi, ita Thomiſtę. Sed Corpus ſimplex in communi eſt ſubiectum principale ex conſequenti. pag. 3.

V. *Corpus Cæleſtæ ſit ita corpus ſimplex, vt nullo modo ſit compoſitum ex Materia, & Forma?*

D. Thomas negat. Scotus affirmat. Ægidius vtrumque.

In Cælo nulla eſt materia, quę ſit ſubiectum Generationis, ſeu trāſmutationis ad formam, quia forma cęli nec habet contrariū, nec vnquam eſt cum Priuatione coniuncta. Ita Scotus, eſt tamē in cęlo Materia, quę ſit ſubiectū Quantitatis; quia in nullo poteſt eſſe Quantitas, in quo pariter nō ſit materia tanquam ſubiectum Quantitatis. Sic D. Thomas. pagina. 11.

V. *Materia Cæli ſit eiuſdem rationis cum materia ſublunarium?*

D. Thomas negat. Scotus affirmat. AEgidius vtrumque.

Materia cęleſtis, & ſublunariū ſecundum nudā eſſentiam, quatenus vtraque eſt abſoluta ab omnī forma, non diſtinguuntur ſpecie, quia omnis diſtinctio præſertim ſpecifica eſt per formā. hoc Scotus. Sed vtraque Materia vt eſt actu ſub forma, ſeu ſecundum rationem ſuſcipiendi formam, ſic materia cęli eſt diuerſę ſpeciei à materia ſublunarium, quia materia cęleſtis ſuſcipit formam, non habentem contrariū: ſublunaris vero formam, habentem contrarium. Rurſus materia cæleſtis nō tranſmutatur ad formam, ſicut materia ſublunariū. Sic D. Thom. pag. 25.

V. *Cæli per eorum formas diſtinguantur ſpecie?*

Thomiſtæ affirmant, Scotiſtæ negāt. Ægidiani vtrumque.

Dupliciter aliqua diſtinguntur ſpecie. primò ita vt quęlibet ſpe-

ſpecies habeat naturam comunem, & multiplicabilem in plura indiuidua. Et hoc modo cæli non diſtinguntur ſpecie. Sic Scotiſtæ. 2. poſſunt aliqua diſtingui ſpecie, quia quodlibet habet naturam ſuę ſpeciei, ſuamq; formam diſtinctam ab alio. & hoc modo cęli diſtinguntur ſpecie. ſic Thomiſtę. pag. 35.

V. Lux, & Accidentia corporum cæleſtium ſint eiuſdem ſpeciei cũ luce, & Accidentibus ſublunarium?

Thomiſtæ negant. Scotiſtæ affirmãt.

Ægidiani vtrumque.

Lux, & Accidentia, quę ſunt in ſuper cęleſtibus, & ſublunaribus ſecundum eſſe purè quidditatiuum ideſt ſecundum eſſentiã nudè ſuptam; non diſtinguntur ſpecie. ita Scotiſtę. Secundum vero eſſe ſuperadditum eſſentię ideſt ſecundum eſſe, quod habent in ſubiecto, ſic non ſolum diſtinguntur ſpecie, ſed etiam genere. Sic Thomiſtę. pag. 58.

V. Corpora Cæleſtia etiam immobilia vt Empireum agant in hæc inferiora?

D. Thomas affirmat. Scotus negat.

Ægidius vtrumque.

Cęlum Empireum non influit in hęc inferiora mediante motu, qui fit in cælo Empireo: nec minus influit mediante motu cæli tanquam mediante regula, & directiuo; hoc Scotiſtę. Sed influit Empireum mediantę motu, qui eſt in alio cælo ſub Empireo: rurſus influit mediante motu tanquam inſtrumento, quod non requiritur ex parte Empirei influẽtis: ſed ratione recipientis influẽtiam. Sic Thomiſtæ. pag. 65.

V. Corpora cæleſtia poſſint attingere productionem viuentium vegetabilium. & ſenſibilium?

D. Thomas affirmat. Scotus negat.

AEgidius vtrumque.

Cęlum non attingit Viuentia efficienter principaliter, nec minus inſtrumentaliter ſecundum eſſentiam, & per ſe, hoc Scotiſtę. Sed tantũ inſtrumẽtaliter diſpoſitiuè, quatenus ſcilicet producit diſpoſitionem, cui neceſſario debetur forma viuentis. Sic Thomiſtę. pag. 70.

V. ceſſante motu Cæli, ceſſarent etiã agere hæc inferiora?

Thomiſtæ affirmant. Scotiſtæ negãt.

AEgidiani vtrumque.

Motus cæli eſt neceſſarius ſimpliciter ex parte Paſſi, quod mouetur: quia omnis motus corporis debet ſubijci primo Motui. Hoc Thomiſtę. non eſt autẽ ſimpliciter neceſſarius ex parte Agẽtis influentis: quia Empireum actu influit in aliud. abſque eo quod localiter moueatur. Ita Scotiſtæ. pag. 74.

V. Grauia, & leuia moueantur à ſe ipſis, vel ab extrinſeco Generante?

Thomiſtæ dicunt ab Extrinſeco Generante. Scotiſtę à ſe ipſis.

AEgi-

AEgidiani vtrumque.

Grauia, & leuia mouentur ab extrinſeco Generante per ſe principaliter, ita Thomiſtę. mouentur etiam a ſe ipſis per accidens, remouendo ſcilicet prohibens, reſpectu cuius remotionis impedimentorum ipſa grauia; & leuia ſunt principia per ſe. Ita Scotiſte. pag. 90.

V. Aqua in ſuo ſpeciali loco ſit altior Terra?

Diuus Thomas affirmat. Scotus negat.

Ægidius vtrumque.

Cum Aqua ſit corpus ponderoſum; & fluidum, habet quandam rotunditatem, ſeu Giboſitatem in medio, ſecundum quam eſt altior, quam Terra conſiderata ſecundum ſuam Planitiem; ita Thomiſtę. Terra autem ſecũdum ſuas Giboſitates, & ſecundum montes eſt altior, quam Aqua. pag. 146.

INDEX
RERVM NOTABILIVM
huius primæ Partis.

PRIOR NVMERVS INDICAT PAGINAM, Alter vero columnam.

A

ABſolutum non poteſt diffiniri per Relatiuum ſecūdū eſſe, benè tamen per Relatiuū ſecundum dici. pag.190.p.

Actus alius ſecundum eſſe,& vocatur formalis, alius ſecundū modum, & dicitur entitatiuus. 82. 2.

Accidentia terminata ſunt incōpoſito.137. 2.

Accidentalis forma eſt ſubſtantia ſecundum modum. 193.p.

Accidens poteſt attingere effectū principalis Agentis diſpoſitiuè. 234.2. concurrit principaliter ad productionē alterius Accidentis 237. 2. quatenus eſt virtus ſubſtantię, eſt inſtrumentum. ibid.

Actio propriè non eſt effectus. 237. 2.

Actio Dei tranſiens eſt ipſum eſſe creaturæ. 241. 2.

Agens ex parte ſua poteſt agere in diſtās abſque eo, quod agat in medium, licet ex parte paſſi requiratur immediatus contactus. 393.2.

Agentia propter finem quæ ſint? 263. p.& 2.

Agentia creata libera concurrūt per veram efficientiam ad actus liberos. 229.2.

Aer quomodo poſſit vocari cælum? Tract.p. 122.

Anima, & ſi non ſit corpus, eſt tamen actus corporis, & proptereà conſideratur à Philoſopho. 6.2.

Analogia pura eſt eadem cum Æquiuocatione, ſicut analogia media conuenit cum Vniuocatione. 47.p.

Aſtra quomodo moueātur? Trac. 2. pag.43.p. non ſcintillant. Tract. 2.pag.60.2. tam fixa, quam errantia influunt in hęc inferiora. Tract.2.pag.85.pręter Lunam, & calorem etiam cauſant in hæc inferiora ſiccitatem, frigiditatem, & humidita-

ditatem, pag. 68. per aliam virtutem calefaciunt, & per aliam illuminant. pag. 78.

Appetitus materiæ dicitur etiam deſiderium Tract. p. pag. 98. p. eſt quędam Hidropiſis 98. p.

Ars in quo differat à Natura? 202. 2. quando, & quomodo poteſt efficere opera naturæ? 202. 2. & pag. 204. p.

B.

Bonitas tantum ſiue realis, ſiue apparens eſt ratio formalis cōſtitutiua finis in actu primo, eſtque ita neceſſaria, vt non poſſit finis ſine illa finalizzare. Tract. p. pag. 259. p. eius apprehenſio eſt tantum conditio ſine qua nō. 259. 2. 260. p.

C.

Cauſa quomodo admictitur in Diuinis. Tract. p. pa. 34. col. p.

Cauſa corruptionis plus tribuenda eſt materiæ, quam formæ, & & plus Priuationi, quam Materię. Tract. 2. pag. 14. p.

Cauſa Phiſica quotuplex? 213. cauſa efficiens quid, & quotuplex ſit? 218. non eſt natura. 219. 2. diſtinguitur à Priuatione, & à fine. 220. p. eius cauſalitas cōſiſtit in actione. 227.

Cauſalitas actualis cauſæ Phiſicę eſt eſſe comunicatū effectui 207. 2. formaliter eſt relatio ſecundum dici. 209.

Cauſalitas materiæ tam reſpectu formę, quam reſpectu compoſiti diſtinguitur realiter à cauſalitate formę tā reſpectu materiæ, quam reſpectu compoſiti. 217. p. & 2. non tamen cauſalitas materiæ reſpectu formæ diſtinguitur à cauſalitate eiuſdem materiæ reſpectu cōpoſiti. ibid.

Cauſalitas actualis conſtituens finem in actu ſecundo eſt actualis motio Agentis, vt agat propter finem. 253. 2. non præcedit actionem Agentis. 255. 2.

Cauſę ſecundum diuerſas rationes poſſunt eſſe ſibi inuicem cauſæ. 266. 2. ſecundum eandem rationem non poſſunt. 267. 2.

Caſus, & Fortuna dantur in rerum natura. 274. p. quid ſint, & quomodo diſtinguantur? 275. 2.

Cælum Empireum quomodo dicatur mobile, & ens naturale? Tract. p. pag. 10. 2. Quomodo eſt aliquid Diuinum. 190. 2.

Cęlum quomodo ſit animatum? tract. 2. pag. 30. ab extrinſeca Intelligentia mouetur actiuè. ibid. pag. 50. quomodo ſit cōpoſitum ex materia, & forma? tract. 2. pag. 19.

Cæli quomodo diſtinguantur ab Aſtris, & Planetis? tract. 2. 39. quomodo diſtinguantur ab elementis? 41. eorum numerus. 44. producunt cor-

pora inanimata ſimplicia, & mixta diſpoſitiuè, & per alterationem, tum etiam effectiuè, & per Generationem. trac. 2. pag. 69. non attingunt viuentia vegetatiua, & ſenſitiua efficienter principaliter, nec inſtrumentaliter ſecundum eſſe, & per ſe; ſed tantum diſpoſitiuè 71. non poſſunt agere in Animam Rationalem eiuſque potentias per ſe, & directè; ſed tantum indirectè, & per accidens. 72.

Cælum Chriſtallinum, ſeu Aqueũ eſt totum non lucidum. pag. 48. ſydereum, ſeu ſtellatum partim eſt lucidum, & partim non lucidum. 48.

Cometæ, qui fiunt naturaliter, generantur in Regione ſublunari. tract. 2. p. 121. ex ſpeciali Dei prouidentia poſſunt exponi in regione cæleſti. ibid. ab Oriente in occidens mouentur per modum raptus ad motum aeris circumuecti. 124. quocũque anni tempore poſſunt gigni. ibid.

Corpus prout eſt trina dimenſio directè eſt in genere Quãtitatis, ſed vt eſſentialiter prædicatur de rebus corporeis, eſt directè in prædicamento ſubſtantiæ, vt vero de rebus tantũ animatis dicit, alteram partẽ diſtinctam ab Anima, & non eſt directè in prædicamento ſubſtantiæ, ſed tantum per reductionem. tract. p. pag. 148. p. ſufficienter organizatum, & ſummè diſpoſitum ad animam rationalem ante infuſionem eiuſdem Animæ quomodo ſit in aliqua ſpecie? tract. p. 150. 2. & pag. 151. p. & 2. ſi haberet infinitas Quantitates, occuparet infinita loca, non tamen eſſet vbique. 337. p. Eſt impoſſibile, quod ſimul moueatur, & quieſcat per vnum, & idem vbi, ſecus per diuerſa. 338. 2.

Corpus Chriſti per Quantitatẽ Panis eſt etiam circumſcriptiuè in Hoſtia; ſicut, per quantitatem propriam eſt circumſcriptiuè in Cælo. 337. 2.

Continuum non eſt compoſitum ex ſolis indiuiſibilibus 368. 2. neque ex ſolis partibus diuiſibilibus. 369. eſt diuiſibile in ſemper diuiſibilia 377. 2.

Creatura non cooperatur cum Deo ex Indigentia Dei. 230. p.

Corporis ſimplicis quidditas explicatur. tract. 2. pag. 5.

Corporum ſimplium numerus quinarius. 8. eorundem ordo. pag. 13.

Corpora ſimplicia poſſunt ſupernaturaliter multiplicari, numero, & ſpecie. pag. 11.

D.

DEus, & ſi non poſſit cogere voluntatem, poteſt tamen eã pro libito immutare. tract. 2. pag.

2. pag. 73. operatur omnia immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti 236. 1. in his, quę agit mediãtibus cauſis ſecundis, perfectius agit, ideſt magis intimius. 230. 2. quomodo concurrit ad actum peccati; abſque eo quod ſit cauſa peccati? 242. p. eiuſque concurſus non tollit libertatẽ. ibid. col. 2.

Diuiditur tota naturalis Philoſophia in quatuor tractatus. pag. p. & 2.

Diſcrimen inter Principium, cauſam, & elementum. 32. 2.

Diſtinctio media ſeu formalis ex natura rei habet eundem conceptum cum diſtinctione rationis ratiocinatæ. tract. p. pag. 25.

Diſtinctio inter Totum, & partes vnitas poteſt dici realis ſecundum quid, & etiam rationis ratiocinatæ. tract. p. pag. 176. 2. inter realem ſimpliciter, & ſimpliciter rationis non datur diſtinctio media. 174. 2. Rationis ratiocinãtis quomodo admitti poteſt inter totum, & partes vnitas? 177. p.

Differentiæ inter Artem, & naturam. 201. p.

E.

EClipſis in quibus Aſtris poteſt contingere? tract. 2. pag. 61. Eclipſis Lunæ eſt priuatio luminis ſolaris propter interpoſitionẽ terræ. ibid. eclipſis ſolis eſt priuatio luminis in terra propter interpoſitionẽ Lunæ inter nos, & ſolem. 62. p.

Efficiens cauſa, quid, & quotuplex. tract. 1. pag. 218. 2. eius diffinitio explicatur. 219. 1. & 2. diſtinguitur à fine 220, p. nõ eſt immediatè operatiua abſque virtute ſuperaddita. 224. 2. eſt ratio operandi immediata, & immediatum principium reſpectu accidentium permanentium. 225. p. eius cauſalitas. 227. p.

Elementum ignis eſt ſub concauo Lunæ, vt in propria ſede tract. 2. pag. 107. mouetur motu circulari ad motum orbis Lunę. 111. eius motus nec eſt naturalis nec violentus, ſed neuter. ibid. in ſua ſfera circa orbem Lunæ, vbi habet purius eſſe, non calefacit ex defectu potentiæ receptiuæ. 113. nec lucem. ibid. cum igne noſtro inferiori eſt eiuſdem ſpeciei. 115.

Empireum an, & quid influat in hæc inferiora? tract. 2. p. 66. nõ influit mediante motu, qui fit in ipſo Empireo; ſed qui eſt in alio cælo ſub ipſo. 67. eſt totum lucidum. 48.

Expulſio alterius non competit Quãtitati in primo modo dicendi per ſe. tract. p. 341. p.

Fa-

F.

FAtum an ſit,& quid? tract.p. 277.2.

Finis conſtituitur in actu primo per ſolam Bonitatem, vel realem, vel apparentem.244. 2. in actu ſecundo per motionem agentis, vt agat propter finem:253.p.quando actu mouet, eius cauſalitas non eſt aliquid reale diſtinctum ab actione Agentis.254.p. numeratur inter cauſas Phiſicas, non quia eſt vera cauſa realis,realem cauſalitatem fundans,ſed quia eſt radix,& origo omnis cauſalitatis phiſicę.256.2.mouet voluntatem ſecundum eſſe reale tanquam per rationem formalem.258. p. eius eſſe cognitum eſt tantum conditio ſine qua non. ibid.

Forma cæli non eſt Anima. trac. 2. pag. 30. diſtinguitur ſpecie à forma alterius cæli.35.

Forma phiſica eſt multiplex; tract. p. pag. 100. non fit ex nihilo. 101. nil eius præexiſtit in Materia. 103. æducitur de potentia materiæ. ibid. eſt in potentia Agentis, & etiam in potentia materię ibid. habet ſuã propriam, & peculiarem exiſtentiam, & ſubſiſtentiam. 118. quænam prius recipiatur in materia, ſubſtantialis ne, vel accidentalis? 132. vna, & eadem non poteſt eſſe naturaliter in pluribus materijs nec adequatis, nec partialibus loco diſiunctis. 155. p. & 2. ſupernaturaliter poteſt informare plures materias loco diſiunctas, non tamen totales. 157. p.& 2. eius cauſalitas erga materiam, & compoſitum quę ſit? 216.p.

Formę cælorum nec propriè fuerunt æductæ, nec propriè concreatæ. 110.

Formæ intentionales æducuntur de potentia ſubiecti. 113. non eodem modo, ac reales. 155.

Fulgur eſt exalatio accenſa in Nube. tract. 2. 126. dicitur à fulgore micãte,quem exihibet ibid. aliquando eſt connexũ cũ Tonitru. ibid. cum fulgurat ſine Tonitru, Nubes eſt tenuis. ibid. licet prius feriat viſum noſtrum, quam auditus feriatur à Tonitru, tamen à parte rei aliquando tonitrum præcedit corruſcationem, & aliquando ſubſequitur; 127. differt à fulmine. ibid.

Fulminis effectus varij. 128.

G.

GEnus in quo ſeuſu ſit præſtantius differentia.? tract. p. 29.

Grauitas, & leuitas ſunt formę poſitiuæ accidentales, & qualitates ſecundæ. tract. 2. 81. Grauitas eſt principium motus, & quietis deorſum. ſi eſt

ad

ad locum infimum, eſt grauitas ſimpliciter, ſi vero ad locũ deorſum nõ infimum, eſt grauitas ſecundũ quid. ibid. cauſatur tum à forma ſubſtantiali, tum etiam à qualitatibus primis, imo diſpoſitiuè prouenit à raritate, & denſitate. ibid. eſt principium proximũ motus. 88.
Grauitates, & leuitates in ſubiectis ſpecie diſtinctis, ſpecie diſtinguuntur. 85.
Grauia, & leuia mouentur tũ ab extrrinſeco Generante, tũ etiã a ſe ipſis, ſed aliter & aliter. 93. nõ grauitant, neque leuitãt in proprijs locis. 99. Eorum motus cur in fine velocior? 95.
Grauitas naturalis quomodo diſtinguatur à cõfortatione in graui? 98.

H.

HYdropiſis poteſt dupliciter Satiari, primo ſi totali er auferatur infirmitas, ſecũdo ſi infirmo datur ad bibendum quod magis extinguit eius Sitim. tract. p. pag. 97. & 98.

I.

IDea reducitur ad genus cauſę efficientis, licet per ordinem ad Intellectum, quem conſtituit in eſſe artificis, habeat rationem cauſę formalis. tract. p. 243. I.
Ignis quomodo poſſit vocari cęlum? tract. 2. pag. 122.
Implicat aliquem effectum eſſe a cauſa ſecunda, & non depẽdere à Deo, 230. 2.
Influentia cæli in hæc inferiora non debet negari. tract. 2. pag. 64.
Inferiora hæc ceſſarent agere, ſi cælum ceſſaret à motu. tract. 2. pag. 74.
Intentio prima obiectiua formaliter eſt ens rationis: tract. p. pag. 21.
Inter vnitatem formalem, & indiuiſibilem, eſt diſtinctio, & quę? 25.
Idem numero corpus per vnam numero quantitatem nec per Diuinam potentiam poteſt eſſe in pluribus locis adequatis circumſcriptiuè. 338. p. per plures quãtitates poteſt. ibid.

L.

LAncea eſt methcorum, quod etiam habet nomen trabis, iaculi, columnæ, piramidis, &c. tract. 2. 128.
Locus an rectè diffiniatur ab Ariſt. 339. p. quo modo ſit immobilis 333.
Lunæ macula quid ſit? trac. 2. 43.
Lucifer volebat aſcendere cælum Sanctiſſimæ Trinitatis. trac. 2. 49.
Lux cæleſtis quomodo differat a lumine? tract. 2. 56. non eſt corpus

pus, nec forma ſubſtantialis. 57. competit omnibus corporibus cæleſtibus, excepto chriſtallino, quod totum eſt diaphanum. 58. ſecundum eſſentiam non diſtinguitur ſpeciè a luce ſublunarium, ſed ſecundū eſſe ſuperadditum eſſentię diſtinguitur. 60.

M.

MAteria cum Priuatione quomodo ſit vna numero? tract. p. 52. 2. eius exiſtentia multipliciter probatur. 64. diffinitur per negationem. 66. per affirmationem. 67. ſecundum ſuam eſſentiam eſt verū ens reale. 68. tenet medium inter ens ſimpliciter, & nihil. ibid. poteſt induere modum alterius rei a ſe diſtinctæ. ibid. ſub quantitate eſt extenſa ſecundum modum. eſtque compoſitior ſe ipſa non extenſa. ibid. col. 2. cum eſt ſub forma ſubſtantiali, ſunt ibi plura perfecta. 70. 2. non eſt ens pure priuatiuum, nec eſt de genere accidentium. 71. 2. eſt ſubſtantia analogicè. 72. 2. quomodo ſit eiuſdem rationis in ſupercęleſtibus, & ſublunaribus? tract. 2. pag. 21. non ęqualiter appetit omnes formas. tract. p. pag. 97. quomodo eſt cognoſcibilis abſque vllo ordine ad formam? 119. habet peculiarē exiſtentiam, & ſubſiſtentiam diſtinctam à forma. 122. quomodo poteſt ſupernaturaliter exiſtere ſine forma? 129. ſi eſt vna per negationem diuiſionis ideſt denudata omni quantitate: etiam per Diuinam potentiam non poteſt recipere plures formas ſubſtantiales diſparatas. 142. p. cum eſt vna vnitate ſitus poteſt recipere plures formas. ibid. quo ad indiuiduationem magis pendet a forma accidentali, quam ſubſtantiali. 129. 2. vt ſubijcitur Quantitati in viuentibus, eſt corpus, non ſic in non viuentibus. 150. p. non eſt in potentia ad omnem naturam. 193. 2. eius cauſalitas, erga formam, & compoſitum, quæ ſit? 216.

Metalla perfecta petunt fieri in ventre terræ, extra quem locū nō poteſt naturaliter fieri eorū generatio. 203. 2.

Mobilitas eſt ratio formalis proxima, & immediata obiecti philoſophici. 9.

Motus cæli eſt illi naturalis, trac. p. 52. non eſſet perpetuus, ſi ex intelligentia, & cælo fieret vnum ſecundum eſſe. 56.

Motio Agentis propter finem eſt dupplex, & vna conſtituit finē in actu primo; altera in actu ſecundo. 255. p.

Motus quid ſit, & an eius diffinitio recta? 280. p. materialiter eſt idem quod forma incōpleta. ibid. formaliter eſt ordo

ad

ad id, quod acquirendum eſt. ibid. eſt actus ſecūdus, ſed imperfectus. 282. p. & 2. eius diffinitio non competit potentijs actiuis. ibid. 2. licet non ſit in aliquo determinato Genere per ſe, eſt tamen in eodem Genere cum rebus ad quas eſt motus. 282. 2. eius diffinitio quomodo accomodari poteſt mutationibus inſtātaneis? 285. 2. diſtinguitur à mobili, & à termino totali eadem diſtinctione, qua totum à partibus, Relatio à fundamento, & eſsētia ab exiſtentia. 287. 2.

Mouens, & mobile quomodo debeant eſſe ſimul? 390.

Mundus de facto productus fuit in tempore. 395. de poſſibili ſecundum ordinem Diuinæ inſtitutionis nec quo ad permanentia, nec quo ad ſucceſſiua potuit eſſe ab æterno, licet ſecundum alium ordinem potuerit. 402.

N.

NAturalis Philoſophia eſt propriјſſime ſciētia realis. tract. p. pag. 2. eſt vnus habitus ſimplex ſecundum ſpeciē. ibid.

Naturalitas eſt ratio formalis principalis remota obiecti philoſophici. pag. 9.

Natura diffinitur. 188. conuenit materię. 192. p. conuenit etiā omni formæ, & magis propriè quam materię. 194. p. nō conuenit formæ accidentali. 197. conuenit Priuationi ſecundū id, quod dicit in obliquo; non vero ſecundum id, quod dicit in recto. ibid. dicitur de materia, & forma analogicè. 199.

Naturæ opera non attinguntur ab arte. 202. p.

Naturalia quanto magis ſunt perfectiora, tanto magis petūt determinata principia. 203.

Numerus Principiorum phiſicalium in fieri eſt triplex. 49. in facto eſſe eſt duplex. 54.

O.

OBiectum materiale naturalis Philoſophiæ Principale primo, & per ſe eſt corpus pag. 5. principale ex conſequenti eſt Ens. 6. ſi eſſet ens primo, & per ſe, philoſophia naturalis non diſtingueretur à methapiſica. ibid. col. 2.

Obiectum aggregationis, ſeu attributionis in libris de cælo eſt mundus, ſeu vniuerſum. Prędicationis eſt corpus mobile ad ſitum. Principale ex conſequenti eſt corpus ſimplex. tract. 2. pag. 4.

Occultæ influentiæ præter motū, lucem, & calorem ſunt in cælis, ſuntque qualitates excēlæ, ſed ſpiritualiores elementaribus qualitatibus. tra. 2. pa. 79.

Odium Dei ſi oſtendatur voluntati ſub ratione mali, non poteſt eſſe volitum. 252.2.

Ordo inter quinque ſimplicia corpora. tract. 2. p. 13.

P.

PArs cæli ſi eſſet in terra, quomodo moueretur, tract. 2. pag. 53.2.

Peccans vel peccat ex ignorantia, vel peccat ignorans. 251. pag.

Potentia paſſiua quæ ſit de eſſentia materię? 89.

Potentia actiua quomodo eſt in materia? 91.

Philoſophia cur dicitur naturalis? 10.2. eſt proijſimè ſcientia realis. 2. eſt vnus habitus ſimplex. ibid.

Pluralitas formarum ſubſtantialium quomodo admittitur in materia? p. 149.

Plura corpora poſſunt eſſe diuinitus in vno loco. 340.2.

Prædicata, quæ dicerentur de vno corpore conſtituto in pluribus locis per plures quãtitates, non eſſent contradictoria. 339. p.

Priuatio rectius à D. Auguſtino vocatur ratio ſeminalis. 178. 2. primo dicit carentiam, & ex conſequenti aptitudinem 179. p. eſt in rerum natura. ibid. primo, & per ſe dicit formaliter puram negationem formæ, licet ex conſequenti dicat realitatem negatiuam 180. 2. ſecundum id, quod dicit in recto, realiter diſtinguitur à materia diſtinctione reali priuatiua. 181. non facit diſtinctionem cum materia ſpecificatiuè. ibid. eſt multiplex iuxta diuerſitatem formarum, ſed indiuidualiter eſt vna iuxta vnitatem materiæ. 284. eſt principiũ per accidens reſpectu Generationis in facto eſſe. ibid.

Prioritas, quæ ſequitur diuerſitatem naturæ, & tollit ſimultatem, non eſt de ratione principij. 39. p.

Primum mobile eſt cælũ aqueũ, ſeu chriſtallinum. 44. eſt totũ diaphanum, eſt etiam ſolidũ. ibid.

Principium quomodo dicatur reſpectu Diuinarum perſonarum, & creaturarum? 41. 1. & 2.

Principiatum non eſt in Diuinis. 33. quomodo diſtinguatur à cauſato? ibid.

Principiorum diffinitio explicatur. 45. quomodo competat omnibus principiis, ibid. p. eorum numerus in fieri eſt ternarius, in facto eſſe binarius. 48. & 53. eorumdem proprietas eſt, quod ſint contraria, & ſemper debent permanere. 158. & 59.

Quan-

materia. ibid.ſpecificatiuè eſt multiplex iuxta diuerſitatem formarum, ſed indiuidualiter eſt vna iuxta vnitatem ſubiecti. 184. p.& 2.

Q.

QVantitas gerit vicem materiæ in mutationibus cótingentibus in Euchariſtia.53.p. recipitur in materia ante formam ſubſtantialem. 134. eſt coęua materiæ. ibid. ſine ea nec de potẽtia Dei poſſet materia recipere ſimul plures formas ſubſtãtiales. 136.intermiſſa præcedit in materia omnem formam, terminata ſubſequitur. ibid.

Quãtitas Panis in Hoſtia eſt circumſcriptiuè.337.2.

R.

RAtio ſeminalis eſt tertium principium naturę, quod ab Ariſtot. vocatur Priuatio. 178. primo dicit habitudinẽ ſubiecti, & ex conſequenti carentiam. 179. p. eſt in rerum natura. ibid. non eſt materia, neque forma, ſed habilitas, per quam materia tranſmutatur ad formam. 181. p. eſt relatiua ſecundum dici. ibid. realiter diſtinguitur a materia nõ diſtinctione negatiua, qualis eſt inter ens, & non ens, nec diſtinctione reali poſitiua ſimpliciter, qualis eſt inter duas res: ſed diſtinctioné media, qualis eſt inter rem, & habitudinem rei. 183. p. non facit compoſitionem realem cũ

Ratio formalis proxima obiecti Philoſophici eſt mobilitas. 9. remota eſt Naturalitas.ibid.

S.

SYdus diſcurrens ſæpe conſpicitur cęlo ſereno, & nocte ſtellata, & ſi deorſum deſcendit, dicitur ſtella cadens. tract. 2. 128. ſi ſurſum tendit, dicitur ſtella volans. ibid. ſi ad latus dicitur ſtella diſcurrens. ibid.

Subſtantia creata quomodo ſit immediatum principium operandi? 224.2.

Sphericum poſitum ſupra planũ, ſi quieſcit, vel mouetur in inſtanti, tangit in puncto.370. p. ſi mouetur in tempore, tangit lineam. ibid. ſi manens ſuper punctum, moueatur, non vertendo ſe, ſemper tanget planũ in puncto: ſed linea cauſata ex illo fluxu puncti, non erit cópoſita ex ſolis punctis 371. p. & 2.

T.

TErtium cælum, ad quod fuit raptus D. Paulus, fuit tertium Genus viſionis. tract. 2. 49.

Terra quiá habet principiũ motus, & quietis, licet actu non moueatur, potest tamen moueri pag. 191. p.

Tempus quantum ad ſuum eſſe materiale eſt verum ens reale. 351. p. quantum ad eſſe formale eſt dependens ab anima. ibid. ſi comparetur ad motũ primi mobilis in quo eſt tanquam in ſubiecto, & reſpectu cuius eſt menſura intrinſeca, ſic realiter identificatur cum motu. 356. 2. ſi vero ad diuerſos motus rerum temporaliũ, reſpectu quorum eſt menſura extrinſeca, ſic realiter diſtinguitur ab huiuſmodi motibus ibid. eſt Paſſio motus in larga ſignificatione. 358. p.

Tonitrum eſt ſonus factus in nubibus. tract. 2. 125. eius cauſa eſt exhalatio ſicca, & calida in ventre nubis. ibid. eſt vehemens ipſarum nubium ad inuicem colliſio. ibid.

V.

Vacuum non datur in natura. tract. p. 343. p. nec dari poteſt, ſeruato ordine diuinę diſpoſitionis. 345. p. præſcindẽdo a dicto ordine: nõ repugnat, ibid. ſi daretur, in eo nõ poſſet fieri motus, ſpectato ordine prædicto. 347. & ſi fieret, eſſet ſucceſſiuus per comparationem ad menſurã propriam. 349. 2.

Verbum, vt verbum formaliter non eſt terminus. tract. p. pag. 16. materialiter ſumptum prędicatur, & eſt terminus pa. 17.

Vermes quomodo generentur ex Hoſtia cõſecrata. tract. p. pag. 54. cap. 2. eorum generatio ex Hoſtia non eſt miraculoſa, ſed naturalis. p. 56.

Vitrum in quo differt ab auro? 204. 2.

Voluntas, & ſi non poſſit cogi a Deo, poteſt tamen immutari. tract. 2 pag. 73.

Vniuerſum non eſt vnum ens per ſe, ſed per accidens. Tract. 2. pag. 15. eſt perfectum nõ quidem ſimpliciter, & abſolute ſed in genere. 16.

Vnio inter materiam, & formã non dicit eſſentiam diſtinctam ab vnitis. trac. p. 163. ſumpta effectiuè, quatenus dicit dependentiam ab agente eſt actio tranſiens de prædicamento actionis. 162. 2. ſecundum totum ſuum eſſe ſubiectatur in toto compoſito. ibid ſumpta relatiuè quatenus dicit reſpectum, quo vnita referuntur ad inuicem, eſt relatio modo potentiæ, & fundatur in actione, & paſſione agẽtis vniẽtis, & partium vnitarum. ibid. ſumpta pro termino eſt modus ſubſtantialis vnitorũ. ibid. reductiuè pertinet ad idem prædicamentum ſubſtantię, ad quod reducitur materia, & forma. 164. col. 2. quatenus

eſt quid ſuper additum eſſentijs vnitorum, poteſt dici accidens cauſaliter. 165. p. non quod habeat dependentiam ab accidentibus abſolutis, ſed quia dependet ab accidente ſub aliquo reſpectu. ibid. ſecũdum modum Eſt duplex, vna in materia, quæ eſſentialiter non eſt aliud quam materia, ex alia in forma, quæ nõ dicit eſſentiam diſtinctam a forma. 166. & 168. p. ſecundum eſſe vt dicit eſſentialiter actionem vnitiuam, eſt vnam tantum, quæ ſimpliciter recipitur in toto compoſito, & ſubiectiuè in materia, terminatiuè in forma. ibid.

Vnum, & idem corpus per vnam quantitatem non poteſt eſſe in pluribus locis adequatis circumſcriuè. 338. p. per plures quantitates poteſt. ibid.

Indicis Rerum Notabilium.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERRO-

ERRORES CORRIGENDI.

Pagina.	Columna.	Verſus.	Errores.	Correctio.
13.	2.	29.	ratlonis	Rationis.
15.	2.	38.	reſpondet.	Reſpondent.
11.	2.	39.	Apoſtraſando.	Apoſtraphandi.
12.	2.	26.	dullic.	dubit.
12.	2.	3.	firmitare.	firmitate.
13.	2.	38.	conſideratam.	conſideratam
14.	1.	17.	propoſito;	Propoſitio.
35.	2.	22.	reſpondetu.	Reſpondetur.
37.	1.	34.	quæ.	quam.
38.	1.	11.	differentiæ.	differentia
119.	2.	5.	generatio	Generatione.
137.	in titulo.		an forma habeant propriã exiſtentiam.	Quæforma prius recipiatur in materia?
2.	2.	5.	illi.	illis.
4.	1.	21.	liber.	libri.
5.	1.	13.	vniueirum.	Vniuerſum
5.	2.	25.	determinato.	determinatum
6.	1.	10.	mixti	Mixtum.
7.	2.	5.	tuc.	tunc.
8.	2.	19.	mouetur;	moueatur.
8.	2.	3.	qui.	quę.
8.	2.	5.	qui.	quę.
9.	2.	27.	ſimplicier	ſimpliciter.
10.	1.	27.	colitionem.	conditionem.
10.	1.	32.	Eueſtione.	Queſtione.
10.	2.	19.	ile.	illæ.
11.	1.	15.	vtis.	iſtis.
12.	2.	17.	pretes.	præter.
12.	2.	18.	dantus.	dantur.
12.	2.	24.	ſecundum.	ſecundum.
13.	2.	16.	ʒole.	ſole.
14.	1.	1.	infernnum.	Infernum.
15.	1.	26.	corruptionalis	corruptibilis.
26.	2.	2.	accepe.	Acceptę.
26.	2.	16.	materili.	materiali.
30.	1.	5.	generaiter.	generaliter.

ERRO-

Digitized by Google

ERRORES CORRIGENDI.

Pagina.	Columna.	Verſus.	Errores.	Correctio.
39.	1.	6.	diſtintum	diſtinctam.
39.	1.	24.	in egro.	integro.
93.	2.	3.	mobie	mobile.
102.	2.	15.	eſt.	eſſe.
106.	2.	18.	conburore.	cōburere.
111.	2.	2.	faciut.	faciunt.
122.	1.	37.	comętes.	Cometas.
162.	1.	36.	miſcer..	miſceri.
150.	1.	31.	merentur.	męretur.
204.	2.	21.	putrefactionē.	putrefactione.
217.	2.	16.	comunicatu.	comunica tur.

Digitized by Google